DEMONSTRATIO CATHOLICA
SIVE
ECCLESIÆ CATHOLICÆ
SUB
RATIONE SOCIETATIS LEGALIS
INÆQUALIS
A
JESU CHRISTO DEO
HOMINE
INSTITUTÆ
GENUINUM SYSTEMA
SECUNDUM
JURIS NATURÆ SOCIALIS
PRINCIPIA
ACCURATA METHODO EXPLICATUM

AUCTORE
BENEDICTO STATTLER,
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. ORD. AC PROCANCELLARIO
IN UNIVERSITATE ANGLIPOLITANA, SERENISS.
ELECT. BAV. CONSIL. ECCLES. AC ELECT. BOICÆ
ACADEMIÆ MONACENSIS SOCIO.

PAPPENHEMII,
Literis Joannis Jacobi Seybold, Typographi Aulici,
M DCC LXXV.

Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion, - - civitas Regis magni. - - Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate DEI noſtri: DEUS fundavit eam in æternum.

PSALM. XLVII. 3. 9.

Digitized by Google

LICENTIA
Reverendiſſimi Ordinariatus Euſtadiani.

Cum hoc opus Theologico - Polemicum, cui titulus: DEMONSTRATIO CATHOLICA, SIVE CATHOLICÆ ECCLESIÆ &c., a D. Benedicto Stattler, SS. Theol. Doctore, & Profeſſore Ordinario publico, Reverendiſſimi, ac Celſiſſimi S. R. I. Principis & Epiſcopi Euſtettenſis in Alma Univerſitate Ingolſtadienſi Procancellario confectum a DD. Cenſoribus Epiſcopalibus diligenti examine diſcuſſum fuerit, nihilque in eo orthodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium, ſed potius titulo ſuo omnino conforme inventum fuerit; hinc illud pro communi utilitate prœlo committendum judico, atque adprobo.

Euſtadii 23. *Junii* 1775.

JOS. ANT. a GRENZING,
in Straſsberg &c. Vicar. in Spiritual. Gener. & ad S. Wilibaldi Chorum Canon. Mpr.

PRÆFATIO.

Demonſtrationem Catholicam Evangelicæ ſubjungo; in qua pro Romanis ſacris ita pugno, ut demonſtrationi unius veritatis intentus, velut adverſarium illà non haberet, cum nemine, etiam quem pugnaciter huc usque eidem adverſatum fuiſſe probe norim, ſeu is Catholicis, ſeu alienis partibus addictus ſit, hoſtiliter contendam, vel nominatim diſputem: id quod rectæ bonæque mentis mihi argumentum apud utrosque fore, confido. Utinam ea eſſet argumentorum meorum ſoliditas, ut & Acatholicos cum Catholicis, & hos inter ſe, æterno unionis ſenſorum & animorum fœdere componam. Prodeſſe ſaltem utrisque, atque ſic ſtatus mei officia implere, hic unus mihi ſcopus, hic labor, in omni iſto conſcribendo opere fuit.

CON-

CONSPECTUS
OPERIS.

SECTIO I.

SOCIETATIS IN GENERE NATURA ET SUMMÆ SPECIES POSSIBILES EXPLICANTUR.

CAPUT I. Notiones præviæ de poteſtate legislatrice & Societate in genere.

Artic. I. De poteſtate legislatrice.

§. I. Explicantur notiones poteſtatis moralis, & juris,

§. II. Obligationis, & legis,

§. III. Poteſtatis legislatricis, & ſubordinationis jurisdictionum.

Artic. II. De Societate humana in genere.

CAPUT II. De Societate in ſpecie.

Artic. I. Principia generalia de Societate voluntaria.

II. De Societate voluntaria æquali,

III. Et inæquali,

IV. De Societate legali inæquali, & quavis alia alteri majori ſubordinata.

SECTIO II.

DE INSTITUTIONE DIVINA & NATURA SOCIETATIS ECCLESIASTICÆ CHRISTIANÆ.

CAPUT I. Principia prævia de uſu Scripturæ utriusque Teſtamenti in præſentis argumenti demonſtratione.

CAPUT

Digitized by Google

Caput II. De vera Societate ſpirituali ac viſibili a Chriſto Domino inſtituta.
§. I. Primordia Eccleſiæ Chriſti.
II. Vera nova Societas ſpiritualis & viſibilis, id eſt, Eccleſia, a Chriſto fuiſſe demonſtratur.
Caput III. Eccleſia Chriſtiana ad modum Societatis inæqualis a Chriſto inſtituta fuiſſe oſtenditur.
Caput IV. De lege fundamentali completa, qua formam regiminis in Eccleſia ſua Chriſtus definierit.
Caput V. Hanc ipſam legem fundamentalem inde a primis temporibus communiter in Eccleſia Chriſti agnitam fuiſſe oſtenditur: ubi agitur de Primatu jurisdictionis Romanorum Pontificum.
Caput VI. De regulis generalibus & ſpecialibus in regimine Eccleſiaſtico chriſtiano obſervandis.
Caput VII. De inæqualitate ordinis ſacri a Chriſto in Eccleſia ſua inſtituta.
Artic. I. De inæqualitate ordinis ſacri in Eccleſia Chriſti.
II. De diſcrimine ordinis Epiſcopalis, Sacerdotalis, ac Miniſtrorum, & de cujusque origine.
Caput VIII. De inſtitutione Metropolitarum & Patriarcharum.
Caput IX. De extenſione univerſæ poteſtatis Eccleſiaſticæ, lege poſitiva a Chriſto inſtitutæ.

Artic.

Artic. I. De auctoritate Eccleſiæ infallibili in declarandis legibus divinis fidei & morum.

II. De poteſtate coactiva Eccleſiæ Chriſti in exigenda obedientia erga leges divinas, a ſe authentice declaratas; ubi agitur de tolerantia in materia religionis.

III. De poteſtate legislatrice Eccleſiæ, ſe extendente ad leges novas mere humanas & Eccleſiaſticas.

IV. Quid poſſit Eccleſia poteſtate a Chriſto accepta in materiis legis divinæ: ubi de diſpenſatione in votis.

V. De extenſione poteſtatis Eccleſiaſticæ ratione ſubditorum.

CAPUT X De propriis prærogativis Primatus Eccleſiæ præ ſimplice Epiſcopatu.

Artic. I. De fine inſtituti a Chriſto Primatus æque ac Epiſcopatus; qui eſt unitas Eccleſiæ.

II. De prima prærogativa Primatus iſtius, quod videlicet illius poteſtas & jurisdictio in Epiſcopos ceteros univerſos, ceu vere ſuperior, ſe extendat: item de ejus effectibus hujus prærogativæ in electione, translatione, depoſitione Epiſcoporum, & in appellationis judicio.

III. De altera prærogativa Primatus Eccleſiæ ſupra Epiſcopatum, quod nempe ejus jurisdictio ſuprema ſit & univerſalis in Eccleſia Chriſti: ubi explicantur geſta in Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi, & Florentino.

IV. An & qualis poteſtas legislatrix Romano Pontifici ceu Primati vi ſupremæ ſuæ poteſtatis competat!

V. An ad prærogativas Primatus Eccleſiæ etiam pertineat, ut Primatis jurisdictio ſuperior ſimul ſit immediata in omnes aliorum Epiſcoporum ſubditos chriſtianos: ubi explicantur jura Epiſcoporum.

DEMONSTRATIONIS CATHOLICÆ

SECTIO I.

SOCIETATIS IN GENERE NATURA, EJUSQUE POSSIBILES SUMMÆ SPECIES EXPLICANTUR.

CAPUT I.

PRÆVIÆ NOTIONES DE POTESTATE LEGISLATRICE, ET SOCIETATE IN GENERE.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE LEGISLATRICE.

§. I. *Explicantur notiones poteſtatis moralis, & juris.*

1.

Poteſtas phyſica eſt facultas libera phyſice completa quid agendi, vel non agendi ſimpliciter, ſive cum, ſive ſine rectitudine morali actionis. *Poteſtas moralis* vero eſt libera facultas quid volendi agere, vel non volendi agere (disjunctive), ſalva rectitudine morali. *Jus* eſt poteſtas moralis ad utrum-

Digitized by Google

que ex contradictoriis (copulative), id eſt, facultas libera quid volendi agere, & idem non volendi agere, ſalva utrinque rectitudine morali.

* Notiones *poteſtatis moralis* & *juris* multum inter ſe differre oſtendi in Ethica univerſali chriſtiana §. 324 ſeqq. Qui jus habet, ſecundum axioma apud omnes Juriſconſultos receptum non tenetur agere pro jure: *nemo* enim *tenetur uti jure ſuo;* ſed ſive agat pro ſuo jure, ſive non agat, recte facit, vel ſaltem non poſitive moraliter male. Contra qui ſolum moralem poteſtatem habet ad unum ex oppoſitis, non item ad alterum, ni agat illud, a rectitudine recedit. Talis *poteſtas mere moralis ſine jure* proprie convenit omni adminiſtratori jurium & bonorum alienorum. Sic ex gr. tutor vi ſuæ obligationis ſolum moralem poteſtatem habet ad diſponendum utiliter de bonis pupilli, non autem arbitrium liberum non utiliter ſeu non in pupilli commodum diſponendi. Contra dominus de re ſua utcunque diſponendi arbitrium ſeu jus verum habet. Maximi momenti obſervatio hæc diſcriminis iſtarum duarum notionum eſt.

2.

Jus plenum, vel non plenum eſt. *Jus plenum* eſt jus diſponendi ſuo arbitrio tam de ſubſtantia rei, quam de omni ejus uſu accidentali, ſicuti & de fructibus ejusdem: *jus non plenum* eſt jus diſponendi de horum trium uno, vel altero tantum, non de omnibus.

3.

Jus proprium, vulgo *dominium*, eſt jus, quod & quatenus a jure, ſeu libero morali alterius arbitrio (1.) quoad exiſtentiæ ſuæ continuationem independens eſt: *jus non proprium*, vulgo *precarium*, eſt, quod ſecundum exiſtentiæ continuationem dependet a jure libero alterius. Ex. gr. jus utendi re commodata precarium, jus diſponendi de mea pecunia propria jus proprium eſt: quia commodatum quovis momen-

momento dominus ejus repetere poteſt, pecunia mea vero ſeu bene, ſeu male utar, vulgo nemo privatus mihi jus de illa diſponendi mihi eripere jure poteſt.

4.

Dominium, ſeu jus proprium, quod quidem a poteſtate morali, non tamen a jure alterius ſeu a libero arbitrio dependet (1.), *dominium privatum*, ſeu vulgo *baſſum*, appellatur: illa vero poteſtas moralis, a qua dominia privata dependent, *dominium altum* vocatur. Sic jura & dominia privata in ſocietate civili non quidem a jure proprio, attamen a poteſtate morali rectoris ſupremi civitatis pendent certis in caſibus, in quibus bonum publicum poſtulat.

5.

Jus privativum dicitur; quatenus uni ſoli perſonæ ceu ſubjecto proprium eſt, & ejus ſolius arbitrio exerceri poteſt: *cumulativum* vero appellatur; quatenus non niſi plurium ſimul conſentiente arbitrio libera exerceri ſalva morali rectitudine poteſt. Sic princeps quisque ſupremus jure privativo, contra in concilio quovis ſenatores jure cumulativo, vulgo de rebus diſponunt.

6.

Juris proprii privativi eſſentiale attributum eſt jus cogendi alios, ejusdem juris non participes, ſeu arcendi eos ab omni exercitio ſeu uſu juris ejusdem. Quisquis enim jure privativo aliquo gaudet, arcendo alios ab ejusdem uſu nihil juris illorum lædit, vel impedit; cum nullum habeant: ergo ſalva juſtitia illos arcet, & jus ſuum, ab illis forte ſe vi ingerentibus læſum, ſalva morali rectitudine defendit injuſtam vim vi repellendo. Interim tamen libere non arcendo, & uſum ſui privativi juris alteri liberaliter concedendo, per ſe nil juris amittit; ac proin, etſi non arceat, ſalva tamen morali rectitudine omittit; cum jactare

jus ſuum pro arbitrio poſſit. Poteſtatem ergo moralem ad utrumque oppoſitum, adeoque jus habet (1.).

* **Jus itaque, quod ſcriptores Juris naturæ vulgo *externum* appellant, non ſpecies juris, ſed attributum omnis Juris proprii privativi eſt.**

7.

Jus ratione objecti dividitur in *internum*, ſeu proprii individui, eſtque jus diſponendi de proprio ſubjecto, nempe de anima & corpore proprio, eorumque accidentibus, uſu, & fructu; & in *externum*, quod eſt jus diſponendi de rebus externis, ſeu a proprio individuo diſtinctis.

8.

Jus externum ſubdividitur in *perſonale*, quod eſt Jus diſponendi de perſonis aliorum hominum, eorumque actionibus, uſu & fructibus; & in *reale*, quod eſt jus diſponendi de ceteris rebus externis, quæ perſonæ non ſunt.

9.

Jus perſonale porro dividitur in *ſimpliciter tale*, quod eſt jus exigendi actionem, vel omiſſionem aliquam perſonæ ſecundum ſe; & in *jus ad rem*, quod eſt jus exigendi ab alia perſona propriam ejus rem aliquam, ſeu transmiſſionem juris alicujus realis eidem proprii in me, ex. gr. ſolutionem pretii pro labore. Quoniam itaque *fructus rei* non ſunt niſi res ex rebus ceu cauſſis ſuis ortæ, & ab eisdem ſeparabiles; uti agrorum fruges, poma arborum, animalium fœtus &c.; idcirco I. *jura propria quævis, ſeu perſonalia, ſeu realia, in perſonis exiſtunt inſtar fructuum:* II. *Jus ergo ad rem eſt inſtar juris percipiendi fructum ex perſona, & de eodem fructu diſponendi: jus vero ſimpliciter perſonale eſt jus utendi perſona aliqua:* III. *ac proinde tam jus ſimpliciter perſonale, quam jus*

ad

ad rem, non tam nova ſpecies, quam pars juris pleni perſonalis eſt (2): ſiquidem & perſonæ ſimpliciter in hoc rebus ſimiles ſunt, de quibus jure diſponi poteſt, ſeu quoad ſubſtantiam, ſeu quoad uſum, ſeu etiam quoad fructus.

* Termini *jus perſonale* & *jus reale* etiam alia adhuc, ſed impropria ſignificatione apud Juris Doctores occurrunt, ac deſignare etiam ſolent jus perſonæ alicui, vel rei inhærens; uti, ſi *jus paſcendi* prædio alicui ita annexum ſit, ut perſona quæ jus reale prædii habet, etiam jure paſcendi gaudeat, jus paſcendi vocatur *jus perſonale*, jus prædii vero *jus reale*. Atqui tamen utrumque jus reale eſt, ſed unum alteri quacunque lege in eadem perſona connexum: ſiquidem jus paſcendi in prato non proprio aliud non eſt quam jus utendi eodem, id eſt, jus in re non plenum (8. 2.). Definitas accuratius notiones iſtas præmittere neceſſe habui; quia minus præciſas, ut vulgo apud alios leguntur, easdem inveni. An autem cum, vel ſine fundamento, eas innovarim, bonæ Logicæ peritus, ultro ipſe deprehendet.

§. II. *Explicantur notiones obligationis & legis.*

10.

Obligatio paſſiva eſt neceſſitas moralis liberæ actionis committendæ, vel omittendæ, orta a perſona extranea, & ex ipſa inprimis certitudine de poteſtate morali iſtius ad eam imponendam. *Obligatio activa* eſt ipſa actio unius, pro certa poteſtate ſua morali neceſſitatem moralem liberæ actionis, vel omiſſionis, alteri imponentis.

* Eſt vero *neceſſitas moralis* conjunctio veræ libertatis ad aliquid agendum & non agendum cum magna difficultate oppoſiti. Porro *difficultas* iſta conſiſtit in prævifione vel magni tædii ex oppoſito orituri, vel magnæ ſecuturæ voluptatis ex altero oppoſito. *Neceſſitas moralis* itaque eo *major* erit, quo majores gradus tædii & voluptatis orituræ

ex actione vel omiſſione abſolute libera prævidentur. Quoniam tamen metus tædiorum univerſe infirmos & egenos homines nos potentius per ſe movet, quam ſpes voluptatum nondum præſentium: idcirco *neceſſitas moralis imperfecta* dicitur, quæ ſolum prævifis ex actione, vel omiſſione, voluptatibus, *perfecta* vero, quæ ſaltem ſimul etiam prævifis ex oppoſito tædiis, reſpective non levibus, determinatur.

11.

Obligatio perfecta dicitur, quæ neceſſitatem moralem perfectam, *imperfecta*, quæ imperfectam ſolum importat (præc. not.).

12.

I. *Obligatio paſſiva naſcitur ex motivis jucundis, vel moleſtis, cum libertate agendi, vel non agendi, connexis, qualia ſunt præmia, & pœnæ.* II. *Eadem gradus habere poteſt pro magnitudine motivorum reſpectiva.*

13.

III. *Obligatio activa eſt actio cum morali poteſtate motiva jucunda, vel moleſta, cum alterius agendi libertate connectens.*

* Neque prædo in ſylva minitans mortem obligat ad dandam ſibi pecuniam; nec conſiliarius utcunque bonus obligat *perfecte*, ſi nulla morali poteſtate inſtructus eſſe cognoſcatur ad malum ſeu pænam non obtemperanti intentandum. Deinde ipſa cognitio moralis poteſtatis in imponente neceſſitatem ſpecialis pars eſt neceſſitatis illius moralis, quam proprie obligationem paſſivam vocamus. Nihil itaque in datis definitionibus ultra eſſentiam redundat.

14.

Regula agendi moraliter eſt judicium de rectitudine morali actionis, vel omiſſionis, ſeu de aptitudine ad finem ultimum agentis.

15.

15.

Conſilium morale eſt ſignificatio ſui judicii de aliqua regula agendi moraliter. *Invitatio* ſeu *provocatio* eſt ſignificatio ſuæ voluntatis, quid fieri velit ab altero, ſimulque poteſtatis phyſicæ (1.) & certi propoſiti conferendi bonum aliquod implendi ſuam voluntatem.

16.

Juſſus eſt ſignificatio certa voluntatis de regula agendi, quam alterum ſequi volumus, ſimulque poteſtatis phyſicæ, ac certi propoſiti, malum phyſicum refractario inferendi.

I. *Moralis poteſtas jubendi eſt poteſtas phyſica obligandi* (13).

II. *Juſſus & conſilium ſine morali poteſtate ſic jubendi & conſulendi moraliter neceſſitare (ille perfecte, hoc imperfecte §. 10. not.) poteſt, ſed nullo pacto obligare.*

17.

Lex moralis eſt regula agendi moraliter plures communiter & perfecte obligans. Si unum in ſingulari obliget, *præceptum* vulgo appellatur. *Lex præcipiens* ſeu affirmativa, ſi ad agendum, *prohibens*, ſeu negativa, ſi ad omiſſionem actionis obligat.

* Nimirum *leges naturæ* ſunt regulæ, ſecundum quas neceſſitate phyſica ſubſtantiarum ſimplicium actiones non liberæ determinantur. Itaque & leges morales, quibus actiones liberæ ſpirituum humanorum ſalva libertate regantur, regulæ ſint oportet neceſſitatem imponentes, at talem, quæ componi cum libertate poſſit, nempe moralem.

18.

I. *Lex juſſu jubentis morali poteſtate præditi, ad plures communiter directo, conſtituitur* (§§. 16. 17.).

II. *Legis conſtitutio in jubente, ceu obligante active, importat* ex parte intellectus 1°.) *judicium diſtinctum*

ctum de rectitudine morali actionis præcipiendæ, vel morali malitia prohibendæ; 2'.) Certum judicium, quod ſalva rectitudine morali poſſit efficaciter velle, & phyſice efficaciter poſſit obligare active alios ad hoc in ſingulari agendum, vel omittendum, ſeu *certum judicium de poteſtate ſua phyſica & morali obligandi*: ex parte voluntatis 1'.) *voluntas actualis efficax, ut actio ab eis, quos ſcit ſe poſſe obligare, fiat, vel omittatur*, 2'.) *efficax decretum inferendi malum, ſeu pœnam, refractariis*, 3'.) *efficax decretum utramque iſtam ſuam voluntatem juxta ac poteſtatem, moralem, & phyſicam obligandi, certo eisdem ſignificandi*; 4'.) *actualis juſſus*, ſeu *certa ſignificatio & voluntatis ſuæ & poteſtatis utriusque*. Sine prædictis enim actibus intellectus non concipitur moralis poteſtas obligandi (1. 10. 13.), nec ſine dictis actibus voluntatis obligatio ipſa activa (§§. 13. 16): atqui utramque lex ceu regula obligans importat (præc.).

19.

III. *Ex parte recipientis obligationem paſſivam legis* (17.) *in conſtitutione legis requiruntur tria certa judicia*, ſeu cognitiones certæ, 1'.) *de poteſtate phyſica & morali obligandi perfecte, jubenti propria*, 2') *de ejus efficaci voluntate, ut actio fiat, vel omittatur*, 3'.) *de ejus decreto efficaci infligendi pœnas refractariis juſſui ſuo*. Sine his enim judiciis, eisdemque certis, neceſſitas illa moralis perfecta, obligationem paſſivam perfectam, legi eſſentialem conficiens (17.), exoriri non poteſt (10. 13. not. not.).

20.

Lex moralis itaque conſiderari poteſt, prout eſt in jubente cum morali poteſtate, tumque conſiſtit in actibus (18. II.) enumeratis, & vocatur *lex objectiva*, quatenus actus intellectus jubentis ſunt regulæ moraliter agendi pro recipiente legem (14.), ſimulque hunc obligant active (13.) per conjunctos ſibi actus volun-

voluntatis jubentis, qui recipienti legem mediante juſſu neceſſitatem moralem paſſivæ obligationi propriam imponunt, ac denique ſunt objectum trium cognitionum in iſto ad legis conſtitutionem requiſitarum (præc.).

Eadem lex moralis conſiderari aliter poteſt, prout eſt in ſubjecto eam recipiente cum obligatione paſſiva, tumque conſiſtit in ipſis tribus cognitionibus §. præc. recenſitis, conſtituentibus ipſam obligationem paſſivam, & vocatur *lex moralis ſubjectiva:* ſiquidem tres illæ cognitiones & regulæ ſunt agendi moraliter, & obligationem paſſivam ſimul conficiunt.

21.

Omnes actus ex parte jubentis legem requiſiti (18. II.) *pertinent ad legis objectivæ eſſentiam; excepto juſſu actuali, qui ſolum eſt attributum eſſentiale.* Omnes enim illi actus ſunt primum, quod in lege objectiva concipitur, & ſine quo lex non concipitur, nec unus illorum eſt ratio ſufficiens, aut rationatum alterius, excepto juſſu, qui, ceu actus externus potentiæ exequentis efficax decretum voluntatis jubendi, per hoc ipſum decretum ceu rationem ſufficientem a priori jam determinatur, ac proin non niſi attributi eſſentialis proprie rationem habet.

* Interim actus intellectus pertinent ad legem objectivam, quatenus eſt *regula recta* ipſamet, actus voluntatis vero, ut eſt *regula obligans active.*

22.

I. *Lex ſubjectiva eſt effectus neceſſarius legis objectivæ completæ.*

II. *Lex objective talis conficit obligationem activam, lex autem ſubjective talis obligationem paſſivam.*

III. *Omnis lex objectiva completa pro effectu habet obligationem paſſivam completam in actu ſecundo, & nulla eſt obligatio vera in actu primo.*

23.

Promulgatio legis activa eſt ipſe juſſus (16.) habentis moralem poteſtatem jubendi: hujus autem in ſua ratione completi neceſſarius effectus, id eſt, ipſa notitia legis in ſubjecto eam recipiente (præc. I. & 20.) *promulgatio paſſiva* recte vocatur.

I. *Promulgatio activa per* §. 21. *eſt eſſentiale attributum legis objectivæ.*

II. *Promulgatio paſſiva eſt ipſa lex ſubjectiva* (præc. II.).

III. *Leges, cum actu active obligant, iis, quos vere obligant, ignotæ eſſe non poſſunt* (II. & 20.).

* Etiam iſtæ notiones & principia, etſi jam alibi a me tradita, hic inferenda erant, niſi lectorem continuo remittere ad alia opera a me ſcripta vellem.

§. III. *Explicantur notiones de Poteſtate Legislatrice & ſubordinatione jurisdictionis.*

24.

Qui reſpectu perſonæ alicujus morali poteſtate jubendi, vel quod idem eſt, qui phyſica poteſtate perfecte obligandi gaudet (1. not. 16. I.), ejus perſonæ *ſuperior* eſt; qui vero jure ipſo jubendi pro arbitrio gaudet, *dominus* appellatur.

Legislator eſt Superior plurium ſimul ſub eadem ratione; ſeu eſt is, qui legis exiſtentiam determinandi phyſica poteſtate gaudet; atque hæc ipſa *poteſtas legislatrix* appellatur.

* Qui advertet, aliam a me *legis* notionem ſtabilitam eſſe (17.), aliam item notionem *obligationis* (10), quam vulgo a Wolfianis aſſeclis recepta fuerit (vide 657. 690. Theol. Nat. item 331. Ethic. Chriſt. Univ.) non mirabitur, me Wolfianam legislatoris notionem rejicere, qua vulgo

vulgo is definitur eſſe *legislator*, qui legem ſervari præcipit. Mihi quidem obligatio *extranea* legis eſſentiam conſtituere videtur (Ethic. chriſt. loc. cit.).

25.

Subditus ſeu *inferior* is dicitur, qui obligari ab altero tanquam ſuperiore ſuo poteſt. *Servus* eſt, qui ſuperiori alicui ceu domino ſubjectus eſt.

I. *Omnis ſervus ſubditus eſt, ſed non omnis ſubditus ſervus.*

II. *Subditus tantum, & non ſimul ſervus, ſuperiorem habet, ſed non dominum.*

26.

III. *Legislator omnis neceſſario plures ſimul ſub eadem ratione ſibi ſubditos habet, ſed non neceſſario ac per ſe ullum ſervum.*

IV. *Legislator per ſe dominus non eſt, ſed ſolum ſuperior plurium.* Aliud eſt enim *poteſtate morali* pollere, aliud *jure* jubendi & obligandi. Jus relinquit arbitrium liberum jubendi, ſeu non jubendi; ſola vero moralis poteſtas per ſe ad alterutrum tantum datur (1. not.).

27.

V. *Si Legislator, & ſuperior quivis, etiam ipſe alteri ſuperiori ſubditus ſit; ſalva ſua poteſtate morali, qua pollet reſpectu ſui ſubditi, obligari a ſuo ſuperiore proprio poteſt ad jubendum ſubdito ſuo, quod rectum moraliter eſt.* Etiamſi enim ipſe obligetur a ſuo ſuperiore ad jubendum ſuo ſubdito, quod rectum moraliter eſt, ſalva manet tota ratio ſeu conceptus ſuperioris & legislatoris, id eſt, poteſtas moralis jubendi, quæ per ſe non eſt idem ac jus liberum proprium ac independens, ſed ſæpe tantum ad unum ex contradictoriis datur (1.).

* Exem-

* Exemplum eſt tutor, vel curator, a ſummo Magiſtratu conſtitutus, qui ſuperior eſt pupilli, aut minorennis, etſi ipſe non libero jure jubendi inſtar domini, ſed ſolum poteſtate morali ad ea jubenda gaudeat, quæ clienti ſuo utilia ſunt, non quæ utilia tutori &c. (1. not.).

28.

Declaratio legis eſt ſignificatio judicii ſui de qualitate, vel quantitate, vel extenſione obligationis ejusdem legis, ſeu ad quid, quam graviter, id eſt, ſub quibus pœnis, & quosnam omnes, obliget.

Declaratio authentica eſt, quæ vim legis ipſamet habet, id eſt, perinde obligat ac prima promulgatio publica legis.

29.

Poteſtas exequendi legem eſt poteſtas moralis authentice declarandi pœnam, quam ſubditus violando legem incurrerit, & hunc cogendi ad eam ſuſtinendam, ſive eam inferendi.

30.

Poteſtas inquirendi & judicandi eſt poteſtas moralis per media apta captandi notitiam de actionibus ſubditorum lege præceptis, vel prohibitis, & de conformitate aut difformitate earum cum legibus ferendi proprium *judicium regulare*, id eſt, quod inſtar regulæ moralis (14.) ſerviat in poteſtate executrice legis (præc.) ſalva morali rectitudine rite exercenda.

31.

Juriſdictio eſt poteſtas moralis leges jam latas authentice declarandi, in earum executionem inquirendi, de ea judicandi, ac proin de ortis etiam inde juribus ſubditorum in dubio regulare judicium ferendi, ac denique easdem leges exequendi. Qui pollet juriſdictione, *judex* dicitur.

32.

Poteſtas omnis legislatrix cum jurisdictione, tanquam cum ſuo attributo neceſſario, conjuncta eſt. Poteſtas enim legislatrix eſt poteſtas phyſica determinandi exiſtentiam legis objectivæ & ſubjectivæ, ceu per ſe ſemper neceſſario connexæ (22). Ad hoc porro requiritur poteſtas moralis efficiendi in ſubdito certam notitiam voluntatis ſuæ triplicis (19.), id eſt, quid fieri velit legislator, a quo, & quam graviter, ſeu de qualitate, quantitate & extenſione obligationis. Atqui hæc eſt ipſa *poteſtas authentice declarandi legem*, ceu declaratione eſſentiam legis ipſius habente (28): *quod primum.* Ad idem porro requiritur poteſtas moralis pœnam ſubdito violanti legem non ſolum intentandi, ſed etiam inferendi, id eſt, poteſtas moralis & phyſica eum cogendi, ut ſuſtineat; ſecus neceſſitas nulla moralis in ſubdito, id eſt, nulla obligatio vera, ſervandi legem, ac proin neque vera lex determinari ad exiſtentiam a legislatore poſſet. Atqui poteſtas hæc inferendi pœnam juncta poteſtati authentice declarandi pœnam, quam ſubditus legem violando meruerit, eſt ipſa *poteſtas legem exequendi* (29.); *quod alterum.* Denique poteſtas inferendi pœnam importat *poteſtatem moralem judicandi* judicio regulari de conformitate actionum ſubditi cum lege, ac proin etiam *poteſtatem moralem inquirendi*, ſeu capiendi notitiam de his; quia ſecus exercitium poteſtatis executricis legum moraliter rectum, ac proinde & ipſa poteſtas hujus exercitii moralis eſſe non poſſet (29. 1.): *quod tertium.* Jam vero Jurisdictio omnis triplici hac poteſtate abſolvitur (præc.). Ergo &c. &c.

33.

Jurisdictio ex adverſo a poteſtate legislatrice quoad ſubjectum ſeparari, ſeu a perſona ab ipſo Legislatore diverſa exerceri poteſt. Alia enim eſt poteſtas leges

novas

novas determinandi ad primam ſuam exiſtentiam, alia leges jam exiſtentes ſolum declarandi, in earum executionem inquirendi, eamque urgendi. Cum prima poteſtas ſeſe jam exeruit, nihil obſtat, quo minus poteſtas in alterum transferri exercenda poſſit, quin talis jurisdictione fungens etiam novas ferre leges hoc ipſo poſſit.

34.

Tam *poteſtas legislatrix*, quam *jurisdictio*, imo *omnis poteſtas moralis*, vel eſt propria, vel delegata, vel ſuprema, vel ſubordinata. *Propria* eſt, ſi (inſtar juris proprii 3.) non dependet a jure ſeu mero arbitrio libero alterius; *delegata*, ſi (inſtar juris precarii §. cit.) a jure libero alterius dependet. *Suprema* eſt, ſi non ſolum ab omni jure, ſed & ab omni poteſtate morali aliena, quoad exiſtentiæ continuationem independens eſt (1.); *ſubordinata*, ſi vel ſecundum exiſtentiam ſuam in hac perſona determinata, vel ſecundum perdurationem in eadem, vel ſecundum exercitii ſui effectum, non quidem a jure, attamen a poteſtate morali alterius in certis adjunctis dependet inſtar dominii baſſi a dominio alto pendentis (4.).

* In regno independente ſummum principatum tenens, ſeu ſuprema poteſtate legislatrice pollens, aliis perſonis, ceu judicibus (31.), non ſolum delegatam a ſe poteſtatem jurisdictionis tribuere poteſt, ſed & illis alios judices, ſeu integras curias inferiores judicum communi ſuffragio judicantium, ſubordinare poteſt, qui poſteriores reſpectu priorum, propriam habeant jurisdictionem, attamen eisdem ſubordinatam; ſiquidem princeps ſupremus curiæ ſuperioris judices obliget, ſeu morali ſolum poteſtate inſtruat ad ſuſpendendam jurisdictionem inferiorum, ſi iſti hac male alicubi utantur, non tamen liberum jus & arbitrium eis ad hoc tribuat; quod ſibi ſoli ut ſupremo Legislatori competit. Omnes iſti judices ſuperiores, & inferiores, erunt reſpe-

reſpectu principis ſupremi judices mere delegati; at nihilominus inferiores reſpectu ſuperiorum habebunt vere propriam jurisdictionem, attamen ſimul illorum ſuperiorum judicum jurisdictioni lege principis ſubordinatam.

35.

Poteſtas legislatrix & jurisdictio ſuperior dicitur, cui alterius poteſtas legislatrix & jurisdictio eſt ſubordinata, *inferior* quæ alteri ſubordinata eſt. Poteſtas legislatrix & jurisdictio ſuprema, ſeu nulli alteri ſubordinata, *imperium* appellatur.

36.

I. *Qui jurisdictione ſolum delegata ab alio gaudet, ſecundum hanc iſtius non tantum ſubditus & inferior eſt, ſed ſervi inſtar eidem ſubjectus, tanquam domino omnis ſuæ precariæ poteſtatis.* Non enim aliam poteſtatem judex delegatus, niſi ipſius delegantis propriam habet: & a mero hujus arbitrio & vero jure in omni exercitio illius pendet (34. 25. 3.).

* Unde etiam vulgò *Miniſter Principis*, aut *Judex delegatus*, ſimpliciter appellatur, aut etiam *Vicarius Principis:* cujus reſpectu is, qui ſupremam delegatam a Principe imperante poteſtatem habet, *Miniſter ſupremus*, *Vicarius ſupremus*, & in abſentia Principis regni *ſupremus Adminiſter*, vel *Gubernator*, appellatur.

II. *Viciſſim delegans alteri ſuam jurisdictionem ratione iſtius præciſe domini inſtar eſt;* quia pro jure ſuo & arbitrio precariam delegati poteſtatem ſuſpendere, limitare, modificare poteſt.

37.

III. *Qui ſolum poteſtate ſuperiore, non ſuprema independente, pollet, non eſt dominus jurisdictionis inferioris & poteſtatis:* 2.) *attamen in caſibus a ſupremi principis lege definitis poteſtate morali pollere poteſt ſuſpendendi, limitandi, ſupplendi, corrigendi, modificandi*

eundi &c. poteſtatem & jurisdictionem inferioris: prout nimirum ſupremus legislator ſuperiorem poteſtatem ipſe pro caſu neceſſitatis alicujus publicæ aut utilitatis ad iſta contulit.

38.

Dominium deſpoticum exercere dicitur, qui, cum ſolum poteſtate morali certis legibus determinata gaudeat, nec niſi ſubditos, non autem ſervos habeat, ea veluti jure ſuo proprio utitur adverſus ſubditos, tanquam ſervi eſſent.

ARTICULUS II.

DE SOCIETATE HUMANA IN GENERE.

39.

Societas humana in genere eſt numerus aliquis hominum communi perfecta obligatione devinctorum ad jungendas mutuo vires pro fine aliquo conſequendo.

40.

I. *Omnis ſocietas eſt compoſitum morale;* cujus ſcilicet nexus ſeu unio non in phyſica, ſed morali neceſſitate, ſeu obligatione, conſiſtit.

II. *Eſſentialia omnis ſocietatis in genere ſunt 1.) aliquis numerus perſonarum, 2.) finis aliquis communis omnibus,* ſaltem proximus, 3.) *communis & conſtans obligatio jungendi media & vires, quas habent, ad finem communem conſequendum.*

* Nimirum Societas hominum analoge in ratione compoſiti moralis ſe habet, uti mundus corporeis ex elementis ſuis compoſitus ſe habet in ratione compoſiti phyſici. Ad hoc enim poſterius quoque requiritur 1) certus *numerus* elementorum, viribus ad finem aliquem efficiendum per ſe aptis præditorum, 2.) *finis* communis efficiendus, qui eſt ſeries eventuum naturalium a Deo intentus, 3.) *neceſſitas phyſica*

phyſica ad eam ſeriem eventuum producendam vi primæ compoſitionis, ceu unio phyſica, in eadem elementa introducta. Diſcrimen unicum eſt, quod elementa non ordinentur ad finem liberi arbitrii uſu bono, ſed ſola neceſſitate naturæ, producendum; homines econtra ad finem ſocietatis bono uſu libertatis conſequendum *morali neceſſitate* obligentur.

III *Societates ſecundum unum vel plura ex eſſentialibus inter ſe differentes, ſpecie intrinſeca differunt.*

IV. *Societates hominum ad exiſtentiam determinantur determinata exiſtentia obligationis perfectæ communis plurium hominum ad vires pro fine aliquo conſequendo conjungendas.*

41.

Si obligatio nexum & eſſentiam Societatis conficiens (præc. I.) determinetur lege Superioris objectiva, *Societas legalis* appellatur; ſi homines ipſi mutuo pacto ſe perfecte obligando ad jungendas vires pro aliquo fine conſequendo Societatis eſſentiam & exiſtentiam inter ſe determinent, *Societas voluntaria* dicitur.

* Supponitur ex Jure Naturæ, pacta veram ac perfectam parere obligationem, eamque mutuam, vel non mutuam, pro ratione pacti.

42.

Societas legalis, ſi Dei lege naturali determinetur, *Societas naturalis*, & *neceſſaria*; ſi lege Dei poſitiva ſeu ſupernaturali, *Societas ſupernaturalis*, & *contingens*, appellatur.

* *Omnem ſocietatem pacto, vel quaſi pacto, conſtitui*, Ill. Wolfii & aliorum ſententia fuit; quæ tamen, ſicut & ipſum *quaſi pactum*, hodie a recentiſſimis magisque probatis Juris Naturæ ſcriptoribus ſatis communiter, & merito, rejicitur: eo quod *pactum præſumtum*, revera pactum non ſit;

ſicuti conſenſus præſumtus ſolummodo verus conſenſus non eſt, nec proinde veri conſenſus effectum parere poteſt: tum vero quod etiam ſine omni pacto humano, & ſola Dei lege ſocietas conſtitui poſſit. Theſis illa itaque ad ſolam *ſocietatem voluntariam* reſtringenda eſt.

43.

Exiſtit inter omnes promiſcue homines contemporaneos, rationis recto uſu præditos, Societas naturalis & neceſſaria, Dei lege naturali conſtituta. Omnes enim iſti lege naturæ communi perfecte obligantur ad communem beatitatem, non hujus ſolum, ſed vel maxime illam futuram vitæ alterius junctis mutuo viribus conſectandam, ſaltem *quando & quatenus hæc mutua virium* & auxilii *conjunctio aliis neceſſaria eſt* ad prædictum finem conſequendum. Ergo per præc. &c. &c.

* Ulteriorem oſtenſionem primæ propoſitionis ex Jure Naturæ ſuppono. Ceterum dixi: *quatenus & quando conjunctio illa virium neceſſaria eſt ad finem creationis ultimum ab aliis conſequendum.* Neque enim inferre univerſe cum Ill. Wolfio ejusque aſſeclis velim, *nemini licere vitam ſolitariam agere, ut ſibi ſoli vivat, non aliis* (Wolffius P. VII. J. N. §. 139.); eo quod ſolus ſtatum ſuum nemo perficere poſſit, uti jure naturæ tenetur (ibid §. 138.). Id ſolum recte infertur; cum lex naturæ, ceu perfecte obligans, non niſi abſolutam neceſſitatem ſocialis vitæ ad finem ultimum (non meram utilitatem contingentem ad altiorem felicitatis gradum) ſpectet; *ſocietatis cultum præcipi omnibus* univerſe *in neceſſitate; alias* autem ſi vera utilitas appareat, *conſuli* ſolum cum obligatione imperfecta; imo ſæpe etiam conſuli vitam ſolitariam poſſe ob majoris propriæ perfectionis ſpem & occaſionem. Certe qui vitam ſolitariam illis omnibus etiam jam adultis viris lege naturæ prohibitam velit, qui tenui victu herbarum, & fonte aquæ puræ contenti, ſibi ipſis ad contemplandum Deum ſufficiunt ſoli in eremis; næ is heroes

illos

illos ſolitudinis antiquæ, Paulos, Antonios, Onuphrios, læſi juris naturæ reos, ſaniore orbe ridente, pronuntiarit.

44.

Cum *Societas* ſit unum compoſitum morale (40. I.); idcirco conſiderata qua tale, & abſtrahendo ab eis, quæ ſingula ejus membra ſeorſim concernunt, eſt *perſona compoſita, moralis, ens unum rationale compoſitum* (quæ omnia idem ſonant) *ac proin etiam ut talis obligationis eſt capax;* quatenus eidem poteſtate morali obligatio perfecta imponi poteſt ad actionem aliquam communi conſenſu committendam, vel omittendam.

*** Sic princeps tribum integram obligare poteſt ad certam quantitatem tributi communi contributione reddendam.**

45.

Ex his naſcitur nova *diviſio Societatis in ſimplicem*, quæ ex perſonis meris ſingularibus componitur, & *in compoſitam*, quæ ex perſonis pluribus moralibus, ſive ex pluribus ſocietatibus, coaleſcit (præc.). *Societates compoſitæ minores* ſunt, quarum membra ſunt ſocietates mere ſimplices; *majores*, quarum membra ſunt ſocietates ipſæ jam compoſitæ.

46.

Alia inſuper eſt *ſocietas univerſalis*, quæ ſcilicet aut omnes omnino homines, aut ſaltem in omnibus orbis partibus quam plurimos, complectitur, vel certe per ſe complecti poteſt; alia *particularis*, quæ aliquos tantum, nec in omnibus locis.

I. *Societas Naturalis* (43.) *univerſalis eſt.*

II. *Omnis ſocietas voluntaria vulgo eſt particularis;* quia in pacta voluntaria moraliter impoſſibile eſt, ut unquam omnes, aut omnium orbis partium aliqui ſaltem homines conſentiant.

CAPUT II.

DE SOCIETATE IN SPECIE, TAM VOLUNTARIA, QUAM LEGALI, ÆQUALI, ET INÆQUALI.

ARTICULUS I.

PRINCIPIA GENERALIA DE SOCIETATE VOLUNTARIA.

47.

Quoniam omnis ſocietas voluntaria ex pacto mutuo oritur (41.), quatenus id communem omnibus ſociis obligationem parit ad jungendas vires pro fine aliquo conſequendo; ex pacto autem non niſi validio obligatio naſci vi juris naturæ poteſt: idcirco *omnis ſocietas voluntaria pro ſui exortu pactum validum ſociorum prævium requirit, ſeu expreſſum, ſeu tacitum.*

I. *Itaque tam finis ſocietati præſtitutus licitus eſſe debet, quam media, quæ ſe collaturos ad conſequendum finem paciſcuntur ſocii.* Rei enim illicitæ pactum invalidum eſt (ex Jure Naturæ).

II. *Nihil adverſum legi divinæ cuicunque, naturali, vel poſitivæ, paciſci pacto ſociali homines poſſunt;* quia nihil illicitum (I.).

III. *Socii voluntarii non ad aliud, nec ad plus obligantur, quam ad quod pacto ipſi libere ſe obligarunt.* Omnis enim obligatio ſocialis in ſocietate mere voluntaria ex pacto exiſtit.

IV. *Igitur omnes obligationes ſociales & jura ſocialia inprimis ex tenore expreſſo pacti metienda, & judicanda ſunt.*

V. *Quodſi vero pactum ſociale vel ex toto, vel ex parte, tacitum duntaxat pactum ſit, ex fine, & abſo-*

abſoluta neceſſitate mediorum ad finem ſocietati communi pacto præſtitutum, obligationes ſociales metiendæ ſunt.

48.

Si Societas quædam voluntaria jam anticipato exiſtat, cujus obligationes ſociales jam alioquin pacto expreſſo determinatæ ſint, eidemque perſona aliqua ſe de novo etiam pacto ſolum tacito abſolute adjungat: vi talis pacti taciti ſocialis obligatur ad ea omnia, ad quæ obligari ſocios ejus Societatis eo tempore non ignoravit, cum Societati ſe adjunxit. Paciſci enim velle eſſe alicujus Societatis membrum, idem eſt atque conſentire, ut omnes communes habere velit obligationes ſociales. Quodſi ergo ſimul ſcivit, quales iſtæ ſint, ſciens iis ſe teneri conſenſit. Ergo &c. &c.

ARTICULUS II.

PRINCIPIA GENERALIA DE SOCIETATE VOLUNTARIA ÆQUALI.

49.

Homines moraliter æquales dicuntur, quorum neuter alterius ſuperior, nec ſubditus eſt; *inæquales moraliter*, ſi unus ſuperior alterius, & proinde alter ejus ſubditus.

50.

Societas æqualis vocatur, in qua omnes ſocii moraliter æquales, *inæqualis ſocietas* vero, in qua illi inter ſe moraliter inæquales ſunt.

51.

Lege naturæ abſoluta omnes homines moraliter æquales ſunt. Lex enim naturæ abſoluta rationem ſufficientem habet in natura Dei, & hominis li-

 beri,

beri, & actionum liberarum ſecundum ſe. Atqui hæc in omnibus hominibus ſe perinde omnino habent. Ergo omnes easdem habent leges naturæ abſolutas. Atqui non haberent, ſi unus lege naturæ alteri ſubjiceretur &c. Ergo &c. &c.

* Sufficit iſthic deſignaſſe potius, quam plene explicuiſſe rationem omnem hujus theſis in Jure Naturæ ubertim demonſtrari ſolitæ. Non enim hic jus Naturæ, nec jus ſociale conſcribere mihi propoſitum; ſed ſolum principia ex illis diſciplinis ad demonſtrandum propoſitum mihi ſocietatis Eccleſiaſticæ & Civilis felicem nexum neceſſaria excerpere, ac, quoad licet, & opus eſt, ſtabilire.

52.

I. *Societas ergo hominum naturalis, univerſalis, & legalis, ſocietas æqualis eſt* (præc. 43. 45.).

II. *Societas omnis voluntaria in ipſa ſui origine per ſe ex paciſcentibus æqualibus coaleſcit.*

53.

Socii, dum pacto primo ſociali ſe præciſe ad finem aliquem, ceu commune bonum; junctis viribus perſequendum mutuo obligant, nulli ſingillatim idcirco neceſſario aliquam ſuperioritatis prærogativam hoc ipſo tribuunt. Tametſi enim per pactum ſociale ſinguli ſe obligent mutuo; tamen hoc ſocius quisque propria facit poteſtate & arbitrio, quin aliena præciſe poteſtate obligatio ei imponatur: pariter dum ſe obligando quisque ceteris jus perſonale proprium tribuit (8. 3.) exigendi a ſe executionem pacti ſocialis, ac proin etiam jus cogendi ſe ad eam executionem (6.); par tamen jus idem in alios quosque ſocios eodem pacto ſociali mutuo accipit; ac proinde nulli *ſingillatim* idcirco ſuperioritatis (24) prærogativa (id eſt, jus peculiare non commune aliis) ſupra ceteros accedit. Itaque Socii, dum &c. &c.

* Nega-

* Negari non poteſt, ipſa læſione juris alieni ſpeciem quamdam ſuperioritatis adverſus ſe a lædente in læſum transferri, ac proin etiam a ſocio pactum ſociale violante in conſocios; eo quod jure naturæ omni læſo extra ſtatum civilem jus competat non ſolum reparationem juris læſi a lædente etiam vi adhibita exigendi, verum etiam, ſi ad novas læſiones avertendas neceſſarium ſit, pœna emendatrice aut exemplari lædentem afficiendi; ex quo ſequitur, idem conſociis læſis in lædentem conſocium licere; imo ex hoc principio primam poteſtatis civilis originem derivare neceſſum eſt. Interim jus & poteſtas hæc moralis puniendi ſocium, conſocios violatione pacti ſocialis lædentem, non uni ſingillatim, ſed omnibus, & quidem non ſingulis privative, ſed ſimul univerſis cumulative proprium eſt (5), nec ceu jus proximum & completum ex ſolo pacto ſociali immediate & abſolute naſcitur, ſed inſuper ex facto alio, nempe ex læſione actuali.

54.

Societas voluntaria tamdiu æqualis habenda eſt, quamdiu oppoſitum ex pacto ſociali expreſſo non conſtat. In origine enim ſua ex paciſcentibus naturali jure æqualibus coaleſcit (52. II.), neque vi pacti ſocialis per ſe neceſſario cuiquam ſingillatim, aut ullis præ ceteris, ſuperioritatis prærogativa tribuitur (præc.); neque demum præſumi poteſt, quod pacto tacito ſine neceſſitate ulla ceteri ſocii æqualitate & libertate naturali abdicata uni, vel pluribus, non expreſſe deſignatis, ſuperioritatem ſupra ſe concedere voluerint. Ergo per 47. III. & V, &c. &c.

55.

Ex pacto ſociali duplex obligatio naſcitur, divina, & humana (ſeu uti vulgo vocant, *interna* ſeu *conſcientiæ*, & *externa*). Deus enim lege naturæ intentando pœnas æternas prohibet violationem

 pro-

promiſſi in re gravi; & ſocii paciſcentes, tribuendo invicem, & ab invicem acceptando jus cogendi, contra læſionem ſe defendendi, lædentem ſocium puniendi, connectunt motiva pœnarum ab ſe infligendarum cum actione, vel omiſſione, pacto ſociali contraria. Ergo active ſe mutuo obligant (10. 13.). Oritur itaque ex pacto ſociali obligatio divina & humana.

* Suppono utique hic jure, lege divina vere tali pœnis etiam æternis in re gravi prohiberi violationem pactorum: id quod alias jam etiam ex ſola ratione naturali in Ethica Univerſali chriſtiana de omnibus actionibus moraliter theologice malis §. 358. demonſtravi. Profecto riſum mereri mihi videntur, qui de Deo ſuſpicari poſſunt, eum mero arbitrio, non neceſſitate, pœnis æternis malefacta hominum libera punire.

56.

I. *Poteſtas obligandi obligatione divina ſocios paciſcentes ſoli Deo ineſt, atque ab eo exercetur ſuppoſito facto humano, videlicet pacto ſociali, tanquam conditione paciſcentibus libera.* Obligare enim active eſt connectere motiva pœnarum, & quidem in præſente caſu pœnarum æternarum vitæ alterius, quod utique ſolus Deus poteſt. Interim ſocii paciſcentes facto ſuo libero, ad quod prævie non obligantur, conditionem ponunt, ſine qua Deus ad pactum ſervandum non obligat.

II. *Obligatio divina ex pacto ſociali orta eſt naturalis, non tamen abſoluta, ſed hypothetica;* quia non in ſola natura rerum, ſed in facto prævio, nempe in ipſo pacto ſociali, rationem ſufficientem completam habet.

57.

III. *Poteſtas obligandi obligatione humana in ipſis ſociis paciſcentibus ineſt.* Ipſi enim tribuendo & acci-

accipiendo ab invicem jus cogendi, & lædentem conſequenter puniendi (55.), connectunt communi conſenſu motiva tædiorum gravium cum actione, vel omiſſione, pacto contraria (13.).

IV. *Poteſtas hæc invicem obligandi humana ſociis immediate a Deo data eſt cum ipſa poteſtate paciſcendi;* a qua quippe non differt, ut patet ex demonſtratione §. 55.; ſiquidem continetur in omni pacto etiam ſingulari unius cum uno in ſtatu naturæ originario.

V. *Obligatio ipſa humana, activa, & paſſiva, eſt ipſum pactum ſociale,* ſeu conſenſus mutuus, tum active expreſſus, tum paſſive acceptatus & cognitus a mutuo paciſcentibus ſociis. Revera omnes actus §§. 18. 19. 23. enumeratos hic intervenire, facili & obvia reflexione advertes.

58.

Pacto ſociali quocunque determinatur exiſtentia veræ legis ſocialis, divinæ naturalis hypotheticæ, & humanæ poſitivæ, obligantis ad implendum pactum ſociale. Lex enim eſt regula moraliter agendi plures communiter perfecte obligans (17.), quæ objective conſiſtit in ipſa obligatione activa, ſubjective autem in obligatione paſſiva (22. II.). Ergo ubi ubi datur perfecta obligatio divina & humana pluribus communis, activa & paſſiva; ibi datur lex divina & humana; vel naturalis hypothetica, vel abſoluta, vel poſitiva; qualis nempe eſt obligatio. Atqui pacto ſociali determinatur exiſtentia obligationis divinæ naturalis hypotheticæ, & humanæ poſitivæ (ceu contingentis; cum pacto libero oriatur) utraque ſociis omnibus communis (55. 56. II.). Ergo &c. &c.

59.

I. *Omnis ſocietas voluntaria legem propriam ſocialem habet, tum divinam naturalem hypotheticam,*

tum humanam poſitivam, ipſo pacto ſociali expreſſam, & promulgatam active & paſſive (57. III.).

II. *Omnis Societas voluntaria tam in ſui origine gaudet poteſtate humana, divinitus immediate accepta ferendi leges humanas poſitivas, cum obligatione conſcientiæ (ſeu divina) conjunctas, 2'.) quam etiam deinceps in ſua perduratione.* Primum patet ex dictis a §. 56. ſeqq.: alterum ex eo, quod utique ſocii primo pacto jam conſociati, per hoc poteſtate nova pacta ex communi conſenſu adjiciendi non privantur: atqui quodlibet novum pactum commune determinat novam legem (præc.), & poteſtas communiter paciſcendi eſt poteſtas determinandi novas leges (55. 57.).

60.

In Societate æquali, quamdiu pacto ſeu lege aliqua ſociali alius modus ferendi novas leges communi conſenſu determinatus non eſt, leges novæ primæ legi ſeu pacto ſociali (58.) *nullæ omnino adjici poſſunt niſi ex communi omnium conſenſu.* Sicut enim in primo pacto poteſtas paciſcendi, ſeu ferendi legem omnes ſocios obligantem, cumulative erat diviſa inter omnes, quin vel uno diſſentiente lex pacti iſtum ipſum obligare poſſet, ſic talis manet, donec communi conſenſu aliud compromittatur.

* Præterea hic rurſum multa, quæ ad Societatis æqualis indolem plene determinandam a Juris Naturæ ſocialis Doctoribus porro apponi ſolent; quia non jus naturæ ſociale ſcribere intendo, ſed longe aliud propoſitum habeo, ad quod unice collimo.

61.

Votum ſeu *ſuffragium* dicitur declaratio voluntatis ſocii de eo, quid communi conſenſu fieri, vel omitti, ipſe optet. *Votum deciſivum, definitivum,*

vum, appellatur, ſi eo tanquam ratione partiali ſufficiente lex & obligatio communis ſociorum, nec ſine eo ſaltem edito, determinatur: ſecus dicitur *conſultivum*, ſi per modum conſilii tantum detur (15.). Id quod facere ſocii, vel omittere, per vota obligantur, *concluſum* appellatur.

62.

I. *In Societate æquali, niſi aliter conſenſu unanimi concluſum jam ante fuerit, non niſi vota unanimia concludunt, & diſſentiente vel uno omnes diſſentire abſolute intelliguntur* (60.).

II. *In eadem hypotheſi cujuslibet ſocii votum eſt deciſivum.*

III. *Modus aliter concludendi quam per vota unanimia in omni Societate voluntaria primo per vota tantum unanimia determinari in vim legis poteſt.*

IV. *Concluſum obligans legis naturam habet: unde modus concludendi idem eſt quod modus ferendi leges; ac proin modus ferendi leges in Societate voluntaria aut in unanimi conſenſu votorum conſiſtit, aut non niſi id genus aliquo unanimi votorum conſenſu aliter definiri ac determinari poteſt.*

63.

Poteſtas ferendi leges, quæ univerſæ Societati æquali voluntariæ competit pro ſingulis, verum inter homines imperium eſt. Nulli enim alteri poteſtati legislatrici humanæ ſubordinata eſt (35. 34.); cum antecedenter ſocii omnes æquales ſint, & ex hypotheſi in Societate æquali ſocientur (52. II.).

64.

I. *In ſocietate æquali, quamdiu nullum concluſum valet niſi ex votis unanimis, nec proinde alius modus concludendi determinatus eſt, reſpectu legum primum feren-*

ferendarum ſinguli vere adhuc liberi ſunt, & eatenus tota Societas adhuc libera eſt. 2) *Aſt reſpectu legum jam communi conſenſu latarum ſinguli poteſtati legislatrici & imperio totius Societatis ſubjiciuntur, qua ob eas leges violatas puniri poſſunt etiam inviti.* Tranſit enim hoc jus puniendi in læſos, nec ipſis cum lædente ſocio commune eſt; etſi poteſtas legislatrix, id eſt, pactum vim legis habens ineundi, cumulative cum eo commune erat, qui poſtea pactum violando eosdem lædit (53. not.).

II. *Libertas ſingulorum ſociorum etiam quoad leges futuras perire incipit, dum ſocii unanimis votis alium modum concludendi quam per unanimia vota decernunt.* Tunc enim jam non ſinguli ſuo voto libero impedire poſſunt, ne novis legibus ligentur.

III. *In caſu tamen etiam Cor. præc. adhuc tamen tota Societas ut una perſona moralis* (44.) *libera manet, ac independens;* quia necdum alterius a ſe adæquate diſtinctæ perſonæ poteſtati morali ejus libertas communis ſubjicitur.

65.

Societatis perfectio abſoluta ex perfectione finis ſimul atque ex ſufficientia mediorum ad eundem conſequendum, *perfectio* vero *in ſuo genere* tantum ex ſola ſufficientia mediorum ad finem ejus generis ſocietatibus proprium, conſiſtit (86. 88. Ontol.).

I. *Societatis humanæ perfectio metienda ex felicitate, quam pro fine habet, & ex mediis, quæ pro eo conſequendo habet in ſua poteſtate morali.*

II. *Eadem perfectio metienda ex numero & qualitate ſociorum;* quia ſinguli ſocii ſunt ſingula media.

ARTI-

ARTICULUS III.

DE SOCIETATE INÆQUALI VOLUNTARIA.

66.

Imperium, quod originarie in Societate tota voluntaria æquali eſt (63.), *ab hac vel retineri poteſt* (60.), *vel votis unanimis* (*non aliter*) *in perſonam aliam, unam, vel plures, ſeu totum, ſeu ex parte limitatum, transferri.* Jus enim tuum an, quo modo, & in quem, transferre velis, utique in tua, cujus ſolius eſt, poteſtate eſt: ſed neque, ſi tuum vel ex toto, vel ex parte ſaltem cumulative eſt (5.), ſine tua voluntate in alium transferri poteſt. Atqui imperium in Societate æquali originarie eſt cumulativum jus omnium ſociorum commune (63. 64.). Ergo &c.

67.

Imperii ſummi poteſtas, quam Societas voluntaria æqualis unanimis votis transferre in aliam perſonam quamcunque poteſt (præc.), *in natura & qualitate ſua, & in ratione poteſtatis moralis* (1.) *determinatur per finem Societatis primo pacto ſociali una cum ipſa Societate conſtitutum.* Non enim niſi hujus finis intentione & ipſi pactum ſociale & Societatem ipſam iniere; nec niſi hujus finis eo certius obtinendi cauſſa imperium antea ipſi exercebant; nec niſi ejusdem finis intuitu imperium transferunt in alium. Ergo, niſi expreſſe aliud ſignificent, nihil aliud quam imperium, ſeu poteſtatem legislatricem ſupremam (35.) in ratione poteſtatis moralis (non juris & liberi arbitrii) per ipſum finem ſocietatis primitivum determinatam per ſe transferunt, vel transferre cogitant.

68.

Exercitium imperii in Societate *regimen*; ratio perſonæ, phyſicæ, vel moralis, quæ imperium exer-

exercet (44.), *forma regiminis* appellatur; perſona denique ipſa *rector Societatis*, vel *Princeps*. Si imperium a tota ſocietate adhuc æquali exercetur, *regiminis forma democratica*; ſi in plures perſonas ſociales certo numero ſelectas translatum fuerit, *forma Ariſtocratica*; ſi in unam perſonam phyſicam, *Monarchica* vocatur: ſi denique varie diviſum inter unum & plures, vel inter unum & omnes, vel inter omnes & plures fuerit, *mixta regiminis forma* dicitur.

69.

Modus regiminis dicitur, ſub quo tanquam conditione eſſentiali exerceri imperium debet, ut eſfectum ſortiatur. Talis modus eſſe ex. gr. poteſt, ſi Monarcha in legibus ferendis prius audire ſaltem conſilia ſui ſenatus debeat; vel ſi in regimine Ariſtocratico, vel Democratico, concluſa de legibus ferendis fieri non poſſint niſi per unanimia vota, vel per majora, vel per duas tertias &c.

70.

Leges fundamentales Societatis cujusque dicuntur, quæ illius exiſtentiam, & qualitatem, ſeu ſpeciem, determinant. Unde *leges fundamentales ſunt tum lex primi pacti ſocialis, quo ipſa Societas certi finis ultimi communibus junctis viribus conſequendi cauſſa initur, & conſtituitur; tum illa, quo forma & modus ſtabilis ac conſtans regiminis determinantur.*

71.

Finis ultimus, ſeu commune bonum, cujus cauſſa hæc individua Societas inita & conſtituta eſt, *ſalus publica* appellatur. Quoniam ergo finis ultimus prima ratio ſufficiens eſt omnium mediorum, cur ſcilicet iſta in ſpecie applicentur; idemque regulas circa media determinet; leges autem

ſint

ſint regulæ ejusmodi (17. 14.); *evidens eſt, quod ſalus publica recte dicatur prima ratio ſufficiens omnium legum Societatis.*

72.

I. *Leges fundamentales æque a rectore quocunque Societatis atque a ceteris ſociis ſervari debent:* quia earum obligationi æque ille imperium ſub tali forma & modo regiminis acceptando, atque iſti transferendo idem in illum, conſenſere.

II. *Socii omnes lege formam regiminis determinante rectori Societatis cuicunque, in quem imperium transfertur, vere ſubjiciuntur.* Eſt enim illius imperium ſeu poteſtas legislatrix ſuprema eadem, quæ prius inerat in Societate adhuc æquali, per vota unanimia exercenda (52. II. 63. 64.).

III. *Rector Societatis ſummo imperio inſtructus, ſervato modo regiminis per legem fundamentalem determinato, poteſt ferre leges humanas; totam Societatem etiam in conſcientia obligantes,* ob eandem rationem (60.).

ARTICULUS IV.

DE SOCIETATE LEGALI INÆQUALI, ET QUAVIS ALIA ALTERI MAJORI SUBORDINATA.

73.

In Societate legali leges fundamentales vel omnes, vel ſolum aliquæ ex eis, determinantur lege ſuperioris, id eſt, illius, cujus poteſtati morali jubendi libertas omnium ſociorum jam a priori ad nexum talis Societatis ſubjicitur (24. 41.): in primo caſu *Societas mere legalis*, in altero ſocietas mixta, id eſt, *partim legalis, partim voluntaria,* recte appellatur.

74.

Etiam in ſocietate humana voluntaria lege mere humana rectoris, ſeu Principis ſupremo imperio fungentis, minor quædam ſocietas, ceu pars majorem illam componens, conſtitui poteſt. Cum enim omnis ſocietas, ceu perſona moralis, obligationis ad aliquem finem junctis viribus perſequendum capax ſit (44.); per ſe non repugnat, ſocietatem unam ſimpliciorem inſtar partis componentis communi obligationis ejusdem ſocialis nexu alteri ſocietati magis compoſitæ adſtringi; modo vel ipſe finis peculiaris & proprius talis ſimplicioris ſocietatis inſtar medii apti ad communem majoris compoſitæ ſocietatis finem promovendum ſerviat, vel certe ita obtineri per propria media poſſit, ut ſocii ſimplicioris id genus ſocietatis ſatisfaciendo obligationi particulari non impediantur, nec minus idonei reddantur ad ſatisfaciendum obligationi communi ſocietatis majoris compoſitæ.

75.

In eadem ſocietate humana voluntaria majore lege mere humana rectoris ejusdem minor quædam ſocietas conſtitui poteſt, tam legalis, quam voluntaria, quæ illam majorem ut pars aliqua componat. Poteſt enim vel rector ipſe ſociorum ſibi jam ſubditorum aliquos ſpeciatim ſeligere, eosque lege lata ſeorſim obligare, ut vires jungant ad ſpecialem aliquem finem conſequendum, qui ceu particulare medium fini communi, ſeu bono communi, totius majoris ſocietatis promovendo inſerviat; & tunc per §. 41. hæc minor Societas majori inſerta *erit ſocietas legalis:* vel poterit idem ſolum permittere non nullis ſociis, ut libera voluntate ſocietatem inter ſe finis cujuscunque cauſſa ineant, qui bono & fini communi majoris Societatis ſaltem nihil obſtet, atque lege lata ceteros ſocios obligare, ne iſtius

mino-

minoris ſocietatis ſeorſim particeps conſocios a conſectando & conſequendo proprio particulari fine non impediant; quoad illum mediis communi bono non præjudicantibus conſequi elaborabunt; quo caſu talis minor *Societas erit voluntaria* ſimul, & tamen omnes ejus ſocii ſimul ut pars majorem illam component (41.).

76.

Societas minor, tam legalis, quam voluntaria, quæ in majore aliqua Societate humana voluntaria lege etiam mere humana rectoris ex aliquo illius ſociorum numero ſeorſum conſtitui poteſt, utraque poteſt eſſe vel æqualis, vel inæqualis. De voluntaria patet ex dictis §§. 52. II. 53. 54. 60. *De legali* inde id ipſum conſtat, quod, ſicuti rector Societatis majoris omnium membrorum etiam minoris Societatis, quæ illius pars ſit, ſuperior eſt, ita, ſi bonum commune id exigat, poſſit partem ſuæ poteſtatis legiſlatricis & jurisdictionis in ſocios, a ſe peculiari Societati legali adſtrictos, vel uni alicui ex ipſis ſeorſum in ceteros, vel pluribus ſimul, tranſcribere, atque ceteros obligare, ut illi, vel iſtis, ſubjaceant in iis, quæ in ordine ad finem particularem minori ejusmodi Societati proprium, lege lata jubebunt, aut vetabunt (72. III.).

77.

Omnis tamen poteſtas legiſlatrix, quæ ineſt membris quibuscunque Societatis minoris, quæ alterius majori Societati, ceu jam antecedenter aliunde exiſtenti, ceu pars de novo inſeritur vel lege ipſius rectoris communis, vel pacto voluntario aliquorum ſociorum particulari cum illius permiſſu inito, nunquam non ſubordinata eſt, & ſubordinata manet poteſtati legiſlatrici & jurisdictioni rectoris illius communis majoris Societatis; quamdiu Societas ipſa illa major

pergit exiſtere, aut ſocii minoris illius Societatis pergunt eſſe membra iſtius majoris. Si enim talis minor ſocietas legalis ſit, id eſt, lege rectoris communis conſtituta; ejus exiſtentia, ut in ſui ortu, ſic & in conſervatione ſemper, dependet a poteſtate morali legislatrice ejusdem, obligante ſocios minoris ſocietatis ad vires peculiaris finis cauſſa jungendas (75.): ergo cum poteſtas legislatrix minori ſocietati propria ſine ſocietate ipſa exiſtere non poſſit, erit etiam ipſa ſubordinata poteſtati morali rectoris communis (34.). *Si vero eadem ſit voluntaria*; cum tamen antecedenter omnes ejus ſocii ſubjiciantur rectori communi; cui non jus liberum, ſed ſolum poteſtas moralis in ſubditos quoscunque competit (1.); non poterit is aliam ſeorſum de particulari fine paciſcendi libertatem membris aliquibus majoris Societatis concedere; niſi quoad finis ille, & illum conſequendi ſtudium, fini & bono communi Societatis majoris non obeſt; quippe cui promovendo aliunde & rector & omnes ſocii jam obligantur. Ergo quamprimum & quoties conſervatio ſocietatis minoris, ejusque obligationis & nexus exiſtentia, obeſt communi bono majoris, moraliter poteſt imo obligatur rector communis tollere ac ſolvere ſocietatem minorem; ac proin hujus juxta atque omnis poteſtatis legislatricis eidem propriæ exiſtentia a poteſtate morali rectoris communis majoris ſocietatis dependet, eidemque omni tempore ſubordinatur (cit.).

78.

Si rector majoris Societatis ſolum jubeat, ut pars ſociorum ſpecialem ſocietatem ineat vires jungendo peculiaris cujusdam finis conſectandi cauſſa, relicta illis plena libertate determinandi modum, quem inire velint in executione finis illius & obligationis ſibi a rectore impoſitæ; ſocietas ipſa talis quoad originem

ſui

ſui in genere ſocietatis & in ſpecie media erit legalis (41.); quia & exiſtentia ejus in genere, & finis in ſpecie, Superioris lege determinatur: *quoad formam tamen & modum vero regiminis & in ſpecie infima ſimul erit voluntaria* (cit. 68. 69.); quia a communi ſociorum ejus pacto pendebit utriusque determinatio tamdiu; quamdiu nulla ſuperioris lege libera eis circa hæc voluntas, & communis æqualitas moralis, eisdem erepta eſt: *ac proinde*, poſtquam formam & modum regiminis pacto mutuo proprio determinarint, *erit id genus minor Societas alteri majori ſubordinata, legalis ſimul & voluntaria, ſeu mixta ex utraque* (73.).

79.

Ad quam ſocietatem ineundam rector aliquis communis ſocietatis voluntariæ, quiscunque, & cujuscunque, obligare quosdam ſeorſum ſocios ſibi ſubditos poteſt; ad eandem, ſeu ejus analogam, per eminentiam homines quoscunque Deus Opt. Max. poteſt. Habet enim iſte ſummam poteſtatem moralem & dominium in omnes creaturas rationales abſolutum (Theol. Nat. 625. 642.); & omnis poteſtas legislatrix, cuicunque ſocietati voluntariæ conveniens, & a ſociis in origine ſocietatis adhuc æqualibus transferenda in rectorem quemcunque, ab ipſo Deo accepta eſt (52. II. 57. IV. 66.). Ergo &c. Itaque I. *Deus finis ultimi creationis uberius conſequendi cauſſa inter homines naturali & neceſſaria Societate jam unitos* (43.) *aliam quoque legalem Societatem lege poſitiva, ſeu ſupernaturalem, conſtituere poteſt* (42.), *eamque vel æqualem, vel inæqualem; item mere legalem*, determinando ſua ipſius lege formam & modum regiminis, *vel mixtam ex legali & voluntaria*, imponendo ſolum oligationem Societatis talis in genere & ſpecie media, & relinquendo arbitrium libero conſenſu determinandi for-

mam & modum exercendi imperii ipſis hominibus conſociatis. II. *Homines ſocietate quacunque legali divina, ſeu naturali, ſeu ſupernaturali, adſtricti non poſſunt voluntaria quavis ſocietate inita ſe pacto mutuo obligare ad aliquid fini & obligationibus Societatis legalis inter ipſos a Deo jam conſtitutæ contrarium:* ſiquidem omnis illa paciſcendi mutuo & leges humanas ferendi poteſtas a Deo eſt, & poteſtati ſummi omnium legislatoris ſubordinata (77. 57. IV.). III. *Deus poteſt ſocietatem quamlibet legalem inter homines conſtituere ſic, ut vel omnes omnino homines ea adſtringantur;* cum videlicet de fine communi omnium hominum ultimo, & mediis abſolute cuivis illorum ad eum conſequendum neceſſariis agitur; *vel ut eadem conſtringantur ſolum aliqui eorum certæ conditionis ac numero certo;* cum nimirum agitur de fine aliquo proximiore magisque immediato, qui a Deo ope conſtitutæ talis Societatis ſolum intenditur ut medium aliquod non ad ſubſtantiam finis ultimi, ſed ſolum ad majorem ubertatem ejusdem conſequendam utcunque, per ſe, vel per accidens, neceſſarium a ſe præviſum.

SECTIO

SECTIO II.

DE INSTITUTIONE DIVINA ET NATURA SOCIETATIS ECCLESIASTICÆ CHRISTIANÆ.

CAPUT I.

PRINCIPIA PRÆVIA DE USU SCRIPTURÆ VETERIS AC NOVI TESTAMENTI IN PRÆSENTIS ARGUMENTI DEMONSTRATIONE.

80.

1'.) *Recte in hoc toto tractando argumento ſupponitur demonſtrata jam eſſe divinitas religionis a Chriſto Domino revelatæ ex ſcriptis utriusque teſtamenti* (ut vocamus) *ceu habentibus ſummam authentiam hiſtoriæ ſaltem humanæ, in qua tamen plurima divinitus tum dicta, tum facta, fide irrefragabili referuntur.* Vide Demonſtrationem Evangelicam a §. 302. & a §. 248: ubi nihil de hoc loco dicendis ſupponendo, authentiæ illorum hiſtoricæ certitudo demonſtrata contra Theiſtas a me fuit.

81.

2'.) *Nondum vero ullo pacto ſupponi poteſt divina origo ipſius Scripturæ utriusque teſtamenti, ut Verbi Dei ſcripti, ſeu ſcripti divini.* Neque enim ſcriptores ipſi, nempe Moſes, ceterique hiſtorici & Prophetæ Judaici, aut Apoſtoli & Evangeliſtæ Jeſu Chriſti, hoc ipſi teſtantur ſingillatim de ſe ipſis, quod ſcripſerint dictante & movente Deo & Spiritu ſancto; nec teſtes alii immediati ſatis authentici iſtius meri *facti*, imo ne mediati qui-

dem tales ſuppetunt, qui hoc immediate ex Apoſtolis audiviſſe aut certo conteſtentur, aut probent. Itaque non niſi traditione aliqua oretenus ad nos transmiſſa nobis de hoc facto primo per ſe conſtat, cujus traditionis prima origo, primique nuntii, aut horum certa teſtimonia, immediate ac determinate perſpecta non ſunt. Quapropter ſine dubio demonſtrari primum aliunde, ex criterio vel Scripturæ utrique intrinſeco, vel extrinſeco, debet, eam non auctore mero homine, ſed Deo, ex toto conſcriptam fuiſſe.

* Catholicæ religionis Doctores communiter divinam Scripturæ originem ex traditione oretenus facta probant; cujus traditionis veritatem judicio Eccleſiæ totius, in id genus argumento falli neſciæ, extra dubium reponi docent. At enim, cum in præſente tractatione ipſius Eccleſiæ inſtitutio a Chriſto & Deo facta primum demonſtranda veniat, nec proinde jam ſupponi poſſit: etiam divina Scripturæ origo nondum pro certa aſſumi a Catholico Doctore poteſt.

** Ceteri Chriſtiani Doctores Proteſtantium e numero, Theiſtis hoc factum divinum probare ſolent vel ex notis intrinſecis Scripturæ, nimirum *puritate & ſanctitate doctrinæ*, vel extrinſeca *ex auctoritate* ſeu *teſtium facti hujus*, ſeu *teſtium propriæ fidei de hoc facto*, quales *Martyres* appellamus; qui teſtimonium fidei ſuæ toleratione acerbæ mortis dedere: alii denique *ſenſationem internam divinæ virtutis* Spiritus Sancti, Scripturarum lectione in corda hominum ſeſe exerentis pro criterio divinitatis illarum aſſignant. At enim quantis difficultatibus id genus ordo quilibet demonſtrandi Scripturarum divinam originem ſubjaceat, ſuo loco oſtendam, de vero Canone, authentica interpretatione, ac verſionum ejus judice legitimo acturus ex inſtituto.

*** Mul-

*** Multo itaque conſultius me acturum confido, ſi demonſtrationi accurate inſiſtens, nihil aſſumam; niſi quod vere jam aliunde a me demonſtratum alibi eſt (præc.).

82.

3'.) *Scriptura etiam Evangelica, & Apoſtolica, non omnis, nec ubique ſatis clara eſt, ut de ejus vero ſenſu quisque lector etiam bona mente & voluntate præditus ſatis certus eſſe poſſit*: idque 1'.) *ob reconditam antiquitatem*; cujus cauſſa ſcire oporteret res geſtas illorum temporum, illius ætatis gentium mores, varios ritus & conſuetudines, temporum rationes, & ſitus locorum; quid ſcilicet actum, quomodo, quando, ubi &c. Jam lege ſis hiſtoricum, quem volueris ex tam antiquis, & vide ſis, an ex. gr. Julii Cæſaris omnia ſine commentario ſat copioſo intelligas: 2'.) *ob linguarum originariarum imperfectam notitiam;* quarum idiotiſmis, Syriſmis videlicet & Helleniſmis, non rite perſpectis, loca innumera obſcurantur: 3'.) *ob myſteriorum traditorum altitudinem*, & *prophetiarum* hinc inde occurrentium *myſticam obſcuritatem.*

* Equidem prudens mihi perſuadere non poſſum, credi ab ipſis Proteſtantium Doctoribus, claram ubique eſſe Scripturam divinam. Cur enim Anglicanæ religionis conſortes Academici Cantuarienſes poſt duo ſecula elapſa hodie ſolenni conteſtatione litis de 39 Articulis ſuæ religionis fatentur publice, a ſuis Majoribus, qui ſymbolum hoc edidere, non rite fuiſſe Scripturam intellectam? Aut cur (quod in novellis Literatorum Ratisbonenſibus Ao. 1772. menſe Aprili in ſupplemento Cap. IV. legere erat) cur, inquam, Clariſſ. D. Joan. Chriſt. Frideric. Schulz Prof. Orient. & Græc. literat. Gieſſenæ denique poſt diuturnam plurium annorum deliberationem quem Scripturæ commentarium ex tanto numero homini Theologiæ omnibus diſciplinis jam probe imbuto ceu ſatis utilem, & ſuffi-

cientem immenſis Scripturæ obſcuritatibus illuſtrandis, legendum commendare deberet, demum interpretationem gallicam Di. Polier legendam ſuadet; qui auctor annos omnino 57 integros in docendis linguis orientalibus contriverit; poſtquam omnem ſuam juventutem in peragrandis celebrioribus Angliæ & Bataviæ Academiis conſumſiſſet, & immenſa lectione neceſſariam penum ad tantæ molis opus ex inſtructiſſima bibliotheca hauſerat, quæ ad manus eidem erat: qui demum opus illud 30 ante mortem annis poſt tantam præparationem cœptum ipſo anno vitæ ultimo eoque 84. abſolvit. Sed ne quid nimium de Scripturæ obſcuritate prædicemus, ajo porro:

83.

4'.) *Scriptura non omnis, nec ubique, obſcura eſſe aut dici prudenter poteſt; ſed in quibusdam, inſtar hiſtoriæ ſaltem humanæ authenticæ, pro ſatis clara aſſumi ab omnibus Chriſtianis debet, qui Chriſtum contra Theiſtas ut Magiſtrum divinum, & ſcriptores Evangelicos pro teſtibus ſumme authenticis, ipſamque Scripturam Evangelicam & Apoſtolicam perinde atque veteris teſtamenti libros ſacros pro documento ſaltem hiſtorico ſumme authentico & ſufficiente agnoſcunt, ex quo divinitas religionis a Chriſto Domino traditæ manifeſto demonſtrari poſſit.* Quodſi enim bonus ac ſufficiens uſus aliquis præfatarum omnium Scripturarum revera eſt ad religionem divinitus revelatam contra Theiſtas plane demonſtrandam; profecto vel ipſa in locis illis, quæ uſum ejusmodi habent, ſat clara per ſe eſſe debet, vel interpres authenticus ſuppetere debet, cujus auctoritas Theiſtis perſpecta ſit: atqui poſterius non eſt: ergo prius illud veriſſimmm eſt.

84.

5'.) *Etſi nondum conſtet in præſente tractatione, Scripturas utriusque teſtamenti divina inſpiratione ſcri-*

ſcriptas fuiſſe: tamen verba illa, quæ ab Evangeliſtis ceu ab ipſo Chriſto Domino in perſona propria dicta fuiſſe referuntur, pro ipſius Chriſti verbis, divinam auctoritatem falli neſciam habentis, certiſſime haberi debent ab omnibus; quicunque perſuaſum habent, Theiſtas ex eisdem ſacris Scripturis, ceu documento ſaltem hiſtorico ſumma fide humana certo, de religionis a Chriſto traditæ divinitate revera convinci.

85.

6'.) *Concepta Chriſti Domini verba, quæ in Scripturis Evangelicis referuntur, quibus idem omnibus doctrinæ ſuæ aſſeclis leges quasdam & media ſalutis ceu abſolute neceſſaria præſcribit, vel certi vi literalis ſenſus verborum aperte præſcribere videtur, aut pro claris haberi a profitentibus Chriſti fidem & ſequelam debent; aut certe Chriſtus ipſe Dominus pro ſua divina ſapientia & pietate eorundem interpretem falli & fallere neſcium eis ſufficere debuit, qui, ipſo a nobis ſecedente, vice illius neceſſarias ad ſalutem religionis ſuæ regulas, leges, & media ſalutis nos certiſſime edoceret.* Quisquis enim ex Chriſti aſſeclis ſtare hac regula renuit, ceu principio indubitato; is ſane omnem Chriſti Domini Sapientiam & Sanctitatem, quam contra Theiſtas merito tantopere commendamus, reipſa evertit, omnemque divinitatis ſpeciem eidem detrahit. Laqueos certe potius conſcientiis ac ſaluti noſtræ ſtruxit, merumque religionis chaos induxit; ſi identidem pro legislatoris poteſtate loquens graviter nobis edixit: *niſi hoc, niſi illud, niſi iſtud feceritis, non intrabitis in regnum cælorum;* & nihilominus in dubio inſuperabili nos reliquerit, ad quid reipſa ab eo obligemur; an obligemur omnes, nullo excepto; quomodo ſatisfacere obligationi noſtræ poſſimus &c. &c.

86.

7'.) *Maxime omnium clara haberi debent ea Chriſti verba, quibus cuidam ex hominibus, uni, vel pluribus, vices ſuas, aut munus docendi ac declarandi, vel diſcernendi veras leges ſuas ac ſe de mediis ad æternam ſalutem neceſſariis traditas contuliſſe cum ſuprema interpretis, aut etiam legislatoris auctoritate & jurisdictione, ſpectata ſaltem obvia & literali verborum ſignificatione, aperte videtur.* Eadem enim eſt hujus principii atque §. præc. traditi neceſſitas ad ſalvandam ſapientiam & pietatem Chriſti Domini erga ſuos aſſeclas; eædem ſequelæ, ſi negetur illud, atque ſi iſtud in dubium vocetur. Si verbis quibusdam apertis anſam dedit Chriſtus Dominus prudenter credendi ex obvio verborum ejus ſenſu, quod cuidam vices ſuas in docendo & regendis cum juſta auctoritate fidelibus aſſeclis ſuis dederit; quin tamen ſerio & revera has vices ſuas in eum transtulerit; enimvero in errorem ipſe ſuos fideliſſimos quosque ſectatores induxit, ſimulque ſciens auctor extitit omnium litium, controverſiarum, ac turbarum, quæ poſtea occaſione exiſtimatæ iſtius poteſtatis ab ipſo inſtitutæ erant in omni Chriſtiano orbe exituræ.

87.

8'.) *Scriptores Apoſtoli & Evangeliſtæ, ſiquam circa poteſtatem a Chriſto inſtitutam uni ex ipſis ante ceteros conceſſam prærogativam ab eodem eſſe memorant, ceu teſtes contra ſe ipſos teſtimonium ſincerum ferentes, iisdem in locis ſummam præ aliis omnibus merentur fidem in recenſendis fideliter ac præciſe ipſiſſimis Chriſti verbis.*

*** Enimvero, quid principiis ſeu octo regulis iſtis ad omnem certitudinem deſit, non video; nec puto, eas vocari in dubium poſſe ab eo, qui juſtam de Chriſti Sapientia ac Sanctitate ideam mente conceperit. Secundum has**

itaque

Itaque regulas, nec aliter, *uſum Scripturæ in decurſu* præſentis tractationis faciam.

** Pariter, cum in proxime ſequentibus ſubinde allegabo *auctoritatem Concilii Æcumenici* ex. gr. Tridentini, *& Eccleſiæ Catholicæ Paſtorum* in eo congregatorum definitiva judicia circa diverſa dogmata & ſenſum S. Scripturæ ceu Verbi divini; non alio fine id faciam, niſi ut lemmatis inſtar ſuppoſita infallibilis Eccleſiæ auctoritatis demonſtratione ab his independente inferius a me afferenda, iſthic compendio utar, atque veluti per regreſſum homini jam Catholico oſtendam, idem, quod ex aliis rationibus affirmo, etiam Eccleſiæ Catholicæ ſolenni judicio comprobari.

CAPUT II.

DE VERA SOCIETATE SPIRITUALI ET VISIBILI, QUAM ECCLESIAM VOCAMUS, DIVINITUS A CHRISTO DOMINO INSTITUTA.

§. I. *Primordia Eccleſiæ Chriſti, ſeu prima initia, demonſtrantur.*

Facta historica ex Pentateucho Mosis, atque inprimis ex libro Geneſis. 1'.) Omne genus hominum, tellurem incolentium, ex unis parentibus, Adamo & Eva, ortum eſt; qui in Paradiſo creati a Deo, eſu pomi præcepto divino poſitivo vetiti pœnæ mortis & exilii e Paradiſo reatum incurrere, atque ad vitam una cum poſteris ſuis labore ſuſtentandam condemnati a Deo fuere. 2'.) Cum vero poſteri Adami pæne omnes morum malitia corrupti, tota cordis cogitatione intenti eſſent ad malum omni tempore (Gen. VI. 5.); idem creator omnium Deus generali aquarum

rum diluvio, totam tellurem inundante, omnes delevit, una Noëtica familia, octo capitibus conſtante, excepta: ex qua deinceps genus humanam omne ſequens diſſeminatum eſt ſuper omnem terram (Gen. IX. 19.). 3') Ex poſteris Noë porro Deus ſibi Abram filium Thare ſelegit, eumque conſtituit in Patriarcham gentis peculiaris, quam ſeorſum à ceteris omnibus terræ populis Deus ipſe continuo familiari uſu & colloquio, ac proinde modo & mediis plane ſupernaturalibus, ſibi ceu populum ſingulariter electum ac conſecratum formavit; cujus ſub nomine gentis Hebræorum hiſtoriam libri Scripturæ veteris, ut vocamus, teſtamenti, antiquitate pene omnibus libris aliis ſuperiores, præcipue complectuntur. 4'.) Hujus populi electi primis progenitoribus, Abramo, Iſaaco, & Jacobo, Deus ſæpius ſpeciatim privato in alloquio promiſit, ex eorum ſemine germen venturum, per quod benedictio divina & ſalus in omnes gentes terræ ceteras diffundenda eſſet (Gen. XVIII. 18. & XXII. 18.).

89.

Deus revelavit inde ab exordio generis humani dogmata ad ſalutem hominum æternam ceu finem ultimum pertinentia, inprimis de ſua ipſius exiſtentia, de futuro aliquo ſalutis humanæ mediatore, & futura omnium reſurrectione in carne propria, ac proin de ſecutura omnium vita altera, in qua præmia & pœnas bene vel male in vita præſente actorum modo ſupernaturali omnes recepturi eſſent. Nam 1'.) *ſui exiſtentiam*, etſi lumine ſolius naturæ quoque cognoſci poſſet, revelavit tamen toties repetito familiari alloquio Adami & Evæ, Caini, Noemi &c. ſive jam id fecerit immediate, ſeu per angelos extra communes naturæ leges miſſos ad edocendos homines. 2'.) *Cetera* quoque divinitus toti humano generi revelata fuiſſe diſcimus ex libro

Job

Job (qui veriſimilius Moſi contemporaneus, certe antiquiſſimus, & neutiquam ex Hebræo ſtemmate prognatus princeps fuit) Cap. XIX. 25. dicentis: *ſcio, quod redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum:* ubi & divini judicii futuri metum Job amicis ſuis imprudentibus intentat v. 29. dicens: *fugite ergo a facie gladii; quoniam ultor iniquitatum gladius eſt; & ſcitote eſſe judicium.* Jam vero iſthæc ſciri ſolo rationis naturalis acumine ne quidem poterant, ceu a decretis Dei liberis pendentia &c.: ergo dicendum, aut falſo credita a Jobo eſſe, aut, ſi vera ſint dogmata, divinitus fuiſſe revelata: atqui falſa non eſſe Chriſti ipſius mortuorum reſurrectionem & prœmii pœnæque futura in vita æternitatem toties docentis (Vide Ethic. Chriſt. Univ. §§. 245. 247. 277.) effatum & præſens Mediatoris officium demonſtrat: ergo Dei voce revelata aliquando jam ante Jobi tempora fuiſſe neceſſe eſt.

90.

Revelationis §. præc. memoratæ certa notitia primis mundi ſeculis ante Moſen facillime conſervabatur, & transmittebatur ad poſteros ſola traditione ſeu teſtimonio majorum oretenus lato. Cum enim majorum & parentum ætas mille ſexcentis & quinquaginta ſex annis illis, qui fluxere ante diluvium, ad nongentos & amplius annos, poſt diluvium vero uſque ad tempora Moſis vulgo pœne ad ſeſquicentum & amplius annos extenderetur, ſummaque eſſet auctoritas majorum & parentum illorum, atque filiis perſpecta virtus; teſtimonio illorum fidem irrefragabilem ultro filii ac poſteri habebant. Porro cum conſtet, literarum & artis ſcribendi inventionem ante Ægypti regnum fundatum factam haud eſſe; per ſe patet, non niſi oretenus transmitti teſtimo-

ſtimonia de quorumvis dogmatum facta divina revelatione potuiſſe.

91.

Omnes homines, qui inde ab Adam fuere, ut primum parentum & majorum ſuorum ſerio teſtimonio de dogmatum quorumdam facta a Deo revelatione certo edocti fuere; continuo gravi lege Dei hypothetice neceſſaria ac naturali obligati fuere ad indubitato credendum Deo revelanti, non ſolum non inficiando dogma revelatum, quod importaret contemtum formalem divinæ aut ſcientiæ, aut veracitatis, lege naturali caritatis Dei prohibitum (Ethic Univ. Chriſt. §. 386.), *ſed etiam adſtipulando eidem firmo aſſenſu;* quippe promulganti dogma fundamentale (ibid. §. 388.).

* Eccleſiæ Catholice auctoritas etiam ſenſus univerſalitatem in illo dicto S. Pauli ad Hebr. XI 6. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere autem oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit,* convenienter toti contextui illius capitis (quippe in quo fides omnium juſtorum inde ab Abel uſque ad Machabæos commendatur) authentico ſuo oraculo extendit uſque ad prima mundi initia, dicente ibidem ipſo Apoſtolo v. 3.: *fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent;* ubi & *fidem* v. 1. definit tum ab objecto *ſperandarum ſubſtantiam rerum,* tum in ſe ipſa eſſe ait *argumentum non apparentium,* atque in iſta fide juſtitiæ *teſtimonium ſenes,* id eſt, juſtos veteris teſtamenti, *eſſe conſecutos. Sine hac* fide, ait Tridentinum Concilium Seſſ. VI. cap. VII., *nulli unquam juſtificationem contigiſſe;* ejusque actus ſupernaturales omnibus adultis hominibus fuiſſe neceſſarios ad ſalutem omni tempore, jam oſtendi item in Ethic. Univ. Chriſt. §. 529.

92.

92.

Societatem inſtituere is dicitur, qui eſſentialia Societatis determinatæ ad exiſtentiam determinat. *Societas ſpiritualis* eſt, cujus finis primarius ultimus eſt bonum commune ſociorum non ad vitæ præſentis & temporaneæ, ſed futuræ ac æternæ, beatitatem pertinens. *Societas viſibilis* appellatur, quando ex ſigno ſenſibili legali, ſeu lege ſociali ſtabiliter conſtituto, & vim ſignificandi ab eadem lege habente, dignoſci poteſt, tum quod talis Societas inter homines exiſtat, tum quinam ejus conſortes ac ſocii ſint, qui non ſint.

93.

Deus itaque inde ab initio hujus mundi inter omnes homines contemporaneos Societatem inſtituit legalem non modo naturalem (41 43. 51. 52. I.), *ſed ſupernaturalem.* Obligatione enim communi & lege non mere naturali, ſed ſupernaturali fidei divinæ, ad credenda dogmata fundamentalia religionis eos adſtrinxit, eo fine, ut fidei iſtius conſervatione & ope vires mutuas eo efficacius jungerent ad communem alterius futuræ vitæ beatitatem conſequendam & promovendam (præc. 43.): ergo (42. 92. 40. II.) &c. &c.

* **Quoniam hæc Societas univerſalis erat, & communis omnibus hominibus, non opus erat certo ac *determinato* aliquo ſigno legali, quo *viſibilis* redderetur, aut diſcerni poſſet ab alia.**

94.

Facta *ex Pentateucho Moſis, & præcipue ex libris Exodi, Levitici, Numerorum, & Deuteronomii, nota & aperte conteſtata.* 1.) *Deus ipſe per Moiſen, ceu Miniſtrum ſuum* (36. not.), *Hebrææ genti leges novas ſpeciales tulit, ac promulgavit; quæ in Exodo inde*

inde a Cap. XX. uſque ad finem Deuteronomii recenſentur. Ibidem enim lex Moſaica tradi incipit, & Moſes ipſe aperte aſſeverat: *locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos;* atque Exod. XXIV. 3. refert, & ſe narraſſe tanquam Dei leges, & populum pro talibus acceptaſſe: *narravit* (Moſes) *plebi omnia verba Domini atque judicia, reſponditque populus una voce: omnia verba Domini, quæ locutus es, faciemus.*

2°.) *Soli Hebræi, id eſt, Abrahæ poſteri ex Iſacc & Jacob, lege per Moſen lata obligabantur:* his enim ſolis Deus loquitur, quos eduxerat de Ægypto: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti.*

3°.) *Finis omnium legum Moſaicarum ſpecialis ac proprius erat, ut* in tanta corruptione reliqui humani generis, neglectu, & incuria ſalutis, ceu finis ultimi omnium communis, atque exinde orta oblivione dogmatum fundamentalium religionis, etiam a Deo ſpeciatim revelatorum (89.) & promulgatorum (90.), ſibi partem aliquam hominum ſpeciatim deligeret, quam ipſe veluti proprio Numine ſemper præſente inſtrueret, regeret, & gubernaret ac proin ope id genus ſpecialis populi *in mundo publicam fundamentalium dogmatum notitiam, atque fidem, conſervaret uſque ad* felicis illius temporis adventum, quo *Meſſiam*, veluti novum legiſlatorem, ſimilem Moſi, imo hoc etiam excellentiorem mitteret; prout aperte promittebat Deus ipſe Deut. XVIII. 15. Finem hunc apertiſſime Deus expreſſit Exod XIX. 5. dicens: *ſi pactum meum cuſtodieritis, eritis mihi in peculium de cunctis populis, in regnum Sacerdotale, & gens ſancta:* idemque relucet ex univerſis legibus, & præcipue ex ſpeciali promiſſo de Meſſia, id eſt, ſalutis communis omnium gentium auctore, ex eadem gente naſcituro: *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes:* unde ad Rom. X. 4. *finis legis Chriſtus.*

4°.) *Le-*

4.) *Leges Moſaicæ erant partim mere morales*, leges ipſas naturæ nova poſitiva obligatione & ſpecialibus pœnis in hac vita intentatis intimantes; uti quæ in duabus tabulis decalogi officia amoris Dei & proximi, ipſiusque juſtitiæ, commendant; ubi ſimul pro idololatris, blaſphemis, profanantibus diem feſtum, parentes inhonorantibus, homicidis &c. peculiares pœnæ ab eis ſumendæ conſtituuntur; *partim erant cerimoniales*, id eſt, præcipientes certas *cerimonias* ad religionem externam pertinentes, videlicet ſigna externa ſtabilia, vi ſua ſignificativa legali apta ad promovendam religionem internam per leges morales præſcriptam (Ethic. Univ. Chriſt. §. 696.); cujusmodi erant *Sacramenta* ex. gr. circumciſionis, eſus agni paſchalis &c., *Sacrificia*, *res ſacræ*, uti tabernaculum, templum, arca fœderis, propitiatorium, menſa, candelabrum &c., ac denique *obſervantiæ peculiares* ex. gr. in diſcrimine ciborum, in certo uſu veſtium, ſolennitatum & feſtorum &c.; *partim judiciales*, præſcribentes modum conſtituendi judices, ordinem judicii, numerum teſtium, certas pœnas pro delictis, ordinem & modum contractuum, alienationis poſſeſſionum &c.; leges ineundi matrimonii, jus mariti & uxoris, domini & famuli, creditoris ac debitoris &c., denique obſervanda erga extraneos, hoſpites, peregrinos, hoſtes &c.

95.

Societas hominum ſpiritualis ſimul, ac viſibilis, *Eccleſia* appellatur.

* *Eccleſia* (ἐκκλησία) vox græca, a κλῆσις *vocatio* ex καλέω *voco* derivata, multitudinem hominum *convocatam* ſignificat. Ex uſu tamen, quem vox iſta primitus habuit tum ad Societatem Judaicam deſignandam (Deu-

ter. XXIII. 1: *non intrabit Eunuchus præciſis teſtibus in Eccleſiam Domini*) tum ad ſocietatem Chriſtianam; recte hic eſſe ſocietas ſpiritualis & viſibilis definitur; qualis utraque illa certo vi ſuæ inſtitutionis fuit.

96.

Deus ipſe ex gente ac poſteris Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, inſtituit Eccleſiam particularem, id eſt, Societatem particularem, ſpiritualem ſimul ac viſibilem. Obligationibus enim prorſus peculiaribus ac legibus a ſe ipſo latis (94. n. 1. & 4.) omnes & ſolos illos obſtrinxit ad vires jungendas pro communi aliquo fine conſequendo (94. n. 3.), eoque ſpirituali (94.); ſimulque cerimoniis, id eſt, ſignis externis legalibus, ab omni alia ſocietate diſcrevit (94. n. 4.), ac viſibilem reddidit (92. 45.).

97.

FACTA *ex Deuteronomio & ceteris Pentateuchi libris conteſtata.* Societas Judaica primo quidem Monarchico cum regimine Moſi atque Joſue regenda & gubernanda tradita ab ipſo Deo eſt, ceu Miniſtris Dei (Exod. III. & IV. & XVIII. 13. Deuter. XXXI. 23. & XXXIV. 9.): ſed non ſtabiliter inſtitutum eſt tale regimen; nec deinceps alius rector ipſius Dei lege cum poteſtate ſuperioris legislatrice illis impoſitus; ſolumque Deut. XVI. 18. juſſi ſunt filii Iſraël ſequentia: *judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis* (id eſt, civitatibus) *per ſingulas tribus tuas; ut judicent populum juſto judicio*: item XVII. 8.: *ſi difficile judicium eſſe perſpexeris, & judicum intra portas tuas videris verba variari; ſurge, & veni ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore* (ſcilicet in loco a Domino pro arca fœderis electo), *quæresque ab eis; qui indicabunt tibi judicii veritatem.*

Et

Et facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, (Hebraicus textus hic non habet vocem *imperii*, ſed ſic: *vir autem, qui faciet in ſuperbia, præterquam quod audierit a Sacerdote ſtante in miniſterio nomine Domini Dei tui*) *& decreto judicis: morietur homo ille. Cum ingreſſus fueris terram, & poſſederis eam, & dixeris: conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes; eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.*

98.

I. *Eccleſia Judaica erat ſocietas ſimpliciter legalis* (41); quatenus inſtituta lege Dei fuit; *partim tamen voluntaria*; quatenus nulla certa forma & modus regiminis fuerat lege a Deo præſcripta; ſed relictum arbitrio populi, ut vel ſibi reges cum poteſtate Monarchica conſtitueret, vel optimates plures in judices & Magiſtratus; modo inter iſtos Sacerdotes non præteriret.

II. *Vi inſtitutionis divinæ non videtur Sacerdotibus, aut judicibus ſingularum urbium Hebræarum, fuiſſe conceſſa poteſtas legislatrix ad novas leges ferendas, imo ne quidem propria privativa poteſtas exequendi leges divinas exigendo pœnas ab earum transgreſſoribus* (5. 29.), *ſed ſolum poteſtas authentice declarandi leges divinas, & judicandi judicio regulari de actionibus ſubditorum Hebræorum, an conformes, vel diſſormes eſſent legibus divinis; ita ut poteſtas exequendi leges divinas poſt declarationem Sacerdotum & judicum fuerit in toto populo; ſicuti & poteſtas ferendi novas leges mere humanas a divinis diſtinctas,*

ſeu per ſe, ſeu per regem arbitrio totius populi electum (28. 30.). Nullibi enim poteſtas cogendi privative exercenda Sacerdotibus, aut judicibus, in S. Scriptura attribuitur. Imo *in cerimoniis religioſis* aliquid addere iis, quæ lege divina præſcriptæ erant, abſolute ac ſevere ab ipſo Deo prohibitum erat Deut. XII. 30. *cave, ne imiteris eas* (gentes ab Iſraëlitis exterminandas) *& requiras cerimonias earum dicens: ſicut coluerunt gentes iſtæ deos ſuos; ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.*

III. *Societatis Hebraicæ inſtitutio particularis nuſquam ſuſtulit Societatis univerſalis ſupernaturalis, inde a mundi principio ab ipſo pariter Deo conſtitutæ, obligationes §. 91. demonſtratas, ſed potius ad earundem executionem ſaltem in una gente aliqua certius, imo & hujus exemplo publico & ſingillatim viſibili* (96.) *etiam in ceteris gentibus promovendam collimabat.* Patet hoc ex ipſo fine Societatis Judaicæ a Deo conſtitutæ (94. n. 3.).

* *Sublatam pridem eſſe legem illam divinam*, qua tota Societas Judaica fuerat inſtituta, evidens eſt ipſo facto, ſuppoſita ſemel demonſtratione Evangelica contra Judæos extenſa, & diſperſione totius gentis; vi cujus poſſibilis porro non eſt executio illarum obligationum legis divinæ *poſitivæ* Hebræis impoſitæ, quibus Societas hæc, ex natura & inſtitutione ſua ſpiritualis & viſibilis, ceu nexu unico communi, compaginata conſtabat. Arca enim, templo, & Sacerdotali familia plane diſperſis ceſſant per ſe *leges cerimoniales:* diſperſa natione, & ex urbibus Palæſtinæ expulſa, ceſſat electio Judicum in ſingulis illarum & judiciorum forma a Deo præſcripta, id eſt, *leges judiciales:* his deficientibus ultro quoque ceſſat obligatio legis divinæ poſitivæ circa *præcepta moralia;* quippe quæ poteſta-

tem

tem judicialem & executricem poſitivam ſupponit talem, qualis in gente Hebræa a Deo fuerat conſtituta.

** Ceterum *jam fuiſſe extinctam obligationem legum cerimonialium tempore Apoſtolorum*, ſuppoſita horum auctoritate falli neſcia, oſtenditur ex Act. Apoſt. XV. eſſe de fide catholica; ubi in Concilio Jeroſolymis congregati ſuper hac quæſtione ſolenniter pronuntiant: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultro imponere vobis oneris &c.*; item ex Ep. ad Galatas III. 25.: *ubi venit fides, jam non ſumus ſub lege*, & ſolenni illa diſceptatione Pauli cum Cepha ibid. II; ex qua patet, Apoſtolos quidem ex prudenti œconomia, quamdiu cum ſolis Judæis agerent, ſæpe obſervaſſe adhuc cum illis cerimonias legales; attamen erroneum exiſtimaſſe, ſiquis defenderet, vel ſolo facto aliquo præſeferret, ſeu Judæos, ſeu gentiles, ad Chriſti fidem converſos, ad earum obſervationem adhuc obligari. Sic S. Paulus ipſe Act. VI. 3. legitur *circumcidiſſe Timotheum propter Judæos, qui erant in illis locis*; & 1. Cor. IX. 20. fatetur: *factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer; iis, qui ſub lege ſunt* (ex erronea opinione) *quaſi ſub lege eſſem* (*cum ipſe non eſſem ſub lege*) *ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerer*. S. Hieronymus quidem initio in ea erat opinione, quod Apoſtoli non niſi ſimulaverint ſe obſervare legales cerimonias; ſed contrarium denique a S. Auguſtino edoctus (S. Aug. ep. 260. ad Oceanum) tandem in dial. 1. contra Pelag ſententiam mutavit, ac vere uſos ſubinde legalibus illis ceremoniis apoſtolos fuiſſe confeſſus eſt, ceu obligatione quidem jam carentibus, nondum vero inſtitutionis altero effectu, id eſt, vi ſignificativa ſacra, exutis. Porro ex communi ſententia legis Judaicæ obligatio ceſſavit die Pentecoſtes, eo videlicet ipſo, quo Chriſti legem primo publice fuiſſe promulgatam, infra oſtendemus. Hæc in re ad præſentia tempora parum ſpectante pro utili eruditione ſufficiant.

§. II. *Vera nova Societas ſpiritualis & viſibilis, ſeu Eccleſia, a Chriſto Domino inſtituta fuiſſe demonſtratur.*

99.

Religionem in Ethica Univ. Chriſt. §. 693. dixi complexum omnium virtutum theologicarum, tam intellectualium, quam moralium, id eſt, Theologiæ ſeu naturalis, ſeu ſupernaturalis, Sapientiæ, Spei, ac Caritatis Dei atque omnium hominum (ibid. §§. 685. 686. 687.); eamque *naturalem* appellari, ſi virtutes illæ viribus naturæ, *ſupernaturalem*, ſi ope divinæ revelationis aut auxilii poſitivi acquirantur. *Religionem externam*, ſeu *religionis internæ profeſſionem*, ibidem §. 696. dixi conſiſtere in ſignis ſeu actionibus ſenſibilibus, aptis ad religionem internam propriam aliis ſignificandam, & in iſtis quoque promovendam.

100.

Chriſtus Dominus religionis naturalis regulas, & leges naturæ, quibus Societas naturalis & univerſalis omnium hominum conſtituitur (43.), *de novo docuit, & authentice promulgavit.* Miraculis enim manifeſtis comprobans ſe cum plena poteſtate miſſum eſſe divinitus ad docendum homines ſalutis æternæ viam, atque media neceſſaria ad finem ultimum (Demonſt. Evang. 193. 194. 195.) 1'.) comprobavit omnia dogmata theologiæ naturalis & regulas ſapientiæ in libris Moſis & Prophetarum atque Pſalmis contenta Matth. V. 17.: *nolite putare, quoniam veni ſolvere legem aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere*, ita quidem, ut etiam a reſurrectione ſua diſcipulos ad ea remitteret, quæ de ſe ſpeciatim in illis libris prædicerentur; uti habetur Luc. XXIV. 27. & 44. 2'.) Perfectius etiam leges naturæ & religionis pertinentes

nentes ad ſpem & caritatem Dei ac proximi, cum ceteris omnibus moralium virtutum regulis, explicavit Matth. V. 43. XXII. 37. Joan. XIII. 34. Marc. X. 19.: quo ultimo loco totum Moſis decalogum exponit. Vide jam dicta de hac re in Demonſt. Evang. §. 233.; ubi Chriſti & Moſis doctrinam ac legem confero inter ſe mutuo; item ibid. §. 108. & ſeqq. Nihil porro Chriſto ad authenticam declarationem legum naturæ, ſeu promulgationem (28. 23.), defuit; quippe cui *data erat omnis poteſtas in cœlo & in terra* (Matth. Ult. 19.).

101.

Chriſtus Dominus publicando & novæ divinæ revelationis auctoritate confirmando doctrinam, inde ab initio mundi jam revelatam (89.) tum de futura reſurrectione mortuorum; tum de futuro univerſali judicio, & alterius vitæ præmiis & pœnis externis; denique profitendo ſe palam eſſe promiſſum illum divinitus generalem ſalutis omnium mediatorem & reparatorem, obligavit omnes ſufficiente divinæ miſſionis ſuæ notitia illuſtratos ad credendum fide divina indubitata divinæ huic revelationi per ipſum de novo factæ (91.), ac proinde *confirmavit de novo Societatem illam legalem ſupernaturalem, inde a mundi initio jam inter homines omnes conſtitutam* (93.). Vide Ethic. Univ. Chriſt. Sect. I. Cap. VI. & IX., ubi loca Evangeliorum recenſeo, in quibus Chriſtus dogmata illa apertius docuit. Meſſiam vero tum alias, tum apertiſſime ſe profeſſus eſt Chriſtus Joan. X. 24. *Judæi circumdederunt eum, & dicebant ei: ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis Jeſus: loquor vobis, & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.*

102.

Chriſtus legibus naturæ univerſis novam poſitivæ legis obligationem appoſuit. Nova enim obligatio legis poſitivæ ſpecialem perfectam obligationem ortam ex ſpecialibus pœnis reſpectivæ gravibus importat, diſtinctam ab ea, quæ legi naturali jam ineſt (10. not. 11. 12.). Atqui tales pœnas ſpeciales Chriſtus univerſis legibus naturæ divina poteſtate appoſuit: ſiquidem uti Joan. XIV. 21. promittit ea ſervantibus prœmii ſpecialis loco ſingularem ſuam *hominis Dei* & divini Patris ſui amicitiam & unionem, in hac vita jam inchoandam, & continuandam in futura: *ſiquis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* ſic vice verſa pœnam privationis omnis fructus meritorum & amicitiæ ſuæ intentat Matth. X. 37. iis omnibus, qui cujuscunque rei creatæ præponderante amore ad violandas ipſius quascunque leges ſe paſſuri ſint permoveri: *qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus:* cujus quidem jacturæ poſitivæ memoria ſine dubio pœnæ ac doloris ſenſum poſitivum in omne ævum reprobis creabit. Rursus totus judicii ſupremi proceſſus, ac ſententia ultima, diſceſſum æternum ab omni communione meritorum & benevolentiæ Dei Hominis, ceu Judicis tunc futuri, enuntians; quem Chriſtus Matth. XXV. 3. minutim intentat, pœnæ ſpecialis ac poſitivæ rationem aperte habet: *cum autem venerit filius hominis in majeſtate ſua & omnes angeli cum eo; congregabuntur ante eum omnes gentes &c.:* & 1. Cor. VI. 2. *an neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt:* id quod Sap. V. non niſi obſcure prænuntiatur verbis illis: *tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia &c.*

103.

Chriſtus Dominus præter religionem naturalem & leges naturæ inſuper alias leges poſitivas proprias ſancivit cum obligatione perfecta impoſita omnibus, qui ipſum divinitus miſſum cognoſcerent: ac 1'.) quidem LEGEM FIDEI de ipſius divina dignitate, officio Mediatoris, & veritate omnium doctrinarum ejus, Marc. XVI. 15.: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium* OMNI CREATURÆ: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur:* 2'.) LEGEM PROFESSIONIS FIDEI EXTERNÆ de SS. Trinitate Matth. ult. 19. *baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, & de Chriſto Dei Filio Luc. XII. 8. *omnis, quicunque me confeſſus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei*, id eſt, ab ejus regno excludetur: 3'.) LEGEM BAPTISMI, tanquam ceremoniæ ſacræ, divinitus a Chriſto ipſomet inſtitutæ, & pro modo profeſſionis fidei externæ & ſalutis neceſſario remedio omnibus præſcriptæ Joan. III. 5.: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto; non poteſt introire in regnum cœlorum: - - quod natum ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt: - - oportet vos naſci denuo:* 4'.) LEGEM MANDUCANDI SACRAMENTUM SS. CORPORIS IPSIUS CHRISTI DOMINI Joan. VI. 54: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis:* & Luc. XXII 19. *hoc facite in meam commemorationem.* Et hæ quidem omnes leges ſunt poſitivæ, non naturales; ut patet.

Porro in his omnibus regulis, moralibus præſcribentis Chriſtus Dominus conſtanter oſtentat 1'. poteſtatem perfecte obligandi, 2'. efficacem voluntatem, ut obſerventur, 3. & certum propoſitum

voluntatis ſuæ puniendi transgreſſores pœnis æternis & jactura vitæ beatæ, id eſt, ea omnia, quæ eſſentiam legis objectivæ conficiunt (18. 20.). Profecto enim illa verba, quæ legi fidei & baptiſmi præmittuntur, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, illæ minæ, *niſi quis &c.*, *non introibit in regnum cælorum, non habebit vitam in ſe, negabitur coram Angelis Dei* a Chriſto videlicet judice cum illis venturo (præc. ex Matth. XXV. 31.), tria illa legis eſſentialia aperte exprimunt. Vide regulam ſextam ſupra de uſu Scripturæ traditam (85.).

* Nihil equidem iſthic de ſpeciali dogmate legum iſtarum, ſeu vero ac diſtincto earum ſenſu, jam ſuppono; quod bene notatum velim: Leges baptiſmi, Euchariſtiæ percipiendæ, fidei, ejusque profeſſionis externæ, a Chriſto præſcriptas demonſtro; in quocunque Euchariſtia conſiſtat &c., aut Sacramenti ratio. Si clare ex ſolis Chriſti verbis omnibus patet, quid revera, quibus, & quomodo perficiendum lege ſua qualibet præceperit; ſtandum verbis tanti legislatoris eſt: ſi minus id clarum; ſupponendum haud dubie erit, Sapientiam ejus poſtulaſſe, ut aut ipſe alias mentem ſuam ſuis Miniſtris, Apoſtolis videlicet, explicarit, aut de interpretatione authentica ſuis ſubditis certiſſime providerit.

104.

Non defuit legibus poſitivis a Chriſto latis authentica ac certa promulgatio. Facta enim hæc eſt primo quidem die Pentecoſtes a S. Petro nova inter prodigia venti totam domum concutientis, apparentium linguarum ignearum, & loquelæ omnium idiomatum Apoſtolis conceſſæ. *Jeſum Nazarenum*, publice profatur Petrus Act. II. 22., *virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, & prodigiis, & ſignis, hunc - - - interemiſtis: quem Deus ſuſci-*

ſuſcitavit: - - - cujus omnes nos teſtes ſumus. Pœnitentiam (igitur) *agite, & baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Jeſu: vobis enim repromiſſio facta eſt.* Denique leges illas Chriſti Domini voce primum viva publice & comitantibus miraculis a ſe ubivis locorum prædicatas, poſtea etiam literis authenticis Apoſtoli & iſtorum diſcipuli, ceu teſtes immediati authentici, conſignarunt; ex quibus eas §. præc. verbo tenus citavimus.

105.

I. Itaque *Chriſtus Dominus legislator fuit* (103. 24.), *non ſolum poteſtate* ut Homo Deus, *ſed actu & ipſo exercitio* novarum legum exiſtentiam determinando.

II. *Leges, quas tulit, non modo fuere naturales,* quas ipſe nova quadam poſitiva obligatione ſuperaddita ſupernaturali modo promulgavit (102.), *ſed etiam aliæ mere poſitivæ* (103.).

III. *Chriſtus leges ſuas ad omnes ſuæ auctoritatis & poteſtatis certa notitia illuſtratos direxit, & ad eos omnes pertinere voluit:* ait enim Matth. ult. *docete omnes gentes, baptizantes eos, & docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis:* & Marc. ult. 16. *prædicate Evangelium omni creaturæ: qui non crediderit, condemnabitur.* De neceſſariis ad ſalutem iſthic agitur: nihil ergo obſcurum haberi poteſt (reg. 6. §. 85.).

106.

Finis adventus Chriſti Domini in mundum, ſicuti & paſſionis, mortis, reſurrectionis a morte, totiusque converſationis ejusdem cum hominibus, & inprimis cum Apoſtolis & diſcipulis ſuis, fuit reparatio ſalutis omnium hominum, per eorundem peccata in periculum adducta, ejusdemque major aſſecuratio mediante

novæ

novæ religionis ac novarum legum ad eam pertinentium inſtitutione. Omnis hiſtoria Evangelica & ſcriptura canonica hoc teſtatur ex ipſius Chriſti ore. Luc. XIX. 10. ait is de ſe ipſo : *venit filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat :* & Joan. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam :* & paullo ante idem dixerat, ob eandem finem *exaltari oportere filium hominis, ſicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto.* Act. I. 3. quoque refertur : *Apoſtolis præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.*

107.

I. *Finis adventus Chriſti in mundum, omniumque legum ab ipſo præſcriptarum, erat ſpiritualis, id eſt, ad ſupernaturalem futuræ vitæ beatitudinem pertinens* (92.).

II. *Leges ipſæ tam naturales, quam poſitivæ, a Chriſto præſcriptæ, non niſi media erant ad uberiorem hominum ſalutem æternam, ceu finem ultimum, uti creationis, ſic & totius reparationis per Chriſtum factæ, conſequendam.* Regulæ enim erant circa media, quas finis ille, ejusque efficax propoſitum, determinabat.

III. *Profeſſio fidei externa inprimis & ceremoniæ religionis externæ, uti Baptiſmus, Euchariſtia &c., præciſe ceu media aptiſſima illius finis,* id eſt, ad promovendam per eas apud alios quosvis homines Jeſu Chriſti ejusque doctrinæ ac legum notitiam, & religionem internam ab illo traditam, *lege ab ipſo Chriſto Domino præſcripta ſunt omnibus iis, qui illius cognitione jam aliunde imbuti fuerint.*

IV. *Mu-*

IV. *Munus prædicandi Evangelium omni creaturæ rationali, Apoſtolis ſpeciatim tam graphice a Chriſto commiſſum & commendatum, ad eundem finem præcipuo quodam modo collimabat.*

V. *Aliqua fidei in Chriſtum ejusque religionis externa profeſſio eſt medium per ſe neceſſarium ad hoc ut Chriſti notitia ad futurorum ſeculorum homines perveniat.*

108.

Chriſtus Dominus Societatem novam inſtituit, in qua cenſeri omnes voluit, qui ipſius ſufficiente notitia quovis tempore forent imbuti. Hos enim omnes communium legum poſitivarum obligatione ipſe, ceu legislator & ſuperior omnium divina poteſtate præditus, adſtrinxit ad ſuam cujuslibet & communem hominum quorumvis aliorum ſalutem æternam promovendam publica fidei in ipſum & religionis ab ipſomet traditæ profeſſione (92. 40. II. 41. 105.) Porro nova ſocietas eſt, cujus eſſentialia ab eſſentialibus alterius cujuslibet Societatis differunt, videlicet vel ratio perſonarum, ſeu finis communis, ſeu communis obligatio (40. II.). Atqui obligatio communis legesque a Chriſto præſcriptæ novæ ſunt, ſicuti & perſonæ, omnes nempe & ſoli illi, qui Chriſti ſufficientem notitiam habent (105. III.).

109.

Societas nova a Chriſto inſtituta eſt ſupernaturalis, ſpiritualis, & viſibilis; ac proinde recte Eccleſia Chriſti appellatur. Supernaturalis eſt; quia Auctor ejus Chriſtus Dominus non lege naturæ, ſed lege poſitiva, eam conſtituit (42. 102. 103.): *ſpiritualis;* quia finis illius primarius & ultimus ad alteram vitam pertinet (107. 92.): *viſibilis* denique; quia ſignis lege ſociali ab ipſo Chriſto inſtitutis & præ-

præſcriptis, ſacris nempe cerimoniis baptiſmi & Euchariſtiæ (imo & aliis, quas tamen jam hic attingendi nec locus, neque neceſſitas eſt) tum dignoſci exiſtentia ejus, tum ejus conſortes ac ſocii diſcerni facile poſſunt (92. 107. III.): ac proinde recte *Chriſti Eccleſia* appellatur (95.), id eſt, a Chriſto iuſtituta.

110.

Eccleſia Chriſti, ſeu ſocietas ſpiritualis ac viſibilis a Chriſto inſtituta, ad finem mundi uſque perduratura eſt. Fore enim ſemper aliquos, qui Chriſti ſufficiente notitia erunt imbuti, ex eo Chriſti ipſius promiſſo patet Matth. ult. verſ ult.: *ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Porro hi ſemper legibus a Chriſto inſtitutis ad communem Societatis iſtius finem per media neceſſaria promovendum obligabuntur; ſecus ſocii ejusdem ſocietatis eſſe ceſſarent (40. II.): atqui id genus medium eſt profeſſio ſaltem aliqua externa fidei & religionis a Chriſto traditæ; quippe ſine qua finis ultimus Societatis iſtius a Chriſto præſtitutus, id eſt, uberior hominum ſalus non niſi per fidem in Chriſtum obtinenda, promoveri non poteſt: itaque ut aliqui Chriſti notitia ſufficiente imbuti ſemper exiſtant ad mundi finem uſque omnino neceſſe eſt, ut ſemper etiam ſint, qui notitia iſtius legis Chriſti de profeſſione aliqua externa inſtructi ſint, atque eandem reipſa obſervent; id eſt, qui hoc ipſo ſocietatem viſibilem, & Eccleſiam Chriſti, conſtituant.

111.

Chriſtianus vocatur, qui Societatis novæ viſibilis & ſpiritualis, id eſt, Eccleſiæ, a Chriſto inſtitutæ, ſocius ac conſors eſt.

112.

112.

I. *Chriſtianus eſt omnis & ſolus ille, qui lege Chriſti poſitiva actu obligatur,* ſeu *qui ſufficiente notitia Chriſti, & legum pro Societate Eccleſiæ ſuæ ab ipſo conſtitutarum, ſaltem ad communem finem ſalutis conſequendum abſolute neceſſariarum, actu imbutus eſt.* Obligatione enim ſocietati cuique propria nexus omnis determinatur, quo ſocius quisque eidem adſtringitur (39. 40. not.). Atqui omnis & ſolus ille obligatur lege Chriſti, qui & ipſius & hujus ſufficiente notitia imbutus eſt (19.).

II. *Societas Chriſtiana, quatenus ex omnibus & ſolis illis ſociis conſtat, qui Chriſti ejusque legum neceſſaria notitia imbuti ſunt, non voluntaria, ſed legalis ſocietas eſt* (41.). Omnes enim iſti, ſeu velint, ſeu nolint, communi obligatione illarum legum ad finem communem junctis viribus promovendum etiam externa profeſſione ſinceræ internæ fidei in Chriſtum adſtringuntur: nec vero ipſa Chriſti ejusque legum ad ſalutem neceſſaria notitia ab eorum *ſolo* arbitrio pendet.

III. *Ut quis ſit Chriſtianus ſimpliciter, opus non eſt, ut vel fide interna libere actu doctrinæ Chriſti aſſentiatur, vel leges ipſius, ex. gr. de profeſſione externa ejus fidei, obſervet.* Obligatione enim ſociali tamen obſtringitur, modo ſciat legiſlatoris poteſtatem & voluntatem inſtituendi Societatem legalem (41.); perinde atque omnes vel inviti adſtringimur Societate naturali (43.).

IV. *Ut vero quis ſit Chriſtianus voluntate, ſeu mentis propoſito, interna fide aſſentiri debet doctrinæ a Chriſto revelatæ, & agnoſcere ejus poteſtatem legiſlatricem, ipſamque legem ceu veram recipere.* Hoc uno enim fit ſocius etiam voluntarius ex mere legali.

V. *Ut*

V. *Ut vero ceu Chriſtianus, ſeu Eccleſiæ Chriſti ſocius, diſcerni poſſit, id eſt, ut viſibilis Chriſtianæ Societatis fiat ſocius ipſe quoque viſibilis, opus eſt, ut Chriſti fidem ſigno legali, id eſt, baptiſmi receptione, profiteatur.*

VI. *Qui Chriſti ſufficiente notitia inſtructus baptiſmum recipit, Chriſtianæ Eccleſiæ viſibilis ſocius revera eſt; etſi obſtinata mente veritati cognitæ obſiſtat, aſſenſu internæ fidei denegato.* Obligatione enim ſociali reipſa tenetur (I. II.), & quod teneatur, legali ſigno reipſa ex vero prodidit (V.).

VII. *Qui Chriſti ſufficiente notitia illuſtrati non ſunt, etſi fingant baptiſmum ſe recipere, Chriſtiani tamen non ſunt:* quia obligatione, id eſt, Societatis nexu, teneri ſine legis & legislatricis poteſtatis notitia non poſſunt (39. 19,).

VIII. *Societas Chriſtiana viſibilis qua talis ex parte legalis, & ex parte voluntaria eſt: legalis;* quia vi inſtitutionis Chriſti ejusque legis omnes ejus conſortes obligantur, ut ſigno legali ſe viſibiles præbeant (41.); *voluntaria*, quatenus tamen a libera voluntate ſingulorum pendet, ut actu obediendo legi ſociali ſe tales profiteantur exterius.

* *De infantibus baptizatis*, quorum vulgo Theologi in definitione *Chriſtiani* adornanda curam non habent, quæras: an noſtra definitione glorioſo hoc nomine excludantur; eo quod obligationis paſſivæ capaces actu non ſint (10. 19.). Cui quæſtioni reſpondeo: eſſe participes finis ultimi Chriſtianæ Societatis, ſed conſequendi in præſens non proprii arbitrii meritoriis actionibus, ad quas obligentur; verum actionibus & meritis ſolius Chriſti, chriſtianorum parentum opera in baptiſmo eisdem applicatis. *Infantes* itaque *Chriſtianos*, id eſt, Chriſtianorum qua talium, recte dixeris; vel certe, ſi veritatem doctrinæ recte teneas, de nomine haud litigabis.

CAPUT

CAPUT III.

ECCLESIA CHRISTIANA AD MODUM SOCIETATIS INÆQUALIS A CHRISTO INSTITUTA FUISSE OSTENDITUR.

113.

Etſi *Eccleſia Chriſtiana* ut ſocietas legalis ab ipſo Chriſto Domino inſtituta fuerit; *potuit* tamen *abſolute inſtitui vel ut ſocietas mere æqualis*, ſi legibus per ſe jam claris inſtrueretur ad modum Societatis naturalis univerſalis (43.), quæ regitur legibus naturalibus lumine naturæ evidentibus, & facile dignoſcendis, ſaltem eatenus; quatenus ad ſalutem, ceu finem ultimum, abſolute earum notitia eſt neceſſaria (vide in Ethica Univ. Chriſt. §. 590); aut etiam inſtar Societatis univerſalis ſupernaturalis, itidem a Deo inde a mundi primordiis lege poſitiva conſtitutæ (93.): *vel eadem Eccleſia Chriſtiana inſtitui a Chriſto potuit ut ſocietas ex parte ſolum inæqualis*, *inſtar Judaicæ*, ita, ut in obſcuris legibus divinis & dubiis ſuper eis exortis ſolum poteſtas authentice leges declarandi, vel etiam inquirendi & judicandi de legum obſervatione; vel transgreſſione, uni, vel pluribus, quocunque pacto delectis judicibus competeret, absque propria coactiva poteſtate ſeu legislatrice, ſeu etiam ſolum executrice (98. II. 28. 29 30. 31. 32.): *vel denique ea inſtitui potuit ut ſocietas vere inæqualis, cum vera jurisdictione & poteſtate legislatrice propria & privativa, eaque vel uni ſolum Monarchæ, vel pluribus optimatibus ſacris, conceſſa, ſub certo modo regiminis, aut nullo certo modo præſcripto* (79. I.).

* Iſthic jam primo id ſolum oſtendam; *Eccleſiam a Chriſto divinitus inſtitutam eſſe ut Societatem legalem inæqua-*

lem cum poteſtate propria coactiva authentice declarandi, & exequendi leges divinas, atque adeo cum vera jurisdictione aliquibus privative in ceteros Chriſtianos, ejusdem Societatis conſortes, ſtabiliter conceſſa (31.).

** Longe autem diverſa ab hac altera illa quæſtio erit: *utrum in Eccleſia Chriſti etiam vi inſtitutionis Chriſti exiſtat poteſtas legislatrix propria, uni, vel pluribus, conceſſa, qua ſcilicet novæ & mere humanæ leges ferri, nec ſolum divinarum legum executio legum humanarum acceſſione urgeri,* poſſunt.

114.

De Chriſti ſapientia pro certo ſupponendum eſt, quod non tantum in qualitate poteſtatis inſtituendæ, ſiquam inſtituit, verum etiam in modo exercendi regiminis Eccleſiæ ſuæ determinando, nunquam non ſecundum omnes perfectæ ſapientiæ regulas ſeſe geſſerit.

115.

Itaque I. ſi poteſtatem moralem & jurisdictionem ſpiritualem Chriſtus alicubi inſtituit in Eccleſia ſua, & multo magis, quando modum exercendi regiminis lege aliqua fundamentali in eadem determinavit, clare omnino & aperte loqui debuit: aut ſiquidem id genus poteſtatem ac leges fundamentales inſtituere e re Eccleſiæ ſuæ haud eſſe exiſtimavit; nec verbis unquam uti debuit, quibus inſtitutionem ejusmodi reipſa facere aperte ſatis præſeferret. Vide regulas §§. 85. 86.

II. *Unde minime omnium obſcuros in ſenſus ab obvia ſignificatione trahere licet ea Chriſti verba, ab Apoſtolis & Evangeliſtis conſignata fidelibus literis; quibus id genus poteſtatem cum forma regiminis lege fundamentali in Eccleſia a ſe conſtituta inſtituere reipſa aperte & obvio ſenſu videtur* (citt.).

* Faci-

* Facile quivis intelliget, principia hæc ad pleraque non Acatholicorum modo, ſed ipſorum quoque Catholicorum Doctorum in variis argumentis huc pertinentibus diſſidia componenda brevi compendio valere. At enim nihil evidentius eſſe equidem exiſtimo, quam ea ex ſola notione ſapientiæ divinæ legislatoris noſtri & Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutoris reipſa conſequi. Nihil item mihi certius eſt, quam non niſi iſtorum principiorum ope finiri controverſias de ſuprema Eccleſiaſtica poteſtate & Eccleſiæ regimine poſſe: quibus profecto Chriſtus ambiguitate inſtitutionis per ſe cauſſam non præbuit, nec præbere voluit. Aut quid denique *in Societate mere legali*, quæ ſolius ſuperioris lege conſtituta & ex toto ordinata eſt, certum fixumque eſſe poteſt; ſi lex Superioris fundamentalis, qua is imperium, hujusque formam, & modum regiminis inſtituit, vel certe inſtituiſſe viſus eſt, ambiguis concepta verbis ſit, nec tamen ſuperioris in abſentia alius quis interpres authenticus usquam ſuppetat?

116.

Facta Christi Domini pro quæstionis præsentis decisione (III. not. 1.) necessario demonstranda *ſunt ſequentia:*

1'.) *Chriſtum Dominum plurima dogmata docuiſſe, quæ ad religionis internæ atque externæ ab ipſo inſtitutæ regulas & officia ad ſalutem neceſſaria, ac lege gravi. Chriſtianis omnibus præſcripta, pertinere voluit; de quibus tamen, niſi novus interpres ab ipſo Chriſto inſtitutus & relictus ſuppetat, ob incertam verborum vim, quibus vel a Chriſto enuntiata ſunt, vel a ſcriptoribus ſacris enuntiata ab eodem ipſomet fuiſſe referuntur, in dubiis perpetuo hærebimus cum præjudicio ſalutis æternæ etiam quoad ſubſtantiam ſpectatæ: multa vero alia inſuper docuiſſe, & legibus præſcripſiſſe, ad majus Eccleſiæ ſuæ bonum ſpectantia, dubiis tamen itidem multa ex parte obnoxia*

 2'.) *Man-*

2'.) *Mandaſſe Apoſtolis, ut eadem omnia, quæ ipſe lege certa præſcripſerat, & docuerat, nullo excepto edocerent omnes homines, & obſervare juberent, ſi in Eccleſia a ſe inſtituta conſequi ſalutem vellent.*

3'.) *Eisdem contuliſſe auctoritatem docendi & promulgandi dogmata ac* leges a ſe traditas omnino falli neſciam.

4'.) *Obligatos voluiſſe Chriſtianos omnes ad fidem ſuis & illorum dictis habendam irrefragabilem.*

5'.) *Dediſſe eisdem Apoſtolis poteſtatem pœna gravi ſpirituali animadvertendi in refractarios regulis fidei & morum per ipſos prædicatis.*

6'.) *Voluiſſe demum, ut hanc omnem a ſe acceptam poteſtatem Apoſtoli ad alios homines, ceu ſucceſſuros ſuos, pro Eccleſiæ ſuæ bono in perpetuum transmitterent.*

Quodſi enim facta hæc omnia ſingillatim certa fuerint; *ex primo* neceſſitas manifeſta & conſilium divinæ Chriſti Sapientiæ apparebit, neceſſario dictans, interpretem authenticum pro omni tempore in ipſius Chriſti receſſu ab Eccleſiæ ſuæ viſibili regimine conſtituendum eſſe: *ex altero atque tertio* innoteſcet ipſa realis exiſtentia talis poteſtatis moralis a Chriſto relictæ in Apoſtolis: *ex quarto* conſequetur obligatio, inprimis quidem divina regulis fidei & morum, quas Apoſtoli ceu a Chriſto traditas promulgarint atque authentice declararint, pleno aſſenſu fidei adſtipulandi: *ex quinto* autem porro etiam obligatio humana conſequetur, ſi Apoſtoli obedientiam illam erga leges Chriſti a ſe authentice declaratas itentatis pœnis, & ſpiritualis ſuæ poteſtatis moralis ſiniſtris effectibus, urgeant: *ex ſexto* denique perpetuitas id genus poteſtatis totius in Chriſti Eccleſia derivabitur.

117.

117.

Factum I. demonſtratur, videlicet *Chriſtum Dominum dogmata plurima docuiſſe: quæ ad religionis internæ & externæ ab ipſo inſtitutæ officia communiter neceſſaria pertinere voluerit: de quibus tamen ſine relicto interprete authentico dubia non facile ſuperanda cum communis ſalutis ſubſtantiali periculo nobis reliquerit inſoluta.* Tale 1'.) eſt dogma de ipsa Christi Domini divinitate, et persona vere divina, eaque unica; in duabus naturis, variis quidem vicibus teſtibus Evangeliſtis ab ipſo Chriſto verbis propriis formalibus aſſerta, ſed talibus, quæ niſi propriis Apoſtolicorum ſcriptorum verbis & Apoſtolorum propria teſtificatione ulterius explicentur, dubia ſuper illis diverſa diverſis temporibus exorta ſe ſolis eximere vix, aut ne vix quidem, poſſunt in Myſterio, quod ſupra rationem mere naturalem tam longe eſt poſitum, ita ſaltem, ut plena certitudo divinæ Chriſti Domini revelationis de eodem integro dogmate a quovis, ſeu docto, ſeu indocto homine moraliter & vulgo obtineri poſſit, maxime ſuppoſitis ſectariorum diverſorum de alio verborum Chriſti ſenſu concertationibus ſæpe acutiſſimis, ac multa linguarum originalium, quibus ſeu Chriſtus in loquendo, ſeu ſcriptores Evangelici in ſcribendo ſunt uſi, eruditione ſuffultis. Tale eſt 2'.) dogma de SS. Trinitate, in cujus *nomine*, id eſt, auctoritate, profeſſione fidei in ipſam, & invocatione, Chriſtus ipſe juſſit omnes baptizari Chriſtianos Matth. ult. 19. 3'.) Dogma de Myſterio SS. Eucharistiæ; cujus vel prima mentio a Chriſto facta turbavit ipſos Apoſtolos & diſcipulos Joan. VI. 61.: *multi ergo audientes ex diſcipulis ejus dixerunt: durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* & v. 68.: *ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant: dixit ergo Jeſus ad*

ad duodecim: nunquid & vos vultis abire? 4'.) Dogma de necessitate baptismi ad ſalutem generali: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poterit introire in regnum cœlorum* (Joan. III. 5.): an etiam de parvulis hoc dictum a Chriſto, qui rationis defectu ſocialis nexus Chriſtiani obligationem mox a nativitate naturali recipere capaces non ſunt (112. not.), nec in defectu baptiſmi aliud remedium ſalutis habebunt; ſi hic ſit de neceſſitate ſalutis abſolutæ, vel in re, vel in voto ſuſceptus? 5'.) Dogma de necessitate Eucharistiæ Joan. VI.: *niſi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis*: an hæc neceſſitas æque magna eſt, an æque generalis etiam reſpectu parvulorum, ut baptiſmi? *His accedunt* alia dogmata, ſcitu quidem ſors non tam abſolute neceſſaria, attamen ſumme ſcitu utilia, quorum incertitudo majori bono communi Eccleſiæ evidenter obſtat; ex. gr. *de libertate Chriſti*, ceu fundamento meritorum ejus moralium, & omnis virtutis boni exempli ejus in tolerantia miſeriarum vitæ & acerbiſſimæ mortis ejus, obedientiæ demum erga Patrem & omnem iſtius voluntatem; cujus combinatio libertatis cum impotentia peccandi ex divinitate orta ſumme difficilis; incertitudo vero moribus & virtutibus præcipuis Chriſtianorum vigorem motivi & exempli potentiſſimi evertit; deinde *de polygamiæ abolitione, & Matrimonii indiſſolubili nexu* vita conjugum amborum durante Matth. XIX. &c. &c.; cujus dogmatis ratione, ut conſtat, tam difficilis ſcrupulus Lutherum ejusque primos diſcipulos vexavit in cauſſa Philippi Haſſiæ Landgravii.

Atqui dogmata hæc ab ipſo Chriſto reipſa tradita ſunt, doceri ab Apoſtolis publice juſſa, & declarata pertinere ad religionem internam & externam, ab ipſomet inſtitutam. Etenim fides de divini-

vinitate & unica perſona Chriſti atque de tota SS. Trinitate ad religionem internam pertinet; baptiſmi & Euchariſtiæ ſuſceptio ad externam (Ethic Chriſt. univ. §§. 693. 696.): profeſſionem vero illius fidei, & Sacramentorum iſtorum ſuſceptionem, Chriſtus ex æquo ad ſalutem neceſſariam declarat: *niſi quis renatus fuerit, non introire poterit &c.; niſi manducaveritis &c., non habebitis vitam; qui non crediderit, condemnabitur &c.: docentes eos ſervare omnia, quæcunque dixi vobis.* Ergo &c. &c.

* Verum quidem eſt, ipſos Chriſtianos Doctores haud conſentientes eſſe, an fides explicita de Chriſto & SS. Trinitate ſit abſolute (neceſſitate medii, ut loquuntur) adultis hominibus ex Chriſti lege neceſſaria ad ſalutem, id eſt, etiam iis, qui Chriſti Evangelium ſibi prædicari non audivere. Attamen in eo omnes conſentiunt, hæc dogmata doceri ab Apoſtolis omnes debuiſſe, & credi communiter ab omnibus Chriſtianis (III. 112. I.), vi certæ legis a Chriſto conſtitutæ; a cujus obſervatione ſola ignorantia plane non vincibilis excuſare homines Chriſti adhuc ignaros poſſit.

118.

FACTUM II. demonſtratur, videlicet, *mandaſſe Chriſtum ſuis Apoſtolis, ut dogmata omnia illis a ſe tradita docerent omnes homines, hoſque ad eorum fidem, atque baptiſmum recipiendum, invitarent.* Hoc quidem palam eſt ex Matth. ult. 18; ubi ait: *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.; docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Ecce! legislator loquitur (105. I.): *primo* profitetur palam poteſtatem ſuam ſpiritualem conſtituendi regulas officiorum & obligationes perfectas ad ſalutem æternam pertinentes (*in cœlo & in terra*): *deinde* jubet leges *omnes* a ſe traditas

 doce-

doceri *omnes* homines: *docete omnes gentes*, *ſervare omnia*, convenienter fini adventus ſui in mundum (116.), qui erat reparatio ſalutis omnium; ſiquidem teſte Petro Apoſtolo Act. IV. 12. *non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

119.

FACTUM III. *Chriſtus ſuis Apoſtolis promiſit, ac proin pro fidelitate ſua, deficere neſcia, reipſa contulit donum auctoritatis infallibilis in recte docendis dogmatis & legibus, quas ipſe prior illos docuerat.* Nam Joan. XIV. 16. ait Apoſtolis ſuis: *ego rogabo patrem meum, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, ſpiritum veritatis:* v. 26. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Nota bene; *ſpiritum veritatis* promittit, qui non niſi vera docere poteſt: quo fine? ut eos *doceat omnia*, id eſt, rite intelligere faciat; & *ut ſuggerat* illis *omnia*, ſcilicet ut nequid e memoria elabatur ex omnibus, *quæcunque* ipſe eis unquam *dixiſſet.* Idem promiſſum repetit Joan. XVI. 13. & in ipſo ſuo in cœlum diſceſſu Luc. Ult. 49. dicens: *ego mitto promiſſum patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Ecce! prius adoriri munus docendi vetat; quam hoc dono inſtruantur. Promiſſi hujus executio habetur Act. II. 4. *repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto:* & ecce continuo ejus effectum ad docendum omnes gentes: *& cœperunt loqui variis linguis, prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Exinde Apoſtolus Paulus Eccleſiam Chriſti talibus inſtructam doctoribus vocat 1. Timoth. III. 15. *columnam & firmamentum veritatis*; ac de dono iſto immunitatis iſtius ab omni errore in docendo grave teſtimonium fert ad Epheſ. IV. 11 dicens: *& ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas,*

phetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores: quo fine? *ad conſummationem ſanctorum* (Chriſtianorum videlicet, qui jam ſunt in Eccleſia Chriſti; quos ibid. v. 4 dixerat eſſe *unum corpus*; in quo ſicut eſt *unus ſpiritus*, ita debere eſſe *unam fidem*, ſicut eſt *unus dominus*, id eſt, inſtitutor hujus ſocietatis & corporis iſtius moralis creator; *unum baptiſma;* ſeu una externa ejusdem profeſſio per idem ſignum legale; *unus Deus & pater omnium*) *in ædificationem corporis Chriſti:* - - UT JAM NON SIMUS PARVULI FLUCTUANTES, ET CIRCUMFERAMUR OMNI VENTO DOCTRINÆ IN NEQUITIA HOMINUM, IN ASTUTIA AD CIRCUMVENTIONEM ERRORIS. Ecce totum doni iſtius finem! & ſeriam Chriſti legislatoris ſupremi voluntatem de unitate doctrinæ & fidei in *corpore* ſuo, id eſt, Eccleſia *viſibili*, conſervanda, eaque tam perfecta, quam perfecta eſt unitas *unius ſpiritus* in uno corpore; ut videlicet, ſicut omnia membra reguntur ab una anima, ſic omnes Chriſtiani regantur ab uno Spiritu Dei, loquente per doctores a ſe conſtitutos.

120.

FACTUM IV. *Chriſtus gravi lege divina obligavit omnes Chriſtianos ad audiendos Apoſtolos docentes, quæ ipſe eis mandavit, & ad fidem eis habendam.* Etenim Marc. ult. 15. Chriſtus aſcenſurus in cœlum declarat ultimam ſuam voluntatem his verbis: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* QUI VERO NON CREDIDERIT, CONDEMNABITUR. Ecce ſeveram perfectamque gravis legis obligationem (11.)! *qui non crediderit:* cui? Apoſtolis prædicantibus Evangelium. Hoc ipſo autem fine neceſſario legatorum ſuorum ſeu *miniſtrorum* charactere (36. not.) eos inſignit,

 addens

addens continuo: *ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis &c.* Eventum prædictionis pluribus locis in Actis Apoſtolorum legere eſt, maxime in prima miniſterii hujus functione, facta in ipſo die Pentecoſtes. Deinceps quoque Apoſtoli conceſſa ſibi hac lege auctoritatem in omni occaſione palam profeſſi ſunt, maxime ſiqua controverſia de morum regulis exoriretur; uti Act. XV.: *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*: ubi ab onere legalium cerimoniarum legis veteris abſolvunt omnes Chriſtianos. Hinc S. Paulus ad Galat. I. 7. cum vigore poteſtatis declarat: *ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti* (nobis ſolis delegatum). *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis; anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: ſiquis vobis Evangelizaverit præter id, quod accepiſtis* (a nobis), *anathema ſit.* Et ibid. V. 2. *Ecce! ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini* (ex erroneo judicio, ac ſi neceſſaria ſit vobis circumciſio ad ſalutem, contra ac nos docemus), *Chriſtus vobis nihil proderit.* Ita pro auctoritate loquitur Paulus, poſtquam & ipſe Apoſtolici doni particeps, & ceu legatus Dei, miſſus a Spiritu Sancto prædicabat verbum Dei (Act. XIII. 4.).

121.

Factum V. *Chriſtus dedit Apoſtolis ſuis præter miniſterium docendi inſuper poteſtatem ſupernaturalem gravi pœna ſpirituali puniendi eos, qui aut dogmatis a Chriſto traditis, & per ipſos ejus nomine promulgatis, non haberent fidem; vel legibus ejusdem a ſe promulgatis morem non gererent.* Principale hoc factum apertiſſime demonſtratur ex Joan. XX. 20. ubi

ubi Chriſtus, jam cum gloria redivivus a morte, ſic Apoſtolos alloquitur; *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum*, (id eſt, meum ipſius ſpiritum, qui ſcilicet me in toto miſſionis meæ negotio rexit, ut eodem ſpiritu, eodem voluntatis totius propoſito *in eundem finem*, in quem ego, ſemper tota miſſione veſtra collimetis, videlicet in hominum ſalutem §. 106.): *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt.* Id eſt: quicunque in miſſionis iſtius negotio laborantibus vobis ita morem geſſerint, ut eos fructu meritorum, meorum, id eſt, peccatorum remiſſione, dignos judicaveritis, his remittendi actu peccata ſua poteſtatem vobis ita largior, ut, quorum vos remiſeritis, eorundem peccata & a me remiſſa ſint. Contra ſiqui vobis ita refractarii fuerint, ut eos dignos judicetis, qui in pœnam beneficio omni remiſſionis peccatorum a vobis eis impertiendæ priventur; nec ego remittam eis pœnam æternam, quam vos non remiſeritis. Enimvero pœna graviſſima erit, ſic & eo effectu excludi ab omni remiſſione peccatorum, quam aliis morigeris Apoſtoli vi conceſſæ his verbis poteſtatis indulgere poterant, ut eadem remiſſione in pœnam ab Apoſtolis negata, talis nec a Deo obtinendæ remiſſionis ſpem haberet. Idem amplius elucet ex Matth. XVIII.; ubi Chriſtus, poſtquam modum correptionis fraternæ & gradus ejusdem præſcripſit, gravitatem ejus pertinaciæ exaggeraturus, quam committat, qui correptione fraterna privata ſemel neglecta ad ipſam publicam Eccleſiæ congregatæ correctionem contemnendam denique progreditur, v. 17. ait: *ſi Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, id eſt, ſicut jam extorris aliquis & excluſus a ſocietate Chriſtiana, nec porro gaudens ejus ſacris juribus & ſpiritualibus emolumen-

mentis, aut ullis remediis ſalutis. Cur autem hoc, & unde tam gravis effectus? Rationem ſubjicit v. 18. ad Apoſtolos dicens: *amen dico vobis: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Senſus eſt: ratio, cur inſtar ethnici & publicani talis habendus ſit, hæc eſt: quia dabo talem poteſtatem vobis Apoſtolis meis, qua tales refractarios in pœnam ligare, id eſt, omni uſu mediorum ſalutis, quæ in Societate Chriſtiana ſuppetent, excludere poſſitis, ita, ut ſententia judicii veſtri effectum etiam in foro meo ſit habitura. Enimvero qui contra regulas morum a ſe Dei nomine promulgatas peccantem, nec poſt publicam correctionem eisdem parere volentem, morali poteſtate excludere poteſt ab omni uſu remedii ſalutis; is profecto ob culpam malo ſpirituali ut ſuperior afficere, hoc eſt, graviter punire poteſt: nec is ſolum *conſilio invitandi*, ſed *perfecte cogendi & obligandi poteſtate morali* inſtructus eſt. (16.).

* Non ego hic ullo pacto ſuppono quidpiam de propria poteſtate *Sacramentali* ordinis, aut de vera ratione *Sacramenti* novæ legis, quo gratia ſanctificans homini a Miniſtro vere conferatur, qui nomine Chriſti illud adminiſtrat: imo iſtam *aggratiandi poteſtatem* Apoſtolis collatam a Chriſto per ea verba, *quorum remiſeritis peccata &c.*, immediate hic non attingo (Ethic. Univ. Chriſt. §§. 727. 728. not.): ſed id ſolum affirmo factum eſſe a Chriſto, quod ſenſus obvius & clarus verborum Chriſti per ſe exprimit Joan. XX. 21., videlicet traditam ab eo Apoſtolis *poteſtatem retinendi peccata, & ligandi* reos ſic in contracto ſemel culpæ & pœnæ æternæ reatu, ut nec coram Deo Judice *in cœlo* ſine indulto illorum remiſſionem ab eo reatu obtinere ullo pacto poſſint; quoties Apoſtoli hac poteſtate legitime uterentur adverſus eos, qui illorum præceptis & auctoritati in recipiendis dogmatis fidei & exequendis legibus

gibus obſtinatæ refragarentur; quas illi ut acceptas & præſcriptas ab ipſo Chriſto divino legislatore vi expreſſi mandati ejusdem, ceu miniſtri illius, promulgarent. Hanc poteſtatem id genus reos violatæ & contemtæ legis cujuscunque a Chriſto latæ, & ab Apoſtolis promulgatæ, declarandi ceu inhabiles ad veniam & ſalutis gratiam ullo alio medio conſequendam etiam in foro Dei; niſi auctoritati Miniſtrorum eis ſe in exequenda eadem lege ab eis propoſita ſe ſubmitterent; hanc, inquam, poteſtatem ajo ego affirmate habere omnes notas *poteſtatis moralis coactivæ ſpiritualis*, ab ipſo Chriſto in Eccleſia ſua, ceu Societate viſibili ſpirituali, inſtitutæ, & Apoſtolis Joan. XX. 21. collatæ: ſiquidem poteſtas illa moralis coactiva aliud non eſt, quam poteſtas moralis *perfecte obligandi* libertatem hominis, & obligationi tali ſe ſubmittere detrectanti ob culpam legis transgreſſione admiſſam inferre malum pœnæ ſpiritualis (10. not. 11.).

122.

I. *Chriſtus Apoſtolis ſuis tradidit poteſtatem authentice declarandi leges fidei ac morum ab ipſo illis ceu miniſtris ſuis ad promulgandum concreditas.* Contulit enim is munus docendi, ac proin explicandi easdem (118.) cum dono infallibilitatis (119.), & miraculorum charactere eos ceu miniſtros ſuos inſignivit. Atqui talis quælibet declaratio vim legis habebat, ceu legem ſubjectivam, id eſt, certam notitiam legis divinæ objectivæ determinans (20. 19.), ac proin authentica erat (28.).

123.

II. *Chriſtus dedit Apoſtolis poteſtatem aliquam legislatricem proprie talem & ab homine exercendam, ſaltem eatenus ſe extendentem, ut poſſent legum divinarum fidei & morum, a ſe promulgatarum, executionem, ſpecialis pœnæ comminatione & impoſitione urgere.*

Vi poteſtatis enim a Chriſto conceſſæ poterant eos, qui legibus fidei ac morum a Chriſto latis, & per Apoſtolos promulgatis refragabantur; pœnæ ſpiritualis ſpecialis certa comminatione perfecte obligare, & quidem obligatione diſtincta ab obligatione mere divina, quam Chriſtus ipſe impoſuerat, ex. gr. qui non crederent ipſius verbis (*qui non crediderit, condemnabitur*): obligatio enim iſta divina ſolum reatum pœnæ æternæ importabat; obligatio vero ab Apoſtolis imponenda importabat reatum ſeu neceſſitatem manendi in reatu pœnæ æternæ, ita, ut nec pœnitentia alia quacunque a reatu pœnæ æternæ in foro Dei liberari poſſent, niſi obedientiam etiam exterius Apoſtolis, ceu Chriſti Miniſtris, & ipſius leges promulgantibus, atque nova obligatione humana appoſita urgentibus, exhibuiſſent. Atqui lex, cujus obligatio ab homine ad exiſtendum determinatur; humana eſt. Apoſtoli ergo leges proprias ſaltem circa materiam divinis Chriſti legibus jam præſcriptam ferendi poteſtatem habuere (24.).

124.

III. *Apoſtolis competebat ex inſtitutione Chriſti vera jurisdictio in Eccleſia Chriſti.* Eſt enim iſta jurisdictio attributum poteſtatis legislatricis (32. præc.).

* Nota: tametſi jurisdictio a poteſtate legislatrice quoad ſubjectum ſeparari poſſit (33.); nihilominus, ſi Chriſtus Apoſtolis ſolam poteſtatem docendi falli neſciam ſine omni poteſtate coactiva ſpeciali conceſſiſſet, eo ipſo illos & jurisdictione omni carituros fuiſſe: ſiquidem jurisdictio omnis poteſtatem exequendi leges per eſſentiam ſuam importat; niſi velis conſultorum in judiciis poteſtatem cum vera jurisdictione confundere (31. 30.).

125.

IV. *Tota poteſtas legislatrix Apoſtolis a Chriſto collata ſpiritualis & ſupernaturalis eſt.* Unice enim ad finem Societatis ſpiritualis, qualis eſt Eccleſia Chriſti, tota ejus facultas moralis activa obligandi pertinet (92. 106. 109. 1. 10. 13.): ſiquidem non niſi ad legum divinarum a Chriſto latarum executionem nova pœna ſpirituali, earum transgreſſoribus intentata, promovendam illius omnis energia ſpectabat (107. I. II 123.): *quod primum.* Porro evidens eſt, ſine divina poſitiva lege nulli creaturæ rationali facultatem per ſolas naturæ leges competere id genus pœna cogendi quemquam, ut Dei leges ſervet; qualem Apoſtolis datam a Chriſto oſtendi §. 121.: ergo ſupernaturalis illa poteſtas eſt; *quod alterum* erat.

* De poteſtatis itaque ſpiritualis & imperii legali inſtitutione divinitus a Chriſto facta ex ipſis apertiſſimis verbis Chriſti, ſummi Eccleſiæ Principis, certi plane ſumus. Sed an ſolis immediate Apoſtolis Chriſtus poteſtatem iſtam, ceu miniſtris ſuis immediatis, privative delegavit? an vero toti multitudini cœtus Eccleſiæ? ita, ut ab hujus cumulativo arbitrio penderet, eam vel certis perſonis communi conſenſu delectis, ceu ſuis immediatis miniſtris, per vota viritim data, ſeu unanimia, ſeu majora, exercendam ſuo nomine delegare, vel eandem per ſe immediate ac cumulative exercere. *Si poſterius* iſtud fecit Chriſtus; regiminis formam mere Democraticam in Eccleſia ſua inſtituit, & Societatem æqualem; præſertim ſi nec legem usquam addidit, qua modum deligendi miniſtros Eccleſiæ per vota ſeu unanimia, ſeu majora, determinarit (69. 70.): contra ſi iſtiusmodi legem forte addidiſſet; inprimis conſtare de ea deberet: tum vero Societas Eccleſiæ Chriſtianæ jam vi ſuæ inſtitutionis non mere æqualis eſſet; ſed æqualitas membrorum ejus in ſola poteſtate voto vel ſuffragio cumulativo denominandi perſonas ad mini-

miniſterium Eccleſiaſticum conſtaret; reipſa vero vi divinæ inſtitutionis cœtus ipſe, inhabilis eſſet ad poteſtatem ſacram immediate exercendam. Præterea conſtare deberet de tali lege non ſolum generice, ſed in ſpecie; quo pacto videlicet cœtus Eccleſiæ denominare Miniſtros ſuos deberet: an omnes cum æquali poteſtate, an unum cum ſuprema, alios cum inferiore & ſubordinata jurisdictione (34.). Ceterum modum omnem hujus inſtitutionis ex verbis tum Chriſti ipſius Domini immediate, tum Apoſtolorum, veluti teſtium immediatorum, diſcere debemus; qui ob ſuam integritatem, & divinæ miſſionis characterem miraculorum dono comprobatum, extra ſuſpicionem partialis ſtudii haud dubie haberi debent ab omni Chriſtiano homine, qui eorundem teſtimoniis adverſus Theiſtas tuto inniti ſe poſſe exiſtimet. Porro quæſtio iſta, cum de lege fundamentali ab ipſo Chriſto conſtituta agatur, qua modus omnis & forma regiminis primum in Eccleſia conſtituitur, nequaquam per Eccleſiæ aliquod judicium velut a priori decidi poteſt; quippe cujus ferendi *modus* quis ſit legitimus, & divinæ Chriſti inſtitutioni conformis, adhuc ignoratur. Ex quo proinde patet; quanti interſit, ut in extremi momenti inquiſitione recta methodo atque ordine procedatur. Quamquam illud negari tamen non poteſt; ex obſervantia, quæ circa modum regiminis in Eccleſia ſemper viguit, ac publice recepta fuit, veluti a poſteriori validum intorqueri argumentum poſſe, quod reipſa ſecundum illam inſtitutio a Chriſto facta fuerit: quippe a qua receſſiſſe, & quidem mox inde a principio, Eccleſiam ſuſpicari non debemus. Interim probatio præcipua ex ipſis verbis Chriſti ſummi Principis, & Apoſtolorum dictis, factisque, haud dubie repetenda eſt.

** Et vero meminiſſe hic probe oportet dogmatis Lutherani, & plerorumque Proteſtantium, qui ut plurimum non negant penitus poteſtatem legiſlatricem a Chriſto Domino in Eccleſia ſua relictam fuiſſe; volunt tamen, illam

illam toti Societati Chriſtianæ viſibili perinde traditam immediate fuiſſe, ſicuti poteſtas legislatrix Societati cuique *voluntariæ* mero humano pacto exortæ propria, etſi & ipſa a Deo ſit, originarie tamen eſt in ipſa tota Societate (57. III. IV.). Interim iidem tenent, a Chriſto Deo Homine permiſſum eſſe Societati Chriſtianæ perinde, atque cuivis Societati voluntariæ (66.), ut hujus poteſtatis exercitium atque regimen in quosdam certos rectores ſacros, ceu Principes Eccleſiæ, unum, vel plures pro arbitrio transferret; ſive jam hi ſint illi ipſi, qui Societati civili præſunt (uti fieri id debere multi ex Proteſtantibus tenent, in varias tamen pro more ſententias de lege fundamentali regiminis a Chriſto conſtituti abeuntes; de quo vide R. P. Zallwein T. IV. Quæſt. I. Cap. III. §. VI. & ſeqq.) ſive ſint alii ab iis diverſi, ad hoc communi Societatis cujusque Chriſtianæ ſuffragio delecti. Sic primis Eccleſiæ ſeculis, durante Ethnicorum Imperatorum regimine, ab ipſis Chriſtianis delectos eſſe ad ſacrum regimen Epiſcopos & Pontifices Romanos putant: a tempore tamen Conſtantini Magni Chriſtianos Principes ſibi utrumque regimen vindicaſſe: quod alii Proteſtantium jure factum defendunt ob ſocietatem Chriſtianam civili Societati jam prius exiſtenti ſolummodo quaſi inſertam & commixtam; alii contra cum Hubero Gieſſenenſi & Pfaffio hodiedum defendunt, jus regiminis ſacri exercendi civibus Chriſtianis eorumque Collegiis, ceu ſingillatim a Chriſto ipſi Eccleſiæ collatum, nec ullo pacto voluntario ab his in Principem transmiſſum, eripi a Principe Politico nec potuiſſe, nec poſſe; ſed cum populi injuria jam ultra limites a populo Chriſtiano præſcriptos promotum eſſe, primis quidem Eccleſiæ ſeculis ab ipſis Epiſcopis id exercentibus; amplius vero, nec niſi deſpotice, ereptum populo Chriſtiano a Politicis Chriſtianorum civium Principibus fuiſſe. Poſtremi hi itaque, magis Lutheri Scholiarchæ ſui ſenſis inhærentes, ac metu ducti, ne ſervitutem multo graviorem ſub jugo

jugo Principum Politicorum libertas Conſcientiæ totaque Eccleſia incurrat, quam illam fuiſſe autumant, quam ſub Pontificibus Romanis & Epiſcopis illorum Majores ſervierant; *Jura Collegialia* a *Juribus Majeſtaticis* diſtingunt; *poſteriora Principi* Politico, tam in Sacris, quam in Politicis, relinquunt; *priora* populo in neutris ſine injuria eripi poſſe defendunt. Cenſent autem inter *jura Collegialia ſacra* 1'.) *jus condendi formulam fidei*, exterius ſaltem profitendæ, ſalva tamen interna conſcientiæ libertate: 2'.) *jus ordinandi ſacra*, & ea, quæ ad cultum divinum pertinent, puta, ritus, locum, tempus &c.: 3'.) *jus eligendi Doctores & Paſtores*: 4'.) *jus condendi leges conventionales*: 5'.) *jus excommunicandi*, aut a cœtu excludendi eos, qui pacta ſervare nolunt: 6'.) *jus reformandi abuſus*: 7'.) *jus implorandi brachium ſeculare*, vel aliqua jura collegialia pro bono Societatis exigente transferendi in Principes civiles.

*** Porro *argumenta* horum *Proteſtantium* præcipue ſunt hæc: 1'.) Matthæi XVIII. 17., inquiunt, Chriſtus fratrem Chriſtianum privatæ correptioni refractarium ad totam Eccleſiam, id eſt, ad populum deferri jubet, ut ab ea publice corrigatur: *dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*: utque oſtendat Chriſtus, quanti Eccleſiæ totius correctio æſtimanda, quamque ejus offenſio metuenda ſit; addit: *amen dico vobis: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Prius de tota Eccleſia dixerat, ajunt; ergo & hoc poſterius. Non ergo ſolis Apoſtolis poteſtas hæc qualiſcunque ſed toti cœtui Chriſtianorum competit. 2'.) Act. XV. 22. *Apoſtoli & ſeniores cum omni Eccleſia elegerunt viros*, quos mitterent ad fideles Antiochiæ, legis de abrogatis a ſe legalibus nuntios; ac proin & legem illam cum conſenſu totius cœtus Eccleſiæ ac populi Chriſtiani fecere. 3'.) Iidem Act. VI. 2. *convocantes totam multitudinem diſcipulorum*, jubent, *conſiderare viros ex eis boni teſtimonii ſeptem, quos conſtituerent* Diaconos. - - *Et placuit*

tuit ſermo coram omni multitudine. - ' - *Et elegerunt Stephanum*, & reliquos &c. Volunt itaque Proteſtantes plerique, REGIMEN ECCLESIÆ CHRISTIANÆ VI INSTITUTIONIS A CHRISTO FACTÆ ESSE DEMOCRATICUM (68), RELICTUM TAMEN LIBERTATI IPSORUM CHRISTIANORUM, UT, ſicut ex ſocietate originaria civili Democratica, ita EX COETU SUÆ CUJUSQUE ECCLESIÆ FACERENT. STATUM ARISTOCRATICUM, AUT ETIAM MONARCHICUM.

**** Antequam porro ad contrarium aperte demonſtrandum accedo, *duo* circa ſententiam nota 2da relatam adhuc *adnoto*: *primum* eſt, quod ille Proteſtantes concedere hoc ipſo debeant, Pontificibus Romanis & Epiſcopis ſaltem ex conſenſu fidelium jus regendi Eccleſiam *in mere ſpiritualibus* competiiſſe inde a ſeculis amplius quindecim, vel ipſo Melanchtone id ſæpius confitente: idem vero an tantis violentiis eis eripiendi jus habuerint; an item multum lucri ſperare ex ejusdem in Principes Politicos translatione potuerint; ipſi viderint: *alterum*, quod ex Scripturæ not. 3. citatis locis ſtricte aliud non probent (ſi omnia concedantur, quæ ſpeciem veri in argumento habent) quam ad ſummum 1'.) quod ex Capite Matthæi XVIII. ſolo nec ſatis evidenter probetur, quod ſolis Apoſtolis, nec quod toti populo Eccleſiæ chriſtianæ, poteſtas illa ligandi & ſolvendi tradita ſit; ſed ſolum quod in Eccleſia poteſtas illa a Chriſto relicta ſit, ſeu ab Apoſtolis, coram tota multitudine privativa auctoritate ſententiam judicialem pronuntiantibus exercenda, ſeu ab ipſa multitudine aut judicium per ſe ferente, aut certis delectis miniſtris ſuis poteſtatem ad hoc delegante; ac proin ex aliis Chriſti verbis quæſtionem de modo regiminis exercendi decidendam eſſe; ex his ſolis vero non poſſe decidi: 2'.) quod in delectu perſonarum ad miniſteria Eccleſiaſtica Apoſtoli populi fidelis ſuffragia admiſerint, nec niſi tales, qui omnibus probarentur,

delegerint. Plus certe ex utroque Actorum Capite VI. & XV. non exſculpitur. Nam Act. VI. *munus docendi, & concedendi poteſtatem ſacram præſentatis a populo perſonis*, ſibi ſolis Apoſtoli aperte vindicant: inde enim dicunt v. 2. *non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*: atque idcirco quosdam ſibi viros *boni teſtimonii* deſignari petunt, tumque a populo ſibi oblatis ſeptem *ſoli* ipſi imponunt manus v. 6. *hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum*: & hi *orantes impoſuerunt eis manus*. Rurſus Act. XV. ſoli *Apoſtoli & Seniores* docent; *multitudo tacuit*; & v. 25. queruntur ſoli *Apoſtoli & Seniores*, quod Antiochiæ quidam *docendi munus* ſibi arrogarint, fideles *verbis turbantes, &* eorum *animas evertentes, quibus* ipſi *non mandaſſent* hoc munus. Apoſtoli ergo prætendebant poteſtatem privativam ſibi competere conſtituendi miniſtros verbi Dei. Solus delectus virorum Antiochiam mittendorum fit cum conſenſu & placito totius multitudinis fidelium v. 22: *tunc placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, & Silam, viros primos in fratribus.* Jam vero ſola nominatio, cum teſtimonio privato aptitudinis ad officium, non eſt transmiſſio ipſius poteſtatis legislatricis ullius, ne dicam ſpiritualis; multo minus importat ejus *delegationem* (34) imo hanc a ſolis Apoſtolis ſemper factam fuiſſe loca citata omnia aperte probant; ſicuti nec *ſubordinatio* ulla poteſtatis Apoſtolorum propriæ ad arbitrium totius cœtus Eccleſiæ ullo ex loco Scripturæ probari poteſt (cit.). His notatis jam abſolute oſtendamus, non Democraticam & popularem formam regiminis ullo pacto Chriſtum Dominum inſtituiſſe, ſed ſolis Apoſtolis immediate ab ipſo in perſona adhuc præſente in terris collatam eſſe omnem, quamcunque in Eccleſia ſua qua tali reliquit, ſpiritualem poteſtatem.

126. *Chri-*

126.

Chriſtus Dominus, quam in perſona præſens in terris immediate dedit poteſtatem ſpiritualem legislatricem Apoſtolis ſuis, ipſe quidem tunc immediate ſolis dedit Apoſtolis, non toti cœtui Chriſtianorum, ipſum Magiſtrum divinitus miſſum jam tum venerantium: 2'.) *neque dedit toti Eccleſiæ communem, cujus delegatione ſoli Apoſtoli, ceu totius Societatis Chriſtianæ nomine, præciſe exercerent; ſed dedit Apoſtolis propriam,* 3'.) *nec toti Eccleſiæ cœtui ſubordinatam* (vide §. 34.). Nam 1'.) quam promiſerat eis Matth. XVIII. 18., hanc denique diſcipulis in cœnaculo clauſo Jeroſolymæ congregatis dedit reipſa Joan. XX. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: quorum remiſeritis peccata, remittuntur; quorum retinueritis, retenta ſunt.* Atqui tunc quidem in cœnaculo non erant præſentes niſi Apoſtoli, & nequaquam omnes Chriſti diſcipuli, ſeu illi *ſeptuaginta;* de quibus Lucæ X.; ſeu illi *quingenti*, quibus poſtea in monte Galilææ apparuit; de quibus S. Paulus 1. Corinth. XV. 6.; quos omnes utique cœnaculum unum non cepiſſet: neque conſtat, poſtea usquam ceteris diſcipulis non Apoſtolis ullam id genus poteſtatem immediate a Chriſto Domino ante Aſcenſionem ſuam collatam fuiſſe: imo totis illis quadraginta diebus a reſurrectione ſua ad Aſcenſionem usque non niſi ſemel omnibus illis quingentis fratribus apparuiſſe legitur loc. cit. 1. Corinth. XV. 6.; quin ibi quid de id genus poteſtate ligandi & ſolvendi, retinendi ac remittendi, a Chriſto omnibus quingentis data, memoretur. Ex adverſo de Apoſtolis Act. I. 3. legitur: *quibus præbuit* (Chriſtus Dominus) *ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.*

2'.) Soli quoque Petro Matth. XVI. 16. promittit *claves regni cœlorum;* ſoli promittit, ſe daturum

 eam

eam poteſtatem, ut, quod ipſe *ſolverit*, aut *ligaverit ſuper terram*, *ſolutum & ligatum* ſit *in cœlis*. De quonam membro ſingillatim in Statu Democratico quis ex vero dicat: *tibi datum eſt imperium & regimen ſtatus: quæcunque tu poteſtate tua conſtitueris, juſſeris, vetueris, conſtituta, præcepta, vetita ſunt in toto regno hoc.* Enimvero hoc aperte falſum eſt de quovis cive. Evidens ergo vel ex hoc ſolo loco eſt, non meram Democratiam in *legali* iſta Societate fuiſſe a Chriſto inſtitutam. Atque hæc *ad primum* probandum ſufficiunt.

Quod ad alterum: Chriſtus tam Joan. XX. dicit Apoſtolis: *ego mitto vos, ſicut miſit me Pater:* (non: Eccleſia mea mittet vos): *accipite Spiritum ſanctum* & poteſtatem remittendi & retinendi peccata, a me (utique) immediate, non ab Eccleſia mea vobis illum Spiritum & eam poteſtatem delegante, ac proinde ea poteſtas Apoſtolorum, etſi reſpectu Chriſti precaria erat, & *a Chriſto ſupremo Principe* ipſis immediate *vere delegata*; reſpectu tamen Eccleſiæ erat omnimodis Apoſtolorum propria (34. not.). 2°. Pariter S. Petro Matth. XVI. dixit: ego *tibi dabo claves;* non autem: ab Eccleſia mea, quæ immediate a me acceptura eſt, tu mediate accipies claves. Ergo & Petri poteſtas non ab Eccleſia delegata ipſi poteſtas fuit, ſed Chriſti ipſius poteſtas immediate Petro reſpective ad Eccleſiam *propria* facta eſt (34. not.). 3°) Quid vero apertius illa aſſeveratione S. Pauli Apoſtoli (ceteris duodecim poſtea aggregati) in ipſo Exordio Epiſtolæ ad Galatas: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum.* Idem Cap. II. 6. graviſſime affirmat, ſe nihil ab hominibus accepiſſe ſpiritualis poteſtatis: *mihi enim videbantur aliquid, nihil contulerunt:* & adhuc gravius cap. I. 11. *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod Evangelizatum eſt a me; quia non eſt ſecundum homi-*

hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Et tamen verſu 8. & 9. præcedente intentat graviſſimam pœnam cuicunque refragaturo legi fidei a ſe prædicatæ (ſcilicet, quod obſervatio legalium neceſſaria non ſit porro ad ſalutem) : *ſiquis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis, quod Evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Nimirum & Paulus immediate miſſus a Chriſto (ad Galat. I. 12.) & a Spiritu ſancto (Act. XIII. 4.) fuerat. Hinc poteſtatem ſuam ſupra totam etiam Corinthiorum Eccleſiam, ceu *Patris*, ſuperiorem DECEM MILLIBUS POEDAGOGORUM, palam oſtentat toto Capite quarto 1. Corinth. ac denique omnibus ſibi refractariis *virgam* vindicem legum ſuarum intentat verſu ultimo ejus capitis : *quid vultis ? in virga veniam ad vos ? an in caritate, & ſpiritu manſuetudinis ?* Enimvero hæc omnia propriam Apoſtoli poteſtatem, immediate a Chriſto in totam Eccleſiam acceptam, non delegatam ſibi ab ipſa Eccleſia, aperriſſime ſignificant.

Quod ad tertium denique attinet; apertiſſimum ex omni Apoſtolica hiſtoria eſt, nunquam vel totam Eccleſiam ſibi ſumſiſſe poteſtatem moralem in Apoſtolos : contra vero Apoſtolos paſſim conſtituiſſe miniſtros Eccleſiæ, Epiſcopos, Presbyteros; quin requirerent Eccleſiæ confirmationem, aut quin tales ab Apoſtolis conſtituti unquam in exercitio poteſtatis ſuæ, in hujus extenſione, aut qualitate, ab Eccleſia, cui ab Apoſtolis præfecti fuerant, vel qualicunque hujus collegio, dependerent. Sic ubique a plebe chriſtiana cum bonæ fidei teſtimonio ad miniſterium ſacrum præſentatis perſonis ſoli Apoſtoli imponunt manus, & conferunt Spiritum ſanctum (Act. VI.) : id quod ſine dubio fieri a toto cœtu Eccleſiæ debuiſſet, ſi hujus miniſtri immediate, & cum poteſtate ab illo toto accepta conſtituendi fuiſſent.

ſent. Quodſi aliquando etiam alii ab Apoſtolis manus novis deſignatis miniſtris imponunt, uti 1. Timoth V. 14. ; ſoli *presbyteri* jam alias ad miniſterium ab Apoſtolis conſtituti id faciunt; *nunquam totus cœtus fidelium Chriſtianorum.* Ex adverſo ſolus Paulus *Apoſtolus Jeſu Chriſti*, non delegatus miniſter Eccleſiæ, in I. ad Titum v. 5. conſtituit rectorem Eccleſiæ in Creta inſula cum poteſtate conſtituendi alios Presbyteros, Doctores, & Epiſcopos; quin uſquam ſive Titum, ſive a Tito conſtitutos miniſtros, cœtui Eccleſiæ *ſubordinet*, cui præfecti fuerant. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros;* SICUT ET EGO DISPOSUI TIBI (34.). Itaque id genus ſubordinatio poteſtatis Apoſtolicæ ad cœtum Eccleſiæ prorſus fictitia eſt.

* *Indirecte etiam oſtendi id ipſum poteſt.* Quodſi enim in univerſo cujusvis Eccleſiæ cœtu depoſita a Chriſto Apoſtolica omnis poteſtas fuit; quæro: an Chriſtus modum legalem inſtituit, quo a cœtu illo poteſtas iſta certis perſonis, ceu miniſtris immediatis Eccleſiæ, transmitteretur? vel nullum inſtituit? *Si primum:* ubinam? *Si alterum:* ergo (ſicut in perfecta Democratia) vel uno membro reclamante poteſtas a cœtu in nullam perſonam ſingularem transmitti poteſt. *Porro autem* quid illis fiet, qui (ut olim in prima Eccleſia familiare plurimis erat) nulli civitati, nec peculiari cœtui civili nomen dabunt? Quis iſtos Chriſtianos *ſtante Democratiæ inſtitutione divina* in cœtus peculiares colliget, aut, ut ſubſint delegatis ab alio quovis cœtu Eccleſiæ miniſtris, coget? *Quidſi* vero ejusdem cœtus membra in factiones abeant: quis componet negotium deſignationis miniſtrorum & delegandæ poteſtatis?

** *Si dicas:* non meram democratiam a Chriſto inſtitutam eſſe, ſed ſimul eum modum dandi ſuffragia eſſe conſtitutum, ut per vota majora fiat delegatio miniſtrorum: euge!

euge! exhibe *legem* iſtam *fundamentalem* (69. 70.) in Evangelio aut Sacris literis quibuscunque conſignatam: *vel ſi fingas*, ſaltem a tota Eccleſia eam legem perpetuo fuiſſe conſtitutam; euge! hanc ipſam unanimem conſtitutionem documento aliquo veriſimili comproba.

*** Ita nempe vera religio Chriſti nihil minus exhorreſcit quam examinari ad notiones diſtinctas dogmatum, quæ comprehendit. Quisquis in *mero ſtatu Democratico* a Chriſto pro Eccleſia ſua conſtituto acquieſcis! age modo, notionem iſtius ſtatus metaphyſicam paullo profundius evolve; & vide ſis, num ſocietati illi quadret, quam legimus in Evangelio deſignatam. Quapropter equidem pro demonſtratione planiſſime habeo, quæ toto præſente paragrapho a me ſunt propoſita: cujus quamdiu vitium nemo oſtenderit; objectiones ſolvere ſupervacaneum puto.

127.

Prima itaque Chriſtiana Eccleſia virtute inſtitutionis Chriſti, & quamdiu vita Apoſtolorum perduravit, Societas inæqualis fuit (49. 50.). In ea enim ſoli Apoſtoli poteſtate ſpirituali & ſupernaturali coactiva inſtructi (125. 126.) veri ſuperiores erant ceterorum omnium Chriſtianorum (118. 120.*)

128.

Factum VI. *Chriſtus voluit, ut poteſtas legislatrix & jurisdictio omnis, ab ipſo Apoſtolis collata, ab his ad alios ipſorum in munere Apoſtolico ſucceſſores perpetuo transmittatur, & maneat in Eccleſia ſua.* Chriſtus enim Eccleſiam ſuam permanere voluit, & in omne ævum permanſuram prædixit talem; qualem ipſe primitus inſtituerat, videlicet Societatem inæqualem. Nam Matth. XVI. 16. dixit Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Talem itaque, qualem ipſe ædificavit

 primi-

primitus, ſemper permanſuram & voluit, & prædixit. Quodſi autem poteſtas docendi falli neſcia, ſicut & poteſtas remittendi peccata, ac eorundem retentione puniendi refractarios Chriſti legibus, ab Eccleſia poſt Apoſtolos ablata fuerit; evidens eſt, ædificium Eccleſiæ, id eſt, Societatis Chriſtianæ viſibilis ſpeciem eſſentiamque mutatam eſſe: ſiquidem forma regiminis, etſi non ad eſſentiam Societatis in genere (40. II.), attamen ad ſpeciem ejusdem ſine dubio pertinet; quippe quæ *lege fundamentali* determinatur (70.), qua Societatis qualitas & ſpecies determinatur. 2°.) Atque iſtud quidem in Societate legali, qualis Eccleſia Chriſti ex natura ſua eſt (112. VIII.), eo magis neceſſarium eſt. Cum enim & exiſtentia & ſpecies talis Societatis lege ſupremi principis, non ſociorum pacto & voluntate, determinetur (41.); ejus ſpecies per ſe conſtans magis ac perdurans eſt. 3°) Sed & finis inſtitutæ & traditæ Apoſtolis illius poteſtatis, hujusque ſumma ac perdurans in omne tempus neceſſitas, id ipſum evincunt. Finis enim (teſte S. Paulo ad Epheſ. IV. 11.) inſtitutæ poteſtatis Apoſtolicæ & totius muneris docendi erat, *ut ſit una fides, ſicuti eſt unus Dominus, & unum baptiſma: - - ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ &c.* Atqui ad hunc finem ſemper eadem eſt neceſſitas Miniſtrorum Chriſti pari docendi auctoritate & regendi jubendique poteſtate præditorum. 4°.) Sed & ipſi Apoſtoli ipſo facto poteſtatem, quam ipſi a Chriſto acceperant, adhuc viventes paſſim in alios transtulere, quosque ipſi conſtituerunt muneris ſui ſucceſſores, veluti a Spiritu ſancto conſtitutos haberi a ceteris Chriſtianis volebant. Sic Paulus Act. XX. 28. majores natu Eccleſiæ Epheſinæ his verbis alloquitur: *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Sic idem

ad

ad Titum I. 5. Titum inſulæ Cretæ ſe conſtituiſſe rectorem affirmat cum poteſtate conſtituendi presbyteros: quem Titum & ibidem inſtruit, tum quomodo ipſum docere Chriſtianos ſibi ſubditos oporteat, tum quales ipſe Doctores & Epiſcopos conſtituere debeat. Idem Paulus facit reſpectu Timothei in Epiſtola ad hunc Cap III. & V. Paria in Actis Apoſtolicis Cap XIII. de Barnaba, Simone nigro, Lucio Cyrenenſi, Manahen, & aliis Doctoribus cum poteſtate per Apoſtolos conſtitutis, legimus. 5'.) *Denique* quo fine, imo quo vero ſenſu, Chriſtus Dominus Apoſtolis, dum eos actu ad docendum cum poteſtate mittit Matth. ult., abiturus in cœlum promittit: *ecce! ego vobiscum ſum uſque ad conſummationem ſeculi?* quibus tamen idem ipſe necem a tyrannis inferendam alias certo prædixerat Matth. XXIV. 9.: *tradent vos in tribulationem, & occident vos.* Haud dubie non ipſos in individuo, ſed illorum in munere Apoſtolico ſucceſſores perpetuo futuros promiſſio hæc ſpectabat: quemadmodum & reipſa omnis hiſtoria chriſtiana docet, Apoſtolos in ſuo munere ſucceſſores habuiſſe, quos univerſa Chriſtiana Eccleſia pro talibus agnoſcebat, atque venerabatur.

* Habemus ergo oſtenſam non modo inſtitutionem primævam *inæqualis Societatis* Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed & perpetuitatem ejusdem. Eandem in praxi reipſa uſque ad tempora Waldenſium & Joannis Wicleffi, id eſt, ad ſeculum quartum & decimum usque, pœne extra controverſiam poſitam ac receptam fuiſſe, ex hiſtoria Eccleſiaſtica in comperto eſt. Supereſt, ut pro complemento proferamus in plenam quoque lucem ultimum Chriſti factum; quo ſcilicet *formam regiminis*, in ſpirituali regno Eccleſiæ ſuæ ab ipſis Apoſtolis obſervandam, ceu completa lege fundamentali ipſe quoque omnimodis determinarit. Videndum nempe, *an Ariſtocraticam, an Monarchicam, an ex utraque mixtam* eſſe voluerit: ſiquidem Democraticam certe excluſit.

CAPUT

CAPUT IV.

DE LEGE FUNDAMENTALI COMPLETA, QUA FORMAM REGIMINIS IN ECCLESIA SUA CHRISTUS DEFINIERIT.

129.

Sapientiæ divinæ, quæ Chriſto Domino, ceu ſupremo Eccleſiæ Principi & inſtitutori, inerat, conſilium evidenter erat, ut formam regiminis in Eccleſia ſua ejusmodi inſtitueret, 1'.) quæ fini iſtius Societatis viſibilis a ſe inſtituendæ quam maxime idonea, 2'.) & ad promovendam majorem hominum ſalutem majusque commune bonum ſumme efficax, 3'.) ac denique Societati Chriſtianæ tam amplæ, ac per totum orbem diffuſæ, quam optime & facillime in ordine ad ſuum finem regendæ ſufficiens eſſet. Sapientiæ enim perfectæ proprium eſt conſulere non ſolum finem optimum, ſed etiam media optima, quibus ad eum finem via breviſſima & quam maximo cum emolumento perveniri queat.

130.

Chriſtus Dominus poteſtatem jurisdictionis & legislationis ſacræ non inſtituit tanquam exercendam immediate per unam ſolam perſonam in tota Eccleſia, ſed per plures in diverſis locis conſtitutos ſui ipſius miniſtros; 2'.) quin tamen ad ejus exercitium legitimum & efficax ſemper opus ſit omnes, quibus ea poteſtas communis eſt, vel ſaltem multos ex eis magno ac certo numero in unum congregari, aut concurrere ad concludendum in quavis cauſſa per vota unanimia (61. 62.). Conſtat enim, Chriſtum id genus poteſtatem dediſſe omnibus Apoſtolis ad docendum & prædicandum cum auctoritate Evangelium in toto mundo, & ad regen-

regendas immediate quasvis Eccleſias particulares (122. ſeq.), cum perpetua ſucceſſione transmittendam in alios (128.), ita quidem, ut ſinguli eſſent *miniſtri Chriſti* ipſius (teſte Apoſtolorum 1. Cor. IV. 1. *ſic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti*) & immediate jus dicendo, Chriſtianos regerent ſecundum illud ejusdem Apoſtoli effatum Act. XX. 28: *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, quod *primum.* Porro autem idem Chriſtus Dominus, poſtquam eisdem Apoſtolis Matth. XVIII. promiſerat poteſtatem iſtam ſuo tempore a ſe conferendam, continuo aliud hoc addidit promiſſum v. 19: *iterum dico vobis: quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re; quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis eſt.* UBI ENIM SUNT DUO VEL TRES CONGREGATI IN NOMINE MEO; IBI SUM IN MEDIO EORUM. Circa quæ Chriſti verba probe animadvertendus eſt ſcopus & occaſio hujus promiſſi divini ex ipſo dictorum contextu prævio & ſubſequente. Poſtquam enim Chriſtus v. 15. docuerat ordinem & modum fraternæ correctionis a Chriſtianis communiter obſervandum, & juſſiſſet denique, correptione privata nihil efficiente, rem ad Eccleſiæ *forum publicum* deferre (utique non ſemper univerſalis Eccleſiæ, in quo omnes Miniſtri Jeſu Chriſti per totum orbem diſperſi pro quavis particulari cauſſa dijudicanda convocarentur; quod in obviis ſcandalis nec poſſibile ſemper, & ſumme noxium ob intermiſſas alias apoſtolici officii functiones futurum eſſet; ſed ad forum publicum quidem, ſed particularis Eccleſiæ rectorum): ut auctoritatem ſacris Judicibus etiam paucis ſeorſum judicaturis adderet, porro ſubdidit: talem accuſatum, ſi non obtemperaret illis, quibus ipſe poteſtatem alligandi & retinendi peccata, in cœlo ipſo vim habituram, daturus eſſet, pro ethnico, id eſt, extorre ab ſocietate chriſtiana, habendum a ceteris

teris eſſe. Et ne paucitas judicum, & ſeparatio a ceteris Eccleſiæ rectoribus, contemtum parere poſſet; hoc denique inſuper adjungit: his quoque, utut duo ſolum vel tres ſint, ſapientiæ ſuæ conſilium æque, ne errent in judicio affuturum, modo *in ſuo nomine ſint congregati.* Memento autem, ſummum *Principem divinum* ita loqui ad eos, quos ſe abſente in regni ſui provinciis gubernatores conſtituturum decrevit; qui videlicet etiam ſpecie viſibili non præſens, ſapientiæ tamen ſuæ conſilio & virtute adeſſe pro arbitrio poteſt. Quid eſt autem *in nomine* ſupremi Principis a regno ſuo abſentis (viſibili ſpecie) congregari miniſtros ab eo delegatos? Dicam ſtatim.

131.

In nomine ſupremi Principis (35. 68.) *tunc ſolummodo in Societate legali; congregantur judices delegati & miniſtri quicunque* (34. 36.)*; ſi cum obedientia erga legem ipſius fundamentalem congregantur, qua is formam & modum regiminis exercendi ab ipſis præſcripſit.* Non enim niſi ad tale exercitium poteſtatem precariam (citt.) ab ipſo accepere, & mandatum, ut vice & nomine ipſius regant ſocietatem ab ipſo lege illa inſtitutam.

132.

In Societate legali, qualis eſt Eccleſia Chriſti (112. VIII.), *nulla nova lex a miniſtris rectoribus ejuſdem conſtituta valere poteſt; niſi ex legis fundamentalis præſcripto in ea ferenda ſe gerant.* Cum enim poteſtate mere precaria (3) præditi a ſupremo principe fuerint (30); ultra modum, quem is in uſu ejus poteſtatis præſcripſit, nihil efficere poſſunt. Atqui modus ille exercendi poteſtatem legislatricem lege fundamentali præſcribitur (69.).

133.

Chriſtus poteſtatem legislatricem & jurisdictionem, quam ceteris omnibus Apoſtolis dedit, ſubordinavit poteſtati legislatrici & jurisdictioni, quam S. Petro contulit. Et contuliſſe quidem Petro poteſtatem & jurisdictionem qualitate & ſubſtantia eandem, quam contulit ceteris, per ſe ex dictis (118. ſeqq.) evidens eſt: quia ubique ex æquo ſaltem ad Petrum, ſicut ad ceteros locutus eſt. Porro autem poteſtatem ceteris traditam Chriſtus poteſtati morali & jurisdictioni S. Petri ſubordinavit; ſi in quovis exercitio actuali illam ab iſta quoad efficaciam, ſeu validi exercitii exiſtentiam, dependere ſtabilis legis virtute voluit (34). Atqui voluiſſe Chriſtum hoc duplici ex Chriſti effato manifeſtum eſſe oſtendo. *Primum* illud eſt Matth. XVI. 16; ubi Petro præ omnibus Apoſtolis fervore majore ipſum verum Dei filium profitenti, poſt fidem ejus publice commendatam, priusquam ſimile quid ceteris Apoſtolis aut omnibus, aut ulli eorum ſingillatim promiſiſſet, grande hoc promiſſum in præſentia omnium ceterorum Apoſtolorum fecit: *& ego dico tibi: quia tu es Petrus; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Hoc in loco Chriſtus *inprimis* Petro perinde promittit poteſtatem legislatricem & jurisdictionem ſpiritualem, atque hanc paulo poſt promiſit ceteris Apoſtolis ſimul cum Petro Matth. XVIII. 18. *quæcunque ſolveritis &c. quæcunque ligaveritis &c.* *Deinde* Petrum in ſua Eccleſia, id eſt, ſocietate legali viſibili, fore idem prædicit, quod eſt *fundamentum* reſpectu totius *ædificii*. Atqui ratio *eſſentialis* fundamenti in ædificio eſt, ut partes omnes ædificii earumque uſus aptus ad communem ædificii finem in perduratione uſus ſui actualis ad eum finem

con-

continuo a fundamento dependeant. Ergo & Chriſtus Dominus omnem aliam partialem poteſtatem in Eccleſia ſua, cujus energia & exercitio, ſeu uſu activo, omnia alia membra ſocietatis ope legum, ceu illius effectuum immediatorum, ad communem Eccleſiæ finem promoveatur (107. I. II. 122. 123. 125), dependere a poteſtate Petri ceu a fundamento voluit. Unde & ſingulari expreſſione reſpectu ipſius utitur: *tibi dabo claves regni cœlorum.*

Alterum Chriſti effatum huc præcipue pertinens illud eſt Joann. XXI. 15. Cum enim jam antea (Joan. XX. 21.) Apoſtolos omnes cumulative cum Petro inſtruxiſſet pari poteſtate legislatrice & jurisdictione (121. 122. ſeq.) dicens: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.*; nihilominus poſt hæc Apoſtolis pluribus præſentibus (Joan. XXI. 2.) a Petro ſingillatim primo conteſtationem, uti nuper fidei, ſic modo amoris erga ſe ſpecialis, & præcellentis ante ceteros Apoſtolos, exigit, eamque tertium repetitam: *Simon Joannis; diligis me plus his?* Apoſtolis videlicet præcipuis, qui aderant, ipſisque filiis Zebedæi. Et cum tertium reſponderet confidenter quidem pro intima conſcientia, *Domine, tu ſcis; quia amo te*, nulli tamen ſe præferens; Chriſtus ſupremus ille paſtor omnium (utique & Apoſtolorum atque ipſius Petri) & princeps ſummus Eccleſiæ ſuæ, tanquam *gregis*, coram Apoſtolis, id eſt, coram rectoribus ipſis, cum pari poteſtate jam alias a ſe conſtitutis, dicit tertium ſoli Petro: *Simon! paſce agnos meos: paſce oves meas*, omnes ſcilicet, quas huc uſque ego pavi.

Jam *in his duobus effatis* Chriſti ajo I°., *certum eſſe, quod ſpectato obvio tenore & ſignificatu verborum & totius contextus Chriſtus ſoli Petro aliquid ſpeciale promittat Matth. XVI, & actu committat Joan. XXI. cit. circa Eccleſiam ſuam*, id eſt, circa Societatem viſibilem ſpiritualem a ſe inſtitutam; *quatenus*

tenus hæc ſimilitudinem quamdam cum ÆDIFICIO *&* GREGE OVIUM *habet; quod ceteris Apoſtolis communiter nec promittebat., nec committebat.* Cur enim Matth. XVI. nomine proprio novo *Petri* illum individuo velut charactere diſtinguit? Cur, cum uſum clavium omnibus Apoſtolis daturus eſſet Joan. XX. 21., claves tamen ipſas, ceu dominio alto, tenendas ſoli Petro ſe daturum promittit? Cur, poſtquam jam actu omnibus contulit parem jurisdictionem, cur, inquam, a ſolo Petro majoris præ ceteris omnibus erga ſe amoris promiſſionem, ceu publicam conteſtationem fidelitatis, tanquam requiſitum ad eam poteſtatem ac munus exigit, quam ei continuo eſſet collaturus verbis illis: *paſce oves meas.* Quorſum, quæſo, omnes parergæ iſtæ verborum in legislatore divinæ ſapientiæ? An prorſus inanes verborum phaleras eſſe credamus a Chriſto iſthic uſurpatas?

Ajo II., *certum eſſe, id, in quo præcipuum quid præ cæteris Apoſtolis Petro Chriſtus Matth. XVI. promiſit, & Joan. XXI. actu contulit, eſſe ipſam jurisdictionem ſpiritualem in Eccleſia, quam prius Joan. XX. 21. jam parem & in ſubſtantia, ac qualitate prorſus eandem omnibus jam contulerat.* Cum enim *ædificio* Eccleſiam ſuam Matth. XVI. comparat, ejusque *fundamentum*, a quo perennis iſtius ædificii in primævo ſtatu conſervatio extitura ſit, Petrum fore prædicit: profecto unionem atque nexum moralem, qui in obligatione ſociali primæva præciſe conſiſtit (40. II. not.), in Eccleſia ſua ſub eadem lege fundamentali, ſub qua a ſe ipſo conſtituta fuerit, perennem fore promittit; ſimulque, uti nexus ceterarum partium omnium ædificii, etiam columnarum, fornicum &c. & quæcunque aliis fulciendis inſerviunt, ab imo fundamento conſtanter in omni exiſtentia ſua dependet, ita fore prædicit, ut Petrum conſtituturus ſit pro fundamento

tam immobili, ut, ſiqua in ceteris ædificii partibus ruina forte ob fragilitatem illarum ingrueret, illius tamen ſolius fundamenti firmitate tota ædificii ſpiritualis ſubſtantia ſtabilis & firma in omne ævum ſit conſtitura. At quo pacto iſtud præſtabit Petrus niſi ſuperioritate falli neſciæ poteſtatis? *Deinde*, ſi verba Matth. XVIII. *quæcunque ſolveritis &c.*, *quæcunque ligaveritis &c.*, ad omnes Apoſtolos prolata, æque ac illa Matth. XVI. ad ſolum Petrum dicta, *quodcunque ſolveris &c.*, *quodcunque ligaveris &c.*, poteſtatem ſpiritualis jurisdictionis exprimunt; profecto Petrus, ſi per ea ipſa verba, *tibi dabo claves regni cælorum*, quid ſpeciale ac proprium, nec commune ceteris, obtinuit (hic I.), in ipſo modo exercendæ illius poteſtatis prærogativam ſortitus eſt ſpecialem, nec ceteris communem: ſiquidem *claves regni cælorum*, Petro ſingillatim conſignatæ in manus, aliud haud indicare poſſunt, quam privativam ſupremam ligandi & ſolvendi poteſtatem.

III. *Certum eſt, Chriſtum ſpectato obvio ſignificatu verborum*, TIBI DABO CLAVES &c., QUIDQUID SOLVERIS, QUIDQUID LIGAVERIS &c., *item* PASCE OVES MEAS, *ipſos quoque Apoſtolos ceteros poteſtati morali S. Petri, ceu ſupremi ſui vicarii miniſtri, ſubjeciſſe.* Nunquam enim Chriſtus ceteris Apoſtolis ſine Petro, bene tamen his locis; ubi actu ſpeciale quid Petro circa poteſtatem jurisdictionis ſpiritualis tribuit (II. hic), *Petro ſoli* præſentibus etiam aliis Apoſtolis ſpectato obvio verborum ſignificatu id omne confert, quod alias contulerat omnibus una cum Petro ſumtis ſimul Quod ergo ceteris omnibus vel cumulative dedit, vel diſtributive; idem privative Petro dedit, eo diſcrimine, ut, cum Apoſtolis cum Petro conjunctis dederit poteſtatem in omnes Chriſtianos diſtinctos ab Apoſtolis, non autem cuivis Apoſtolo in alium Apoſtolum, Petro ſoli ſine exceptione dederit eandem poteſtatem cum extenſio-

tenſione majore in ipſos quosvis ceteros Apoſtolos: Dicit enim: *paſce oves meas*, id eſt, omnes, quas ego pavi huc uſque: atqui & Apoſtoli erant oves Chriſti: ergo oves Petri deinceps Apoſtoli quoque facti ſunt, ab hoc paſcendi etiam ipſimet, vel in perſona, vel in ſucceſſoribus, ſiquando haberent opus.

134.

Verba Chriſti ad S. Petrum Matth. XVI. 16. prolata, TU ES PETRUS &c., *item Joan. XXI. 21.* PASCE OVES MEAS, *ſpeciem legis fundamentalis aperte præſeferunt, qua Chriſtus legislator divinus in Eccleſia, ſeu Societate legali viſibili a ſe conſtituta, modum regiminis, & poteſtatis miniſtrorum inferiorum ſubordinationem ad unius ſupremi Chriſti in terris Vicarii jurisdictionem & poteſtatem altiorem determinavit: 2'.) ac proinde ceu clara aſſumi, atque ſecundum obvium ſuum ſignificatum intelligi ſine tortis explicationibus debent.* Omnis enim poteſtas moralis, quam Chriſtus in ſua Eccleſia inſtituit, & Apoſtolis ſuis immediate conceſſit, ad poteſtatem docendi, & leges fidei & morum a ſe traditas pœnis ſpiritualibus urgendi, revocatur; & hæc ipſa tota poteſtas ceterorum Apoſtolorum, & miniſtrorum Chriſti in Eccleſia regenda, ſimili poteſtati unius S. Petri, ceu ſupremi Vicarii ipſius, per allegata modo Chriſti effata aperte ſubordinatur (præc.); qua in ſuprema poteſtate ſi fundetur quodcunque ejus exercitium, nihil inde detrimenti unquam fini ultimo iſtius Societatis eventurum Chriſtus certo oraculo prædicit: *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Itaque eisdem Chriſti verbis forma & modus regiminis *complete* determinatur, quo imperium in Eccleſia exerceri, & regi omnes Chriſtianos in ordine ad finem ultimum ſalutis æternæ voluit; *complete*, inquam;

 etenim

etenim *exiſtentiam legalis ſocietatis* alicujus viſibilis ſeu Eccleſiæ alicujus, Chriſtus determinavit obligando omnes ſufficiente ſui notitia imbutos ad fidei publicam profeſſionem & baptiſmum (108. 109.); *inæqualitatem* vero hujus *ſocietatis* inſtituit, cum Apoſtolis poteſtatem veram legislatricem ſpiritualem ſupra ceteros omnes Chriſtianos conceſſit (122. ſeq.); *modum* denique & *formam regiminis* definiit, cum poteſtatem ceterorum Apoſtolorum Petri unius poteſtati ſubordinavit, & omne ejus exercitium in conſenſu & ſubordinatione cum Petri ſupremo imperio fundari voluit (præc.): ergo per § 70. in illis Chriſti effatis lex fundamentalis a Chriſto lata aperte continetur: *quod primum*. Hinc autem *alterum* per ſe conſequitur (86).

* Hoc uno principio tam evidente, & vel ex ſolo conceptu ſapientiæ divini legislatoris tam neceſſario fluente, futilia omnia argumenta illa contraria diſſipantur, quæ contra doctrinam huc uſque traditam ex innumeris ineptis torſionibus & obvio cum ſignificatu contextuque pugnantibus interpretationibus illorum verborum Chriſti repetuntur.

** Communis reſponſi loco ad id genus argumenta omnia quæro equidem ſolummodo: quidſi Princeps aliquis & Monarcha terrenus, profecturus in exteras regiones, ante abitum conſtitueret miniſtros plures pro regendo ſuo populo, tumque uni ſeorſim ceteris miniſtris præſentibus diceret: *tibi do adminiſtrationem regni mei: quæcunque tu ſtatueris, juſſeris, vetaveris, rata erunt tanquam a me ipſo præſente conſtituta eſſent: tu, ſi vere me amas, guberna ſubditos meos:* quid ex hoc concludendum ceteris tum ſubditis, tum miniſtris? & ſiquidem uni illi ſupremo conſtituto miniſtro, pro neceſſitate boni communis emergente quid recte imperanti parere detrectarent; quo obtentu ſe reduci Principi a rebellionis crimine purgare poſſent? An quod

non

non ita ſuprema verba illius interpretanda cenſuerint, ut plane ſe ſubjectos ſeſe illi haberent? At enim num locus iſthic interpretationi eſſe poteſt? Profecto *lex fundamentalis regni interpretationem non ſuſcipit niſi ab eo, qui tulit: & ſi verbis lata ambiguis reipſa eſt, improvidentiæ, vel inſcitiæ, vitio legislator carere non poteſt;* quod profecto in Chriſtum Dominum cadere poſſe nemo niſi inſipiens cogitarit. Cunctis ergo, qui tali Societate continentur, lex omnis fundamentalis ſemel lata obſervanda juxta ac intelligenda ſecundum literam eſt. Atqui verba illa Monarchæ terreni eadem pæne ſunt, quæ fuere Chriſti ad Petrum. *Claves* regni cœlorum adminiſtrationis regiminis ſymbolum ſunt vulgare. *Solvere* & *ligare* in Chriſti Eccleſia, ut conſtat, idem eſt ac leges ferre, jura dicere, eademque abrogare, cum res tulerit. *Petri decreta legitima* vim & valorem habent *in cœlo;* quatenus rata habentur a Chriſto ſupremo Capite Eccleſiæ; a quo ipſe habet vicariam poteſtatem.

135.

Nunquam Chriſtus Dominus publico & ſolenni aliquo effato ſeu uni alicui Apoſtolo ſingillatim (ſaltem Petro interim excepto), ſeu pluribus illorum ſimul, voluntate tamen & judicio a Petro ſejunctis, infallibilem in docendis fidei & morum legibus ab ipſomet traditis promiſit, vel impertitus eſt, 2°.) ſicuti nec poteſtatem obligandi lege humana (123.) totam Chriſti Eccleſiam ad easdem acceptandas & obſervandas ſub eadem hypotheſi ſeceſſionis illorum a Petro. 3°.) Ex adverſo, ut exerceatur in Eccleſia ſuprema illa ſpiritualis jurisdictio & poteſtas legislatrix inſtituta in ordine ad leges fidei & morum a Chriſto traditas authentice declarandas, aut etiam lege humana a miniſtris Chriſti firmandas (123.), cum effectu obligationis divinæ & humanæ vel ad unum particularem Eccleſiæ cœtum, vel ad univerſos Chriſtianos pertinente, Chriſtus Dominus nuſpiam lege

 funda-

fundamentali requiſivit conſenſum majoris alicujus numeri Apoſtolorum, vel ſucceſſorum eorundem, ſeu unanimem, ſeu certo præſcripto numero ſuffragiorum (ex. gr. majore illorum parte): ſed ſufficere conſtituit duorum vel trium cum S. Petro, vel ejus ſucceſſore ſupremo Chriſti in terris Vicario, conſenſum. Et *primum* quidem iſtorum patet ex eo; quia nuſquam tale effatum Chriſti extat in ſcriptis Evangelicis, aut ceteris ſcripturis authenticis: ſiquidem, quoties per dicta §. 121. Chriſtus Apoſtolis ſuam & S. Spiritus præſentiam & auxilium in docendo promiſit, nunquam non id fecit eisdem conjunctis ſimul cum S. Petro: ſoli autem Petro aliquando ſeorſim a ceteris quid promiſit Matth. XVI., & contulit Joann. XXI. 21. (133. I.) Cum vero Matth. XVIII. promiſit præſentiam ſuam etiam duobus ſolum vel tribus Apoſtolis congregatis; addidit conditionem, ſi *in nomine* ſuo, id eſt, ſecundum formam regiminis lege fundamentali a ſe in regno Eccleſiæ ſuæ conſtitutam, eſſent *congregati* (131.), id eſt, cum ſubordinatione erga poteſtatem ſuperiorem S. Petri, tanquam fundamenti totius Eccleſiæ, & Paſtoris ipſorum Apoſtolorum a ſe conſtituti (133. II. III. 134.). Unde nec unquam creditum in Eccleſia Chriſti eſt, duos tresve Epiſcopos, licet pro veris ſucceſſoribus Apoſtolorum haberentur, leges divinas fidei & morum pro univerſa, vel particulari etiam Eccleſia, ultimo & erroris experte judicio definire poſſe. *Alterum* inde conſequitur, quod obligatio certæ fidei docentibus Apoſtolis habendæ (120.) ſupponat in iſtorum Magiſterio infallibilis auctoritatis actuale & authenticum exercitium. Ergo cum authentia iſta deeſt ob non ſervatam formam regiminis a Chriſto lege fundamentali præſcriptam, nec obligatio abſoluta ad credendum eisdem locum habere poteſt. *Tertium* denique ex

illo

illo Chriſti promiſſo Matth. XVIII. *ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo &c.*, & ex jam dictis §. 130. n°. 2. per ſe patet.

* *Dixi primo*: nullo *ſolenni* Chriſti effato conſtare &c.: quibus verbis neutiquam nego, Apoſtolis etiam ſingulis infallibilitatis in docendo donum ſpeciale ac conſtans a Chriſto fuiſſe conceſſum; quæ communis Theologorum Chriſtianorum, nullo tamen Eccleſiæ oraculo definita, ſententia eſt: ſed ſolum inficior, id factum a Chriſto ſolenni & publico effato; quale ſi interveniſſet, ſicuti ipſum munus Apoſtolicum, ita & illud infallibilitatis donum ad ſucceſſores quoque Apoſtolorum tranſmiſſum fuiſſet. Porro autem licet illud donum ſpeciale in ipſis Apoſtolis Evangelium prima vice prædicantibus in ſe neceſſarium erat, ne primi doctores veritatis jam erroris diſſenſu aliquo ſe implicarent; haud tamen neceſſaria erat ſolennis illius doni promulgatio; cum miraculorum donum auctoritatem abunde Apoſtolis conciliaret, & perfectus in doctrina conſenſus cum S. Petro hoc ipſo perduraret.

** *Dixi ſecundo*: ad leges fidei & morum ab ipſo Chriſto traditas authentice promulgandas, & obligatione Eccleſiaſtica humana firmandas ſufficere paucorum miniſtrorum Chriſti cum S. Petro, vel hujus ſucceſſore, conſenſum. *Nam* ad alias leges mere humanas Eccleſiaſticas, & ad actus jurisdictionis in particulares perſonas, & multo amplius in perſonas ipſos miniſtrorum Chriſti inferiorum, multa alia requiri ex præſcripto Chriſti, nec tam infallibile eſſe iſtiusmodi jurisdictionis exercitium, inferius proprio loco docebimus.

136.

***Signum**, ex quo omnis cœtus Eccleſiæ dignoſcere queat, quosvis miniſtros Chriſti* in quovis ſingulari actu atque uſu poteſtatis & jurisdictionis ab illo acceptæ regimen exercere ſecundum legem

fundamentalem ab ipſo præſcriptam, id eſt, *agere, congregari, judicare, legem ferre &c. in nomine ipſius, debet eſſe publicum, & ab omnibus Chriſtianis facile cum omni certitudine dignoſcendum.* Ad hoc enim, ut miniſtri Chriſti exercitio efficaci ſuæ poteſtatis actu obligent active & paſſive, in ſubditis chriſtianis certitudo requiritur de actuali legitima poteſtate (19. n. 1.), quæ poteſtas, ceu mere precaria in miniſtro Principis (36.), lege fundamentali, uti confertur, ſic & præciſe definitur.

137.

I. *Itaque Miniſtri Chriſti per hoc præciſe agere in nomine Chriſti cenſeri non poſſunt, quod recta voluntatis intentione procedant, aut procedere ſe profiteantur.* Iſtud enim, an vere ita ſe habeat, nequaquam immediate diſcernere Chriſtiani ceteri cum certitudine poſſent, nec proin ſcire, utrum agant in nomine Chriſti.

II. *Nec eo ipſo Miniſtri Chriſti ſemper actu agunt nomine Chriſti, quod habituali miniſterio & poteſtate rite inſtructi ſint.* Secus enim verba *in nomine meo* pro Apoſtolis fruſtra eſſent a Chriſto per modum conditionis adiuncta, & duo quivis eorum ſucceſſores junctis votis ſemper infallibili judicio judicarent.

138.

Niſi verba Chriſti Domini ad Petrum Matth. XVI. 16. & Joan. XXI. 21. accipias pro lege fundamentali Societatis Eccleſiaſticæ ab ipſo inſtitutæ, & juxta tenorem obvium verborum ita explices, ut per ea exprimi intelligas Vicariatum Chriſti verum & poteſtatem ſuperiorem S. Petro conceſſam, cui ſubordinetur (34.) omnis alterius apoſtolicæ poteſtatis exercitium ſic, ut ſaltem contra Petri, vel ejus veri ſucceſſoris, legitimum judicium & voluntatem nunquam valide

lide in Eccleſiæ membra exerceri, nec ſine ſupremi Chriſti Vicarii interventu quidquam ad legem totius Eccleſiæ pertinens definitiva ac irrefragabili ſententia concludi poſſit: niſi, inquam, iſtud pro certo aſſumatur; *neceſſe eſt, omnes Chriſtianos incidere in grande abſurdum illud, ut concedere cogantur, a Chriſto Domino non ſolum modum regiminis, ab Apoſtolis horumque ſucceſſoribus in ſua Eccleſia exercendi, omnino nulla certa fundamentali lege determinatum, ſed illis ipſis verbis apud Evangeliſtas præcipuos, & Apoſtolos Matthæum & Joannem, deſcriptis ita dubium & litibus obnoxium factum eſſe, ut contentio de illo finiri in Eccleſia nullo unquam pacto queat, ac proinde ob legis ipſius fundamentalis incertitudinem vix quidquam certi unquam in quæſtionibus fidei & morum in eadem definiri.* Quodſi enim ceterorum miniſtrorum Chriſti poteſtas Petro ejusque ſucceſſori ſubordinata non ſit; pares erunt omnes inter ſe, & regimen Eccleſiæ Chriſti ad Ariſtocraticam formam vi inſtitutionis Chriſti revocabitur. Jam vero hoc etiam poſito evidens tamen eſt, Chriſtum nec votorum unanimitatem, nec certum numerum, nec majorem partem requiſiviſſe ad concludendum in quavis cauſa legum fidei & morum, ſed ſolum *ut in ſuo nomine* ad judicandum & definiendum *congregentur quotcunque demum* (130. n 2.): utrum vero in nomine Chriſti congregentur hi, vel iſti, cum alii in has, alii eorum in oppoſitas partes votis abibunt, nullum diſcernendi medium Chriſtus reliquit; ſiquidem hoc nuſpiam in Scripturis extat; ſi non in citatis locis Matth. XVI. & Joan. XXI. exprimatur. Quodſi itaque 1'.) pars major ſtet ex parte una contra Petrum vel ejus ſucceſſorem ſtantem cum paucioribus aliis ex oppoſito; quis divinabit, quinam in Chriſti nomine præ alteris congregentur? cum Petrus Matth XVI. ſaltem ſpectato obvio verborum ſignificatu videatur fundamentum

 omnis

omnis infallibilis & legitimi judicii & regiminis in Eccleſia fuiſſe a Chriſto conſtitutus. Quodſi 2'.) de ipſis miniſtris Apoſtolicis dubium decidendum ſit, ex. gr. an omnium par ſit auctoritas, qui ex. gr. Epiſcopi & Presbyteri appellantur; an vero horum poteſtas illis ſit ſubordinata? an verum inter amborum poteſtatem ſit conſtitutum a Chriſto diſcrimen? quo pacto finietur lis iſta? an certius ex aliquo Chriſti effato ſubordinatio poteſtatis Presbyterorum ad poteſtatem Epiſcoporum, quam Epiſcoporum ad S. Petri poteſtatem probatur? Nulla ergo controverſia definitivo judicio infallibili finiri in Eccleſia poterit; nec ipſi miniſtri Eccleſiæ infallibili magiſterio docere ceteros Chriſtianos poterunt leges fidei* & morum.

* Velim ergo criterium mihi aſſignari, ex quo dignoſcere queam, Patres Nicænos potius quam Ariminenſes in Chriſti nomine congregatos fuiſſe; aut Patres Nicæni II. Concilii potius, quam Concilii Conſtantinopolitani æque numeroſi a Copronymo Imperatore convocati: niſi illud ſufficiat, quod Patres Nicæni primi Sylveſtrum, ſecundi vero Hadrianum I., S. Petri ſucceſſores adſtipulantes habuerint; Ariminenſes vero Liberium, Conſtantinopolitani Hadrianum I. ſibi adverſos habuerint. Idem de aliis quam plurimis ſibi adverſantibus Conciliis particularibus & generalibus ex æquo valet.

139.

Evidens eſt, Chriſtum Dominum lege aliqua fundamentali in Eccleſia ſua conſtituiſſe modum, quo judicium & ſententia definitiva in omni quæſtione & controverſia ad leges fidei & morum ab ipſo traditas pertinente ferretur a ſuis miniſtris per ipſummet conſtitutis. Secus enim fruſtra iſtos ad docendum omnia, quæ ipſe mandaverat, cum poteſtate coactiva conſtituiſſet (118. 121.) & æque fruſtra obli-

obligaſſet omnes ad credendum eisdem (120.); vel certe miniſterii ſui durationem ad tempora vitæ Apoſtolicæ reſtringere debuiſſet; cum ſolis Apoſtolis miraculorum dona, queis fidem facere etiam ſinguli verbis ſuis poſſent, non item illorum ſucceſſoribus conceſſerit.

140.

Evidens eſt, Chriſtum Dominum Eccleſiæ ſuæ, quoad illa ex ſubditis chriſtianis æque ac rectoribus, ſeu ſuperioribus, ſuis miniſtris, conſtat, ita proſpexiſſe, ut nunquam errori eſſet obnoxia in dignoſcendo modo illo regiminis, ab ipſomet inſtituto (præc.), quo definitiva judicia circa leges fidei & morum ab ipſo miniſtris ſuis traditas ferrentur. Æque enim neceſſe eſt, ut modus tum ſubditis, tum rectoribus Societatis cujusque, ſit publice notus, quo leges cum effectu feruntur & authentice declarantur; atque neceſſe eſt, ut aliquis talis modus regiminis ſit reipſa lege aliqua fundamentali a ſummo Principe, legalis Societatis auctore ſapiente, conſtitutus, ad hoc, ut regi ipſa Societas, & legibus ſeu regulis efficacibus, ceu mediis abſolute neceſſariis, dirigi & promoveri ad communem finem poſſit. Quodſi vero ita errare Eccleſia poſſet, ut modum regiminis ſpurium, nec Chriſti legibus fundamentalibus conſonum, pro vero & a Chriſto inſtituto adoptaret: enimvero leges a ſpuriis vel infidis miniſtris modo non legitimo declaratas, falſasque, pro veris Chriſti legibus in materia fidei & morum quacunque adoptare, ac proin tam quoad modum regiminis, quam quoad leges ab ipſo Chriſto revera traditas circa fidem & mores, a vera illa Chriſti Eccleſia deſciſcere, atque mutari in aliam ſocietatem ab illa longe diverſam poſſet, ac proinde penitus deficere. Atqui repugnat hoc evidenter indubitato promiſſo ipſius Chriſti

Chriſti Domini Matth. XVI. 16. dicentis: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam;* ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM. Prævaleret enim ſocietas hoſtilis dæmoniórum, Chriſti propoſito adverſantium (quæ haud dubie nomine *portarum inferi,* ſeu civitatis hoſtilis*, exprimitur) adverſus ſocietatem a Chriſto inſtitutam; ſi machinationibus ac dolis ſuis eo rem adducerent, ut everſis legibus, fundamentalibus æque ac ad fidem & mores pertinentibus, Societas Chriſtiana a ſua inſtitutione legali penitus deficeret. Et quorſum tunc illa aſſeveratio Chriſti Dei Hominis Matth. XXVIII 20.: *ego vobiſcum ero uſque ad conſummationem ſeculi.* Profecto enim præſentia virtutis divini legiſlatoris & principis ceſſavit; poſtquam primæ ejus inſtitutionis legalis energia omnis evanuit.

* Nimirum *relativa* hæc ſunt: perpetuum fore fundamentum ædificii, & ædificium ſemper in eo fundatum iri. Sic pariter relativa ſunt, legem fundamentalem Societatis ex Chriſti promiſſo ſemper eandem perduraturam, & a Chriſti Eccleſia legis illius notitiam (ſubjective 20. 19.) ſemper iri conſervatum.

141.

Nulla probabili ratione, imo evidenter contra obvium tenorem verborum Chriſti, aſſeritur, Chriſtum in Eccleſia ſua ſummum imperium pure Ariſtocraticum cum pari miniſtrorum ſuorum omnium cumulativa poteſtate ita inſtituiſſe, ut vel in ipſorum arbitrio reliquerit, num in unum aliquem ipſorum vicarium & communem miniſtrum, toti collegio ipſorum ſubordinatum, regimen ipſum transmittere velint, vel etiam, ut hoc omni tempore fieri præciſe imperarit, reſervato ſemper toti collegio ſupremo arbitrio poteſtatis. Verbo: *S. Petrus regimen ſupremum Eccleſiæ exercere*

mere lege Chriſti divina & fundamentali juſſus eſt, non ut miniſter delegatus collegii Apoſtolorum, ſed ut immediatus miniſter & vicarius ipſius Jeſu Chriſti: ac proinde per §. 128. idem valet de ſucceſſoribus S. Petri in omne tempus futuris (34. 35. 36.). Et *primo* quidem ſi mere Ariſtocraticum eſſet Eccleſiæ imperium, & cum pari omnium miniſtrorum a Chriſto poteſtate inſtitutum; niſi ipſi unanimibus votis modum concludendi aliquo in communi conventu perpetuo conſtituiſſent; nunquam quid lege certa univerſali, etiam ipſos Miniſtros Eccleſiæ obligante; definiri in regulis fidei ac morum, etiam ab ipſo Chriſto traditis, poſſet in Eccleſia Chriſti; niſi toties omnes Miniſtri & participes muneris Apoſtolici ex toto orbe in uno voto convenirent: ſiquidem ſocietas optimatum prorſus inter ſe æqualium originarie ſe habet perinde atque ſocietas voluntaria adhuc æqualis; in qua nihil novæ legis, pares omnes ſocios obligantis, niſi ex votorum unanimium conſenſu conſtitui poteſt, multo minus ſummi imperii regimen, niſi ea conditione accedente, in alium quemcunque transferri (62. 64. 66.) Atqui non unanimia Apoſtolorum ac miniſtrorum ſuorum vota ad declarandas promulgandasque authentice leges fidei ac morum a ſe conſtitutas requiſiviſſe Chriſtum Dominum, nec reliquiſſe in eorum arbitrio, ut vel huic modo per vota unanimia decidendi pro jure ſuo ſinguli inſiſterent, vel actu per unanimia vota alium faciliorem magisque obvium decidendi ac concludendi modum, deinceps perpetuo obſervandum, ipſi primum lege propria inſtituerent; exinde profecto evidens eſt, quod ne veſtigium quidem extet id genus concluſi Apoſtolici collegii, vel ullius veteris Concilii Epiſcoporum ante Conſtantienſem generalem Synodum; tum quod ipſe Chriſtus Dominus nuſpiam conſenſum magni vel majoris numeri, multo minus omnium

Apo-

Apoſtolorum requirat ad hoc, ut poteſtatis ſuæ ſupremæ ac principalis vim in exercitio poteſtatis miniſterialis cum valore iſtius & integro effectu reipſa interventuram promitteret; ſed id unum, ut *in ſuo nomine* utcunque pauci, *duo*, *vel tres* etiam ſolummodo, congregentur. Sed neque *ſecundo* Chriſtus uſpiam imperavit Apoſtolis, ut ipſi collegii ſui Apoſtolici miniſtrum aut pro arbitrio aliquem, ex ipſis, vel extra gremium, aut nominatim Petrum, deligerent, & cum poteſtate vicaria ad Eccleſiæ regimen commune ſuo nomine gerendum delegarent. Aut ubi demum legis aut præcepti iſtius Chriſti Domini ad Apoſtolos veſtigium? ubi executio ejus facta ab Apoſtolis? Aut quandonam ullus ſucceſſor S. Petri miniſtrorum, qui Apoſtolicis ſucceſſere, unanimi ſuffragio electus eſt? *Tertio* denique Chriſtus, uti ipſe immediate per ſe & pro ſe miſit omnes Apoſtolos Joan. XX. 21. *ſicut miſit me Pater*, *& ego mitto vos &c. &c.*, ita & immediate ipſe dixit Petro Matth. XVI. *ego dico tibi: tu es Petrus;* ipſe illum conſtituit Eccleſiæ ſuæ fundamentum; *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam;* ipſe eidem dedit claves, *tibi dabo claves regni cœlorum.* Pari modo ipſe Chriſtus juſſit paſcere oves *ſuas* Joan. XXI. *paſce oves meas;* non oves collegii Apoſtolici; imo ipſos Apoſtolos, ceu qui & ipſi erant oves Chriſti (133. III.). Quodſi itaque Chriſtus Dominus Apoſtolis immediate ut ſuis miniſtris, & non Eccleſiæ toti, dedit poteſtatem miniſterialem, quamcunque dedit (126.); pari modo credendus eſt S. Petro dediſſe poteſtatem ſupremam vicarii immediati ſui ipſius, non autem Collegii Apoſtolici vicariatum. *Quarto* denique contra obvium tenorem verborum Jeſu Chriſti Matth. XVI. 16. & Joan. XXI. 15. aſſeritur, Chriſtum deſignando perſonam Petri deſignaſſe immediate *Eccleſiam*, cui

totum

totum id, quod ibi Petro dare videbatur, immediate dederit, nec Petro niſi ut Eccleſiæ miniſtro. Sive enim cum Luthero & Calvino nomine *Eccleſiæ* intelligas univerſam ſocietatem Chriſtianorum, ſive cum Antonio de Dominis collegium Apoſtolorum, &, qui his ſuccedunt, Epiſcoporum; ſemper ineptiſſimus orietur ſenſus verborum Chriſti totiusque illorum contextus. Et Matth. XVI. 16. quidem ſic reipſa loquetur divinus Magiſter: beatus es, Simon Barjona! quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis: & IDCIRCO ego dico TIBI: quia TU, ECCLESIA MEA univerſalis, aut TU, COLLEGIUM MEUM APOSTOLICUM, es petra, & ſuper hanc petram, id eſt, vel ſuper ipſam univerſalem Eccleſiam, vel ſuper collegium Apoſtolicum; ædificabo totam ſocietatem fidelium Chriſtianorum. Profecto Eccleſiam ædificare ſuper eam ipſam Eccleſiam ut fundamentum *metaphora* eſt, quo nulla abſurdior. Ædificaturum vero ſe Eccleſiam omnem ſuper collegio Apoſtolorum ſi Chriſtus prænuntiare vult; cur Petrum huic collegio ſubſtituit, & ad hunc ſermonem immediate dirigit, *tu* es Petrus, ſuper *hanc* petram ædificabo? An quia vult, ut collegium Apoſtolicum Petrum ſibi vicarium ſubſtituat? Enimvero obſcurius lege iſta fundamentali ſapientiſſimi omnium legiſlatoris fingi poteſt nihil; nec invenietur ullus legiſlator ex hominibus, qui legem fundamentalem concipere tam obſcuram voluerit; quin interpretem authenticum relinqueret. An vero licitum eſt in lege fundamentali per ſe clara proprii ingenii ſtudio ænigmata tam obſcura fingere (86)? An id genus fictio inobedientiam ſupremo Principi excuſabit? Parem in modum Joan. XXI. 15. hic orietur ſenſus: *ſi me*, *Simon*, *plus diligis* ceteris *hiſce* præſentibus collegis tuis Apoſtolis, *paſce oves meas;* id eſt, volo, ut totum collegium Apoſtolorum meorum te ſuum

Vica-

Vicarium & Miniſtrum conſtituat, ut ejus nomine regas omnem Societatem chriſtianam. Næ aut legislator obſcuriſſimus iſte eſt, aut abſurdiſſimus hiſtoricus, in concipienda, ac referenda lege fundamentali illius reipublicæ; extra quam non eſt ſalus, & in qua ſalus omnis ex lege fundamentali pendet.

142.

I. *S. Petrus itaque vi legis fundamentalis Matth. XVI. 16. & Joan. XXI. 15. a Chriſto latæ, & per Evangeliſtas Apoſtolos palam authentice promulgatæ, ceu ipſius Chriſti in regenda ſua Eccleſia ſupremus Vicarius & miniſter eſt conſtitutus; eique poteſtas omnium reliquorum Chriſti miniſtrorum in eadem Eccleſia regenda ex Chriſti ipſius lege ſubordinata eſt* (134. 138.).

II. *S. Petrus æque ac alii Apoſtoli in ſua poteſtate ſucceſſores perpetuas ex vi divinæ Chriſti inſtitutionis habet; qui perinde ut ipſi ſunt immediati ſupremi Vicarii & miniſtri ipſius Chriſti; & quibus ceterorum miniſtrorum, qui ceteris Apoſtolis ſuccedunt* (128.), *poteſtas itidem eodem modo ſubordinatur.* Quæcunque enim loc. cit. afferuntur argumenta pro ſucceſſoribus perpetuis Apoſtolorum ceterorum, evidens legenti eſt, eadem etiam probare perpetuos ſucceſſores Petri. Infra autem ex inſtituto oſtendemus, Eccleſiam univerſam omni tempore pro talibus ſucceſſoribus S. Petri Romanos Pontifices habuiſſe. Ergo per §. 140. &c.

143.

* *Veram Chriſti Eccleſiam* voco illam partem totius Societatis chriſtianæ viſibilis, quæ eſſentialia omnia Societatis illius ſpiritualis viſibilis in ſpecie ſua completæ habet, qualis a Chriſto inſtituta eſt.

* Vere

* *Vera* nempe Chriſti Eccleſia a veritate ſeu *identitate adaquata metaphyſica* dicitur cum ea in ſpecie, quam & qualem Chriſtus inſtituit.

144.

I. *Qui Chriſtiani quidem ſunt, ſeu ſimpliciter, ſeu etiam voluntatis propoſito* (112. III. IV.), *nec tamen legis fundamentalis notitia citra ſuam culpam imbuti ſunt, qua Chriſtus formam & modum regiminis in ſua Eccleſia determinavit: membra quidem alicujus Eccleſiæ Chriſtianorum ſunt*; quia revera communi obligatione, ceu nexu, colligantur, qua ſecundum præſentem ſuam cognitionem obligantur ad eundem finem ſuæ & alienæ ſalutis profeſſione externa fidei in Chriſtum, & baptiſmi ceu ſigni legalis perceptione promovendum: 2.) *ſed non ſunt membra veræ Eccleſiæ Chriſti*; quia actu ob defectum notitiæ non obligantur lege illa fundamentali, adeoque nec comprehenduntur communi nexu ejus ſocietatis in ſpecie, quam Chriſtus inſtituit.

II. *Qui vero ex Chriſtianis legis illius fundamentalis certa notitia imbuti ſunt, qua Chriſtus veram Eccleſiam ſuam in ſpecie completa & ſub forma ac modo regiminis determinato inſtituit, nec tamen vel aſſenſu intellectus, vel voluntatis obſequio, eidem legi adſtipulari volunt; Chriſto legislatori & ipſi ejus veræ Eccleſiæ, hujusque rectoribus ceu Chriſti ipſius miniſtris, rebelles ſunt*, ſeu utrorumvis poteſtatis legislatricis directi contemtores. Directe enim contemnit ſuperioris poteſtatem, qui ſciens, quod ſit recta & legitima, tamen illam voluntate & odio diſplicentiæ ſic averſatur, ut eam exiſtere nolit, atque idcirco intellectus aſſenſu recognoſcere detrectet (Ethic. Univ. Chriſt. §. 202)

* Quos altero hoc Corollario definivi, vulgo in Eccleſia vera Chriſti *Hæreticorum* nomine inde a primis ejus

ſeculis venere; quod nomen vi etymologiæ græce proprie quidem non niſi hominem ſignificat, qui non ex communi ſenſu & auctoritate legitima, ſed ex opinione privata & particulari, ſenſa ſibi propria format, & idcirco *ſectam*, id eſt, receſſionem a communi ſocietate facit; ſeu bona mente, ſeu deſtinata malitia & erroris certa cognitione id faciat. Ex conſtanti tamen uſu Eccleſiæ Chriſtianæ Univerſalis ſignificatum odioſum *Hæretici* nomen obtinuit, ita, ut eodem non niſi homo Chriſto & veræ ejus Eccleſiæ deſtinato ſtudio rebellis denotetur; qui idcirco pœnis Eccleſiæ, quas graviſſimas poteſtas miniſtrorum Chriſti infligere poſſit (121.), ſubjaceat; quibus niſi cedat denique intellectus & voluntatis ſubjectione erga legitimam a Chriſto in Eccleſia ſua inſtitutam, & a ſe probe cognitam poteſtatem; ſalvus fieri nequaquam poſſit, juxta illud Chriſti ipſius effatum Matth. XVIII: *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus;* quæ verba per antonomaſiam de formali contemtore Eccleſiaſticæ correctionis & coactivæ poteſtatis ſine dubio intelligenda ſunt; ſiquidem aliquando conſtet, talem reipſa extare in Eccleſia Chriſti, ab ipſo quidem Chriſto Domino vere inſtitutam.

** At enim quoniam privato homini Chriſtiano cuicunque judicis officium non convenit de interna cognitione & malitia alterius Chriſtiani; idcirco, quos ſolenne Eccleſiæ veræ Chriſti rectorum judicium hæreſis crimine ſingillatim non condemnavit, eos odioſo hæreticorum nomine notare nemini privato licet: atque hoc ipſo ſapienter in Germanico Imperio cautum eſt, ne Catholici Proteſtantibus iſtius nominis infamiam audeant uſpiam inurere.

III. *Qui confuſe aſſenſu firmæ fidei adſtipulatur univerſæ doctrinæ Jeſu Chriſti, ſed tamen ignorat (licet ſine omni culpa) lege fundamentali ipſius inſtitutam in ſua Eccleſia poteſtatem, Chriſtianæ quidem alicujus Eccleſiæ, ſed non veræ Eccleſiæ Chriſti membrum*

brum & ſocius eſt : quia nondum iſtius eſſentiali obligatione ſpecifica tenetur (præc. I.)

145.

IV. *Omnis & ſolus ille veræ Eccleſiæ Chriſti membrum ac ſocius eſt, qui & Chriſti Domini ceu divini legislatoris, & poteſtatis legislatricis, modique regiminis ab eo in Societate chriſtiana viſibili conſtitutæ, certa notitia imbutus, utriusque fidem publice ac legitime* (id eſt, ſigno legali, baptiſmi videlicet receptione primitus, & deinceps negative ſaltem, hoc eſt, nullo dato ſigno retractatæ primæ profeſſionis) *profitetur.* Sicuti enim cuique Societati in ſua ſpecie individua ſpectatæ, atque inprimis ſi legalis illa ſit, modus & forma regiminis eſſentialis eſt; ceu quod lege fundamentali iſta conſtituantur ceu notæ ſtabiles & perdurantes, quibus genus Societatis ulterius determinatur (70. 40. II. III. IV.); ita nemo ſocius eſſe poteſt veræ Eccleſiæ Chriſti, niſi qui legis fundamentalis ejus regimen legale determinantis certa notitia imbutus, ac proin iſtius obligatione paſſiva adſtrictus eſt (19.). *Porro* cum Eccleſia vera Chriſti vi ſuæ inſtitutionis tota viſibilis ſit (109); quippe cujus omnes ſocii ad profeſſionem externam univerſæ doctrinæ Chriſti obligantur; cujus doctrinæ pars eſt inſtituta ab illo poteſtas & modus regiminis in Eccleſia ſua: quoniam denique poteſtas ipſa moralis niſi in ſubditos viſibiles, ſeu qui, quod ſint tales, dignoſci queant, exerceri ſalva rectitudine non poteſt: idcirco etiam profeſſio externa notitiæ tum Chriſti legislatoris, tum poteſtatis & regiminis ab eo in Eccleſia inſtituti requiritur, ut quis ſit veræ Eccleſiæ Chriſti ſocius. *Præterea* legalis profeſſio externa eſſe debet, quæ certitudinem lege requiſitam faciat de notitia interna Jeſu Chriſti æque ac poteſtatis ab eo inſtitutæ. Atqui hanc certitudinem non facit ceteris

 Chri-

Chriſtianis ille, qui baptiſmum non recipit, ſine quo ſalvum fieri neminem ipſius Chriſti apertiſſimo effato conſtat; & qui nihilominus eo ſolo fine aſſociare ſe Eccleſiæ ejus ſimulat, ut ſalvus fiat (107. I. 109.). *Denique* ultra hoc nihil requiri, ut quis veræ Eccleſiæ Chriſti ſocius ſit, inde patet, quod, quisquis hisce duabus notitiis (ceu legibus ſubjectivis 19. 20.) de obedientia Chriſto ſupremo Principi divino & ejus miniſtris exhibenda in omnibus, quæ præcipiunt, imbutus eſt, & utramque externe profitetur, is omnis eo ipſo tota obligatione ſociali, Chriſti Eccleſiæ veræ propria, teneatur.

* Ex his patet evidenter, nulla ſufficiente ratione a Launojo ceu bonæ Logicæ regulis adverſam traductam fuiſſe veterum Catholicæ Eccleſiæ Doctorum definitionem, quam de *vera Chriſti Eccleſia* ſequentem tradidere; quod videlicet ſit *cœtus hominum* (viatorum, ſeu in terris adhuc degentium) *unius fidei Chriſtianæ profeſſione & eorundem Sacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum paſtorum, ac præcipue unius in terris Chriſti Vicarii, Romani Pontificis.* Quodſi tamen *Eccleſiam Chriſtianam* in toto ſuo veluti genere & extenſione, at non in ſpecie completa individua, definire velis; recte dicere poteris, eſſe ſocietatem viſibilem hominum, baptiſmi receptione ſecundum Chriſti legem ad Deo ſerviendum ſe obligatos profitentium.

** *Proteſtantes*, qui cum doctiſſimo D. Daries (Inſtit. J. P. Univ. P. ſpec. Sect. VII. C. I. §§. 873. 878.) *Eccleſiam* definiunt *eſſe cœtum eorum, qui de religione conſentiunt;* indeque concludunt, *manifeſto rationi repugnare, ut in Eccleſia ſint imperantes & ſubditi;* profecto *Societatis legalis* conceptu caruiſſe videntur, in notionem *Societatis mere voluntariæ*, quam in Jure publico late exponebant, tota meditatione intenti. Atqui evidens eſt, inter Societatem legalem & mere voluntariam in ipſo modo totius conſtitutionis fun-

fundamentalis eſſentiale inprimis diſcrimen eſſe debere: eo quod totius regiminis conſtitutio in ſocietate voluntaria originarie a ſociorum voluntate, in legali vero a legislatore inſtituente, qui aliunde jam omnium ſuperior eſt, præciſe dependeat. Nec vero illud dubitari ullo pacto poteſt; quin Eccleſia omnis chriſtiana inter Societates legales potius quam mere voluntarias pertineat.

146.

Schiſmatici vocantur, qui dicto aut facto negant ſe veris Chriſti miniſtris ſubjectos eſſe.

147.

I. *Hæretici & Schiſmatici publice Hæreſin & Schiſma profitentes, veræ Chriſti Eccleſiæ membra non ſunt.* Retractant enim profeſſionem externam poteſtatis lege fundamentali a Chriſto conſtitutæ, eo ipſo, quod hæreſin & ſchiſma profiteantur (143. II. not. præc.): ergo per §. 145. viſibilis veræ Eccleſiæ Chriſti membra porro non ſunt.

II. *Etiam reprobi in Eccleſia vera Chriſti ut ejus membra continentur* (145.), *& a fortiori* homines actu gravium culparum rei, ſeu *peccatores*, tales videlicet, qui peccando Dei, Chriſti, & Eccleſiæ legem non directe, ſed indirecte ſolum contemſerunt, vel certe ejus contemtus formalis tale publicum indicium non dedere (Ethic. Univ. Chriſt. 202. 406.

III. *Occulte ſolum Hæretici & Schiſmatici, quamdiu certam intellectus notitiam de lege fundamentali veræ Eccleſiæ Chriſti conſervant, etſi voluntate obſtinata aſſenſum ei abjudicent, manent tamen membra veræ Eccleſiæ Chriſti; quamdiu hæreſin & ſchiſma externe diſſimulant.* Obligatione enim tota paſſiva

ſociali veræ Eccleſiæ Chriſti adſtringuntur, & ſimul membra adhuc viſibilia ſunt.

* De *Excommunicatis* dicere nondum poſſum; cum excommunicationis notio evoluta nondum iſthic inveniat locum.

CAPUT V.

OSTENDITUR, LEGEM FUNDAMENTALEM REGIMINIS ECCLESIASTICI, QUALEM SCILICET CAP. PRÆC. STABILIVIMUS, INDE A PRIMIS TEMPORIBUS AGNITAM IN CHRISTI ECCLESIA FUISSE.

148.

Veræ Chriſti Eccleſiæ lex fundamentalis, ſiqua Chriſtus modum & formam regiminis in ea ipſe ordinavit, ignota eſſe non potuit inde a primis jam ſeculis. Cum enim Eccleſiaſtica Chriſtianorum Societas, quoad viſibilis eſt, non mere legalis, ſed ex parte voluntaria ſit (112. VIII.); quatenus nempe voluntatis electione quisque externe profitendo univerſam Chriſti legem eidem ſe actu viſibili modo aſſociat: idcirco, quicunque erant actu veræ Chriſti Eccleſiæ membra, ſiquidem aliqua fundamentali lege revera Chriſtus & regimen Eccleſiæ ſuæ ordinavit, & ſpecificam eſſentiam ſuæ Societatis legalis ipſe determinavit, hanc ipſam perſpectam habere, & ejus fidem profiteri exterius debebant, ut ejusdem membra reipſa evaderent (143.). Atqui ſemper fuere aliqua membra veræ Eccleſiæ Chriſti; ſecus enim ipſa vera Eccleſia Chriſti defeciſſet; quod ſalvo Chriſti promiſſo manifeſto fieri nequaquam potuit (110. 140.). Ergo &c. Vide item §. 140.

149. *Inde*

149.

Inde ab Apoſtolis Eccleſias particulares Chriſtianorum in diverſis provinciis Epiſcopi rexere cum poteſtate Apoſtolorum ſimili, & ſucceſſione continua ſic, ut non ceu miniſtri Eccleſiarum, ab ipſis Eccleſiis conſtituti & poteſtatem adepti, ſed ut miniſtri ipſius Jeſu Chriſti, & accepta ab ipſis anteceſſoribus miniſtris poteſtate chriſtianis cœtibus in rebus ſpiritualibus præeſſent. Sive.: *Eccleſiæ Chriſtianorum inde a principio agnovere inæqualitatem Societatis viſibilis Chriſtianæ, & miniſtrorum Chriſti jurisdictionem cum perpetua ſucceſſione, lege fundamentali ab ipſo Chriſto fuiſſe inſtitutam.* Habemus iſta ex teſtimoniis minime ſuſpectis ſequentibus.

1°.) Anno Chriſti 69 circiter S. Clemens Romanus, teſte Tertulliano in L. de Præſcript. *ab Apoſtolo Petro ordinatus Romanorum Epiſcopus*, in Epiſtola ad Corinthios, certo & ſecundum omnes authentica, ita ſcribit: *Deus miſit Jeſum Chriſtum, & Jeſus Chriſtus Apoſtolos. Apoſtoli in regionibus & urbibus prædicantes, quos inter ſe optimos invenerunt, & Spiritu Sancto probatos, in Epiſcopos & Diaconos illorum conſtituerunt, qui credituri erant; & mandarunt, ut poſt eorum deceſſum alii viri probati in miniſterio ſuccederent. Itaque, qui ab Apoſtolis conſtituti fuerunt; aut ab aliis viris excellentibus cum totius Eccleſiæ conſenſu, & deinde irreprehenſibiles Chriſti gregem in humilitate & pace, non ut mercenarii, paverunt; hos a miniſterio repelli æquum non eſſe exiſtimamus.*

2°.) Anno Chriſti 106. S. Ignatius Martyr & Patriarcha Antiochenus, Apoſtolorum & ipſe diſcipulus, ad Martyrium Romam proficiſcens, Smyrna ad Magneſios ita ſcribit: *exhortor Epiſcopum, qui Dei loco præſidet, & Presbyteros, qui ſenatum Apoſtolorum referunt.* Et ad Tralleſes: *omnes*

omnes Epiſcopum vereantur tanquam Patris imaginem, Presbyteros tanquam Dei ſenatum (nota, Dei, non Eccleſiæ ſenatum etiam Presbyteros Epiſcopi conſiliarios vocat): *ſi hos auferas: nulla erit Eccleſia* (143. 144. 145.). Ad Smyrnenſes ipſos ſcribit: *obedite Epiſcopo; ſicut Jeſus Chriſtus obedit Patri ſuo. - - - Nemo aliquid facere, quod Eccleſiæ eſt, ſine aſſenſu Epiſcopi præſumat. Ubi Epiſcopus comparet; ibi & multitudo congregetur; ſicut ubi Jeſus Chriſtus eſt, ibi eſt Eccleſia catholica.* Ecce! ut Eccleſiam vult Epiſcopo ſubeſſe totam, non Epiſcopum Eccleſiæ etiam congregatæ; item illum pro Chriſti, non pro Eccleſiæ miniſtro haberi.

3.) ANNO 171. APUD EUSEB. L. V. Hiſt. c. 19. jam exemplum legitur hæreſis Montaniſtarum a 26. Epiſcopis ſimul junctis authentico judicio condemnatæ, quorum nomina Epiſtolæ Serapionis Epiſcopi Antiocheni ad Carium & Ponticum ſcriptæ ſubjecta Euſebius ſe legiſſe affirmat.

4.) S. IRENEUS CIRCA ANNUM 180 L. IV. c. 43. ita ſcribit: OBEDIENDUM EST SENIORIBUS (*Presbyterorum* ſeu Seniorum nomine hic Epiſcopos intelligi, & contextus ipſe, & Scriptorum primæ ætatis Eccleſiæ uſus conſtans extra dubium ponit) *qui ſunt in Eccleſia, qui ab Apoſtolis ſucceſſionem acceperunt, qui cum ſucceſſione in Epiſcopatum gratiam certæ veritatis obtinuerunt ſecundum beneplacitum æterni Patris.* Idem L. III. c. 3. ait: *eos enumerare pronum eſt*, QUOS APOSTOLI IN ECCLESIIS CONSTITUERUNT SUCCESSORES. *Nihil autem iſti eorum, quæ vos ſomniatis* (hæreticos alloquitur) *docuere. Si enim Apoſtoli arcana habuiſſent, illis ſolum communicanda, quos inter ceteros virtute eminere cognoviſſent; hæc ſine dubio Epiſcopis tradidiſſent*, QUOS TOTI FIDELIUM ECCLESIÆ PRÆFICIEBANT. In eodem cit. cap. & lib. teſtatur, *beatos Apoſtolos Romæ,*

Romæ, poſtquam Eccleſiam ibi fundaverant, Epiſcopale munus Lino commiſiſſe; S. Polycarpum quoque *in Aſia Smyrnenſem Epiſcopum fuiſſe conſtitutum &c.*

5. *Sub anno* 200, ſeu finiente ſecundo Seculo chriſtiano, Tertullianus; minime ſuſpectus teſtis in Lib. de Præſcriptionibus cap. 20. ſic graviter arguit. *Ordo rerum deſiderabat, illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt; quibus competat fides ipſa; a quo, & per quos, & quando, & quibus tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Chriſtus Jeſus, quid eſſet, quid fuiſſet, quam Patris voluntatem adminiſtraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipſe pronuntiabat, ſive populo palam, ſive diſcentibus ſeorſum. Ex quibus duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat deſtinatos nationibus Magiſtros.* Ecce! ut non Eccleſiæ miniſtros, ſed Chriſti in Eccleſia ex nationibus univerſis primum congreganda & docenda miniſtros, *duodecim tantum* ex univerſis Chriſti diſcipulis, delectos a Chriſto fuiſſe apertiſſime Tertullianus affirmat (126.). Unde & continuo concludit: *Hinc, ſi Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, dirigimus præſcriptionem, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit: quia nec alius Patrem novit, niſi filius, & cui filius revelavit.* Enimvero nullos prædicatores pro legitimis habendos ait, niſi a Chriſto ſeu immediate miſſos, ſeu miſſos ab his, quos ipſe Chriſtus immediate miſerat. Denique ſole clarius addit. *Edant ergo* (hæretici fidem invenire volentes) *origines Eccleſiarum ſuarum; evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones initio decurrente, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, habuerit auctorem & anteceſſorem; ſicut Eccleſia Smyrnæorum Polycarpum ab Joanne collocatum refert: ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum.*

150.

Inde ab Apoſtolis creditum ab optimis quibusque Chriſtianis eſt, ab Epiſcopis, legitima ſucceſſione poſt Apoſtolos in Eccleſiarum regimine ſurrogatis, & quidem ab eisdem ſolis, modo in nomine Chriſti utcunque pauci numero congregati conſentirent, infallibile judicium de vera doctrina fidei a Jeſu Chriſto tradita expectari poſſe. Audiamus teſtes de hoc quoque facto authenticos.

1'.) ANNO CHRISTIANO 106. S. IGNATIUS MARTYR in Epiſtola ad Epheſios ſic ſcribit: *Nolite errare, quicunque ab Altari* (id eſt, Dei Miniſtris) *ſeparatur, pane Dei* (id eſt, vera doctrina) *indignus eſt. - - Caveamus idcirco, ne reſiſtamus Epiſcopo.* Et ad Philadelphios: *ne erretis, fratres mei! ſiquis auctorem ſchiſmatis ſequitur; non habebit partem in regno Dei;* SIQUIS DOCTRINAM PEREGRINAM RECIPIT; *non erit paſſionis Jeſu Chriſti particeps.* OMNES, QUI DEI SUNT ET JESU CHRISTI; CUM EPISCOPO CONSENTIUNT. Repete dicta ejusdem ad Smyrnenſes §. praec. n. 2.

2'.) CIRCA ANNUM 180. S. IRENÆUS L. III. c. 4. ait: *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere. - - - Quid enim? ſi de aliqua quæſtione diſceptatio orietur, ad cujus judicium eſſet appellandum, niſi antiquiſſimarum Eccleſiarum, ubi Apoſtoli vixerunt? Quid autem tunc foret remedii, ſi Apoſtoli nihil ſcriptum nobis reliquiſſent? Nunquid ad traditiones illis viris relictas, quibus Eccleſias commiſerunt; eſſet recurrendum? Hoc ipſum multæ barbaræ nationes obſervant, quæ ſine papyro & atramento in Jeſum Chriſtum credunt, doctrinam ſalutis ſcriptam per S. Spiritum in cordibus ſuis habentes.* Et L. IV. c. 43. *Obediendum eſt,* ait, *Presbyteris* (Senioribus), *qui ſunt in Eccleſia, qui* ab

ab Apoſtolis ſucceſſionem accepere; qui cum ſucceſſione in Epiſcopatum gratiam certæ veritatis obtinuerunt, ſecundum beneplacitum æterni Patris. Demum poſt alia multa ſimilia L. V. c. 20. ſcribit; *Omnes iſti* (Hæretici) *ab Epiſcopis receſſerunt, quibus Apoſtoli Eccleſiarum curam commiſerunt. Cum ad veritatis lucem cæcutiant, neceſſe eſt, ut in diverſas vias aberrent. At vox illorum, qui de Eccleſia ſunt, circuit totum mundum, firmam Apoſtolorum traditionem ferens, nobisque omnibus oculos aperit, ut eandem fidem cognoſcamus, eadem omnes præcepta meditemur, eidem Eccleſiæ capiti obediamus, eandem ſpem in ſinu foventes*

3.) Clemens Alexandrinus circa annum 194. in Lib. VII. Stromat. edit. 1641. pag. 754. affirmat, *infallibiles in Chriſti Eccleſia regulas dari, ex quibus omnes illi damnandi ſint, quos vel ſocordia, vel perverſum judicium iisdem regulis uti prohibet. Exactam vero doctrinam* (ait pag. ſeq.) *non niſi in ſola vera & antiqua Eccleſia poſſe inveniri.* Quodſi teſtimonium ſaltem in genere de exiſtente in Eccleſia auctoritate judicii infallibilis teſtatur.

4.) Sub finem seculi II. Tertullianus in Lib. de Præſcript., cum jam antea Cap. 20. probaſſet, ab Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, nec aliunde, veram chriſtianæ fidei & legis doctrinam peti debere, ut præc. n. 5. relatum eſt; cap. 21. ſic concludit; *Hinc igitur dirigimus præſcriptionem: ſi Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit. - - Quid autem* (iſti a Chriſto inſtituti) *prædicaverint, id eſt, quid Chriſtus illis revelarit, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per easdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt. - - Si hæc ita ſunt; conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matri*

matribus & originalibus conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Dei. - Nihil ergo recipiendum, quam quod Apoſtoli docuerunt: quænam vero genuina ſit Apoſtolorum doctrina, probandum eſt teſtimonio Eccleſiarum ab ipſis fundatarum. Jam vero compone cum his, quæ §. præc. n. 5. ex Tertulliani eodem libro attuli; videlicet ex ejus mente plebi chriſtianæ particularium quarumvis Eccleſiarum obligationem divinam incumbere, ut omnem doctrinam fidei & legis Chriſti a ſuis Epiſcopis, continua inde ab Apoſtolis ſucceſſione legitime inſtitutis accipiant; compone, inquam, iſta, & vide, utrum non certum Tertullianus habuerit, in conſenſu Eccleſiarum matricium, id eſt, Epiſcoporum ejus in Chriſti nomine de vera doctrina judicantium, certum criterium veritatis Chriſtianis univerſis ſuppetere. Eos vero, qui erroris capacem Chriſti Eccleſiam, per ſuos Epiſcopos conſenſu doctrinæ unitos a Spiritu Sancto directam, errare poſſe exiſtimant, ſic demum lib. cit. cap. 28. explodit. *Age nunc; omnes erraverint: - - nullam reſpexerit Spiritus ſanctus, ut eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus a Chriſto, ut eſſet doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicum, Chriſti Vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quam quod ipſe per Apoſtolos prædicabat - - Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat; interim perperam evangelizabatur, perperam credebatur &c. &c.*

151.

S. Petri ſuperiorem poteſtatem, & ſubordinationem omnis reliquæ Apoſtolicæ jurisdictionis ad illam, agnovere inde a primordiis præcipui quique in Chriſti

Eccle-

Eccleſiæ viri, & ipſi Epiſcopi particularium Eccleſiarum; iidemque citra dubium credidere, verba Chriſti Matth. XVI. 16: & Joan. XXI. 15. ad Petri perſonam immediate & privative directam fuiſſe, eisdemque S. Petro prærogativam illam ſuperioris poteſtatis & juriſdictionis ſupra ceteros Apoſtolos a Chriſto conceſſam fuiſſe. Eccum tibi teſtimonia non ſuſpecta.

1'. Tertullianus circa annum 200. in Lib. de Præſcript. refellens Hæreticos, qui dicebant, non omnia Apoſtolos ſciviſſe, aut, ſi ſciverint, non omnia tradidiſſe, cap. 22. ſic loquitur: *latuit ergo aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claves regni cœlorum conſecutum? - - Latuit & Joannem aliquid dilectiſſimum Domino, pectori ejus incubantem, quem loco ſuo Mariæ demandavit?* Ex quo loco illud ſolum infero, agnoviſſe Tertullianum, Petro in perſona immediate a Chriſto illo in loco Matthæi claves regni cœlorum datas cum prærogativa fundamenti Eccleſiæ; ſicut Joannes in perſona propria dilecti diſcipuli obtinuit prærogativam. Idem vero Scriptor in Scorpiaco cap. 10. præcipui momenti aſſertum conſignavit, dicens: *ſi adhuc clauſum putas cœlum; memento, claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.* Immediate videlicet Petrus, & eo mediante Eccleſia, ceu in capite ſuo, Chriſti ſupremo Vicario paſtore accepit; item per Petrum Eccleſia accepit, ut claves in Petri Succeſſoribus quoque perpetuo in utilitatem totius Eccleſiæ perſeverarent. Denique Tertullianus aperte dicit *hic* (id eſt, Matth. XVI. 16., de quo loco illi ſermo eſt) *Petro*, & *per Petrum Eccleſiæ*, datas claves regni cœlorum eſſe.

2'.) Origenes circa annum 230. in Cap. VI. Ep. ad Rom. apertiſſime ait: *cum Petro ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſuper ipſum*

ipſum velut ſuper petram fundaretur Eccleſia; nullius confeſſio alterius virtutis ab eo exigitur quam caritatis. Enimvero de optimate uno, in ſtatu Ariſtocratico pari cum ceteris poteſtate conſtituto, ex vero hoc dici nequaquam poteſt. Idem Homil. de diverſis Petrum vocat *ſummum Apoſtolorum verticem.*

3'.) S. Cyprianus circa annum 250. Ep. ad Quintum 71. *nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, ut diceret: ſe primatum tenere, & obtemperari a novellis & poſteris ſibi oportere.* Ne crede, amabo, hic de eo, qui ſolum tempore primum delectus ſit, diſſeri; ſic enim prior Andreas erat Petro. Idem Lib. de Unitate Eccleſiæ prope initium ſic habet: super illum unum (Petrum) *ædificavit Chriſtus Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandavit oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: ſicut miſit me Pater &c.; tamen, ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* Ecce! ut Cyprianus aperte aſſerit, unitatis in doctrina principium illud eſſe in Eccleſia, quod Chriſtus *unum* Petrum ac ſolum fundamentum & principium veræ doctrinæ & omnis alterius cathedræ, cum poteſtate ſupra Apoſtolos inter ſe *pares* altiore conſtituerit, ita, ut una eſſet & vera omnis alterius cathedræ doctrinæ per hoc, quod origo doctrinæ omnium aliarum cathedrarum eſſet a Petro ceu fundamento & paſtore omnium.

* Sed quoniam poſt Jameſium (Tractatu vernaculo de Corruptione Scripturæ & Patrum &c. Part. 2. p. 1.) Proteſtantes Doctores Librum de Unitate a Cypriano

ſcriptum

ſcriptum in multis fraude Catholicorum interpolatum eſſe volunt; illud adnoto: nullo quidem veriſimili ſatis fundamento probari, eo in loco vitiatum illum Cypriani librum fuiſſe. Nam *inprimis*, uti probat Schelſtrate in Antiq. Illuſt. T. II. Diſſ. II. C. V. n. 4, is ipſe textus Cypriani ex libro de unitate citatus in antiquiſſimis Codicibus manuſcriptis reperitur; quorum unum 800. annis antiquiorem, in Bibliotheca Reginæ Sueciæ olim aſſervatum, commemorat: *deinde* ante mille jam annos eundem textum Pelagius II. Papa Ep. 6. citato Cypriani nomine & libro præfato allegat: *denique* conſtat, S. Cyprianum ſimilia fere in Ep. 55. ad Cornelium Papam, ſecundum ipſosmet adverſarios probe authentica, hisce verbis expreſſiſſe: *navigare audent* (Schiſmatici Novatiani) *ad Petri cathedram; unde unitas Sacerdotalis exorta eſt.* Vide item infra §. 157. n. 2.

4.) Eusebius Cæsareensis sub finem seculi III. florens in II. Hiſt. c. 14. vocat *Petrum reliquorum Apoſtolorum virtutis merito principem*, & in Chronic. ad an. 44. *Chriſtianorum primum Pontificem.* Porro nota, non vocari ab illo Petrum *Romanorum* Pontificem primum, ſed *Chriſtianorum:* cum tamen ibidem *Jacobum* appellet *Eccleſiæ Jeroſolymorum primum Epiſcopum,* & Evodium *primum Epiſcopum Antiochiæ.*

5.) S. Cyrillus Hierosolymitanus circa an. 351. in Cathec. 2. *Petrum principem Apoſtolorum excellentiſſimum* nominat.

6.) S. Epiphanius circiter anno 373. in Anchorato c. 9. *Huic* (Petro) *germanum ſuum filium indicat, & beatus idcirco dicitur. - - - Sic enim ei, qui inter Apoſtolos primus eſſet, conſentaneum erat; ſolidæ, inquam, illi petræ, ſupra quam Eccleſia Dei eſt fundata; & portæ inferi non præ-*

vale-

valebunt: quarum portarum nomine hæreſes & hæreſeon conditores intelliguntur. - - Hic eſt, qui audivit: paſce agnos meos; cui creditum eſt ovile. Quæſo: qui iſta valeant de uno ex optimatibus paribus regni Ariſtocratici?

7'.) S. Basilius magnus circa an. 373. Serm. de Judicio Dei, *beatus ille Petrus*, inquit, *omnibus diſcipulis prælatus, cui ſoli majora data quam aliis ſunt teſtimonia; cui claves regni cælorum concreditæ &c.*

8'.) S. Gregorius Nyssenus, an. 374 jam Epiſcopus, in Serm. de S. Stephano apud Zacagnium p. 339. & p. 343. ſic habet: *celebratur Petri memoria, qui Apoſtolorum eſt caput, & una quidem cum ipſo cetera Eccleſiæ membra glorificantur; Dei vero Eccleſia in ipſo ſolidatur. Hic enim* juxta prærogativam sibi a domino concessam *firma & ſolidiſſima eſt petra, ſupra quam Salvator ædificavit Eccleſiam.*

9'.) S. Optatus Milevitanus anno 374. in Lib. II. contra Parmenian Donat. ſic urget: *negare non potes, ſcire te in urbe Roma primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam; in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus: unde & Cephas appellatus eſt: in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, nec ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent, ut jam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.*

10'.) S. Joannes Chrysostomus ab anno 385. florere incipiens in Homil. LV. in Matth. *Petrus*, inquit, *Eccleſiæ Paſtor & Caput.* Et Homil. ult. in Joan. aliquoties repetit: *Petro fratrum* (id eſt, Apoſtolorum) *curam demandatam, & orbem totum commiſſum.* Commentans vero ex inſtituto in Acta Apoſtolorum, ad illa verba S. Petri Act. I. 21.; quibus

quibus jubebat Petrus in locum Iſcariotæ eligi alium, exclamat: *quam in hoc choro princeps eſt! quam agnoſcit a Chriſto ſibi creditum gregem!* Atqui non niſi Apoſtoli cum Maria Matre Jeſu, mulieribus, & fratribus ejus tunc aderant in cœnaculo, conſtituebantque præſentem gregem Petro creditum. Pergit vero paullo poſt Chryſoſtomus. *An non licebat ipſi Petro eligere? Licebat ei, & quidem maxime: ſed non facit; ne cui videretur gratificari. - - - Conſidera, quo pacto* APOSTOLI CONCEDANT EI SOLIUM, NEC AMPLIUS AMBIGUNT DISCEPTANTES, QUIS EORUM VIDERETUR ESSE MAJOR.

11'.) S. AMBROSIUS CIRCA ANN. 380. in Cap. XII. Ep. II. ad Corinth. *Primatum*, ait, *non accepit Andreas, ſed Petrus.* Et in Cap. I. ad Galat. *Petro curam omnium Eccleſiarum eſſe demandatam* affirmat

12'.) S. LEO M. ANNO 440. ad Viennenſes Epiſcopos Galliæ ſic omnium fere clariſſime ſcribit Epiſt. 78. *Hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in B. Petro principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet; ut exortem ſe myſterii intelligeret eſſe divini! qui auſus fuiſſet ſe a Petri ſoliditate dividere.*

De his aliisque plurimis primorum Eccleſiæ Doctorum teſtimoniis illud univerſe ſtatuo: agnoviſſe illos citra ullum dubium, in citatis locis Matth. XVI. 16. & Joan. XXI. 15. a Chriſto S. Petro immediate ut ſuo miniſtro prærogativam ſupra Apoſtolos conceſſam fuiſſe: eam vero prærogativam conſiſtere in aliquo *principatu*, in ratione *fundamenti* ſeu principii immobilis firmitatis Eccleſiæ in unitate doctrinæ fidei & morum, in ratione poteſtatis *clavium*, in munere *paſcendi* ipſos Apoſtolos ceu oves Chriſti & Petri. Atqui in ceteris Apoſtolis ratio

 fun-

fundamenti, poteſtas paſcendi ſeu docendi, poteſtas denique ligandi & ſolvendi, ſeu uſus clavium, poteſtatem veram legislatricem & jurisdictionem denotat (122. ſeq.). Ergo etiam prærogativa & principatus Petro immediate a Chriſto in his conceſſus prærogativa & principatus ſuperioris jurisdictionis in Apoſtolos eſt.

* Hoc ratiocinio ſane ſimplici & manifeſto *refutantur illi* inprimis, *qui* confeſſione totius Eccleſiæ & hiſtoria omnium ſeculorum Chriſtianorum convicti, *quidem fatentur* 1'.), *divino jure competere S. Petro ejusque ſucceſſoribus* aliquem ſaltem *primatum honoris*; 2'.) *negant vero hunc eſſe jurisdictionis*, ſeu poteſtatis legislatricis; docentes, *jurisdictione pares eſſe omnes Apoſtolos vi divinæ inſtitutionis, ſolumque ab ipſa Eccleſia*, ſeu ſucceſſoribus Apoſtolorum conſentientibus, Epiſcopis videlicet, *in Romanos Pontifices ob neceſſariam utilitatem Eccleſiæ collatam eſſe miniſterialem quamdam poteſtatem jurisdictionis*, extra tempora Conciliorum generalium ab eis, *ceu Eccleſiæ miniſtris*, nomine omnium in omnes fideles & in ipſos particulares Epiſcopos exercendam. 3'.) *Vi primatus divini volunt quidem præciſe S. Petro ejusque ſucceſſoribus deberi ab omnibus, etiam Apoſtolicis Eccleſiæ optimatibus, primum honorem & communicationem conſilii in rebus omnibus & negotiis*, quæ tum ad totius Eccleſiæ legem ac regimen pertinent, tum non niſi totius cœtus optimatum Eccleſiæ auctoritate definiri poſſunt; atque idcirco hoc ipſo ex omni orbis terrarum parte exorta id genus negotia ad illum referri a particularium Eccleſiarum Epiſcopis oportere. 4'.) *Vi ejusdem Primatus divinitus inſtituti ipſi S. Petro ejusque ſucceſſoribus incumbere ajunt curam referendi de talibus negotiis ad omnes Eccleſiæ optimates, & curandi, ut communi conſilio concludantur ac definiantur.* 5'.) *Vi tamen primatus miniſterialis nomine Eccleſiæ gerendi competere Primatibus Eccleſiæ etiam jurisdictionis poteſtatem Conciliorum generalium Canonibus definitam*; quibus tamen, uti

uti & i,ſ's optimatum Eccleſiæ generalibus Conciliis, in uſu & quovis exercitio iſtius poteſtatis ſemper maneant ſubjecti.

** At enim conceptus iſti evidenter repugnant notionibus per verba Chriſti cit. loc. Matth. & Joan. expreſſis. Vi quarti enim capitis doctrinæ not. præc. relatæ 1'.) S. Petrus jure ſolo divino nec ipſe ſingulare *fundamentum Eccleſiæ* (id eſt, primum principium immutabilis perſeverantiæ in ſua primæva inſtitutione quoad doctrinam fidei & morum) nec *paſtor omnium ovium*, ſeu Eccleſiæ membrorum eſſet; ſed ſolum illi cura incumberet, ut univerſus cœtus Optimatum Apoſtolicorum officia talis fundamenti & paſtoris ſupremi & univerſalis in omni emergente periculo vel negotio ad Eccleſiaſticæ ſocietatis finem pertinente rite ſecum expleret; ad quod ipſum illi alia media non ſuppeditarent, quam amica admonitio & prudens conſilium; non item vis ulla coactiva, quæ pari in pares convenire non poteſt. Sed neque *claves regni cœlorum*, & *poteſtatem* ligandi *ſupremam*, ipſe a Chriſto accepiſſet; quippe quam exercere niſi ex conſenſu & accepto mandato, generali, vel ſpeciali, omnium Apoſtolorum ſingillatim nullo in negotio poſſet. Ubi ſane notandum Matth. XVI. 16. per *regnum cœlorum* minime cœlum ipſum ſed Eccleſiam militantem denotari; tum quod actus ſolvendi & ligandi, ac proinde aperiendi & claudendi portam ad ſalutem, qui finis eſt Eccleſiaſticæ ſocietatis, ex ipſo effato Chriſti *in terris* fiat, effectu ſolum aliquo in foro Dei, ſeu in cœlo, ei reſpondente; tum quod alias regnum cœlorum paſſim Eccleſia in terris a Chriſto appelletur; uticum illud comparat virginibus decem partim fatuis, partim prudentibus, aut ſagenæ miſſæ in mare &c.; quod vero cœlo convenire non poteſt. 2'.) *Quæro deinde*: legene divina præſcriptum Apoſtolis & Optimatibus Eccleſiæ fuit, ut Petro miniſterium ſummum communi ſuo nomine gerendum deferrent? & ajo, vi ſenſus verborum obvii evidenter Chriſtum Matth. XVI. 16. & Joan. XXI. 15.

 Petro

Petro potius ipſum deferre ſui immediatum V'cariatum, quam jubere Eccleſiam, vel Apoſtolos, ut ipſi eum miniſtrum. ſuum conſtituant. An vero ſine præſcripta ſibi a Chriſto lege Apoſtoli ultro & libero arbitrio Petrum communem ſuum miniſtrum elegere? & quæro: ubi? quando? an ergo etiam ſucceſſoribus liberum erit retractare? quot vero ad hoc requiruntur, & ſufficiunt conſentientia ſuffragia? 3'.) *Quæro* rurſum: an ex citatis Evangeliorum (ab ipſis duobus Apoſtolis ſcriptorum) locis ſaltem *Primatus honoris* Petro recte vindicatur? Ergo per *petram* Petrus deſignatur, & totus contextus ad perſonam Petri dirigitur. Ergo reipſa lex fundamentalis Societatis legalis Eccleſiaſticæ chriſtianæ ibidem a Chriſto promulgatur. Ergo interpretatio nulla locum habet, ſed preſſe inhærendum ſimplici tenori verborum. Atqui tenor verborum *claves*, id eſt, jurisdictionem primam, ſoli Petro attribuit; item rationem *fundamenti*, & munus *paſtoris* ipſorum quoque Apoſtolorum. Sic denique primis Eccleſiæ ſeculis verba illa ſunt communiter extra tempus quodlibet exacerbationis animorum reipſa intellecta. *Quæro* denique 4'.): an Reipublicæ mere Ariſtocraticæ optimates permitterent, ut, qui ſolum poteſtate directrice & cum primatu honoris ipſorum concilio præeſſet, vulgo appellaretur illorum *Princeps, caput, fundamentum ſtatus ſui politici primarium; cui ſumma rerum de regendis civibus ab auctore primo & legislatore ſocietatis ſuæ legalis tradita ſit;* cui *obtemperari* a ceteris debeat; qui ſit PRINCIPIUM OMNIS UNIONIS ſeu conſenſus in regimine Reipublicæ, uti & FIRMITATIS, ET INVICTÆ POTENTIÆ ADVERSUS OMNES ILLIUS HOSTES; *contra quem nulli ceterorum optimatum liceat independentem factionem conſtituere* (n. 8.)?

152.

Inde ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi communi ceterorum Epiſcoporum Chriſtianorum, ceu ſucceſſorum Apoſtolicorum, ſententia habiti

habiti ſunt pro veris ſucceſſoribus S. Petri in Vicariatu Chriſti & Principatu Juriſdictionis ſupremæ in univerſam Eccleſiam Chriſti: 2.) *ac proinde per* §. 148. *reipſa ſunt Succeſſores S. Petri & veri Vicarii Chriſti, gaudentque Principatu Juriſdictionis ſupremæ in Eccleſia Chriſti.* Sed

* Quoniam prior pars hujus aſſerti factis humanis tota conſtat, quæ tamen & ipſa ſupponant pro ſuo fundamento alia facta, id eſt, ſeu divinam inſtitutionem, vi cujus Romano Epiſcopatui Principatus Eccleſiæ viſibilis annexus in perpetuum ſit, ſeu ſaltem factum aliquod ipſius S. Petri, vi cujus etiam ſine inſtitutione aut lege divina hoc jus ſupremæ poteſtatis ex perſona S. Petri in Sedem Romanam tranſierit: de quo facto iterum quæri poteſt, an ex eo lege immutabili affixum Romanæ Sedi jus illud fuerit; an vero tale natura ſit, ut quacunque voluntate humaua transferri adhuc in alterius particularis Epiſcopi atque Eccleſiæ ſedem jus illud de Romana Eccleſia poſſit: idcirco theſis iſta non niſi per partes ac plures aſſertiones plane oſtendi poteſt; ac proinde primo omnium inquirendum; quibus denique factis, divinis, vel humanis, tum jus ipſum principatus Romanorum Pontificium in Chriſti Eccleſia, ſiquod exiſtat, per ſe & natura ſua innitatur; tum ex quibus factis Eccleſiæ, ac ceterorum Epiſcoporum ejus, confeſſio ac conſenſus de eodem Romanis Pontificibus actu competente dignoſcendus atque inferendus videatur.

** Fatentur itaque Catholici Doctores cum Bellarmino Lib. II. de Romano Pontifice C. 12. edit. Colon. pag. 635. ſeq., non haberi jus divinum in SS. Scripturis uſpiam expreſſum, vi cujus Romanus Pontifex ut Romanus Pontifex Petro in Vicariatu Chriſti ſupremo ſuccedat; tamen *ſuccedere aliquem S. Petro* ex jure divino; *hunc autem eſſe Romanum Pontificem, haberi ex traditione Apoſtolica Petri, quam traditionem Concilia generalia, Pontificum decreta, & Patrum conſenſus declararit.* Porro facta S. Petri perſonam

 con-

concernentia quatuor ſunt, quæ cum hoc Romanorum Pontificum jure connexionem habere poſſunt, videlicet 1'.) *quod S. Petrus fuerit Romæ* : 2'.) *quod Romæ etiam mortuus fuerit*: 3'.) *quod ibidem fuerit Epiſcopus* : 4'.) *quod Romanum Epiſcopatum ſemel ſuſceptum nunquam mutarit*. Atqui hæc omnia in dubium revocant ex Acatholicis varii. Interim Bellarminus, & cum eo ceteri Theologi Catholici, notant, tertium ſolum & quartum, non item primum & ſecundum, neceſſario requiri ad hoc, ut Romanis Epiſcopis jus ſucceſſionis in Primatu Petri obtigiſſe conſtituatur. Ipſe Calvinus, de ceteris tribus parum ſollicitus, ſolum quartum illud nullo modo admiſit. Nam in L. IV. Inſtit. c. 6. §. 15. poſtquam facta illa omnia in dubium vocaverat; *tamen*, inquit, *propter ſcriptorum conſenſum, non pugno, quin illic mortuus fuerit: ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo*. Guilelmus Cave in Hiſt. Script. Eccl. T. I. in Seculo Apoſtolico de S. Petro, poſtquam ipſe oſtendit, illum Romæ mortuum eſſe, hæc addit: *non immerito dubitari poteſt, an proprie loquendo Petrus Romæ Epiſcopus dici debeat. Laxiore quidem ſenſu Romanorum Epiſcopum dici poſſe; quatenus hujus Eccleſiæ fundamenta poſuit, eamque martyrio ſuo illuſtrem reddidit, mecum opinor fatebuntur omnes, tam veteres, quam recentiores. Romanæ vero cathedræ tanquam peculiarem Epiſcopum affixum eſſe, ægre patitur muneris Apoſtolici ratio, nec ulla nos docent primæ vetuſtatis argumenta. Irenæus, qui Pontificum Romanorum ſucceſſionem primus tradidit, adverſus Hæreſ. L. III. apud Euſeb. L. V. c. 6. ita habet:* fundata jam & ædificata Eccleſia Beatiſſimi Apoſtoli Epiſcopatus officium Lino tradiderunt. *Nec aliter Euſebius L. III. c. 2.* poſt Petri Paulique martyrium, inquit, primus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum ſuſcepit Linus. *Quin ex veteribus qui Romanum Epiſcopatum Petro adjudicant, ſociant etiam Pauli operam & commune miniſterium agnoſcunt, eique ejuſdem dignitatis prærogativam, eandem cum Petro curam, tum in fundanda, tum in regenda Eccleſia Romana conſtanter tribuunt. Loquatur præ omnibus Epiphanius,*

nius, qui Eccleſiarum Archiva non indiligenter rimatus eſt, adverſ. Carpocrat. hæreſ. 27. *n*. 5. Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter atque Epiſcopi fuerunt; inde Linus &c. &c.: *& mox*: Romanorum Pontificum iſta ſucceſſio eſt: Petrus & Paulus, Linus &c. &c. *Eadem & alii, ſi modo iis recenſendis immorari vellem.* Hactenus Cave.

*** Catholici igitur juxta atque Proteſtantes Theologi in ea ſententia conveniunt, nihil pro jure ſtabili ſucceſſionis Romanorum Pontificum ſatis ſolide ſtabiliri poſſe, niſi pro certo & indubitato prius adſtruatur, S. Petrum tum Romæ verum ac proprie talem Epiſcopum fuiſſe, tum ſedem illam deinceps nunquam uſque ad mortem dimiſiſſe. Verum, etſi certum habeam, nunquam probatum iri, quod S. Petrus Romanæ Eccleſiæ curam peculiarem proprie ut Epiſcopus non gesſerit ad mortem uſque (quippe quod teſtimonia plura infra §. 154. referenda diſerte affirmant; & cui nihil obſtat, licet cum non nullis admittas, Petrum ſe vivo SS. Linum, Cletum & Clementem Romæ Epiſcopos conſtituiſſe; cum etiam hodie Romanus Pontifex per Epiſcopum Cardinalem Vicarium Romanam Eccleſiam, ut particularis eſt, adminiſtrare ſoleat): nihilominus magnorum omnium illorum virorum pace dico?

153.

Etſi pro hypotheſi (vere, an falſo) aſſumas, S. Petrum Romæ peculiarem Epiſcopatum aut non aſſumſiſſe, aut non ſervaſſe ſibi ad mortem usque; nihilominus modo fundata Romana Eccleſia (ſeu per ſe ſolum illam ut particularem Eccleſiam fundarit, ſeu juncta cum S. Paulo opera) Romæ Epiſcopum, aut ſe vivo jam conſtitutum, aut a ſua morte eligendum, ipſe juſſerit a morte ſua eſſe ſuum in Primatu totius Eccleſiæ Chriſtianæ ſucceſſorem cum perpetuo jure; item ſeu expreſſo divino juſſu id S. Petrus fecerit, ſeu propria electione, ac ſolummodo re-

gente illum interne S. Spiritu: eo ipſo jam ſatis manifeſto ſtabilitum eſt jus perpetuum ſucceſſionis Romanorum Pontificum in Primatu S. Petri ita, ut, niſi volente ipſo aliquo Romano Pontifice transferri in alium ſedem Epiſcopalem a Romana diverſam non poſſit. Cum enim certum ſit, S. Petrum ipſum immediate a Chriſto in perſona accepiſſe claves Eccleſiæ, ſeu totum jurisdictionis primatum, non vero primum mediate ab Eccleſia (141. 151.) certum quoque eſt, ipſum ſolum gaudere privativo jure de illis ſeu in vita, ſeu in morte, quoad neceſſitas Eccleſiæ præciſe exigit, diſponendi. Atqui neceſſitas Eccleſiæ exigit, ut in morte cujusvis Primatis jus ſucceſſionis ſaltem quoad ſedem Epiſcopalem, in qua illius ſucceſſio fiat, jam ſit ita aliunde determinatum, ut ad hoc primum punctum determinandum, nec convocatione omnium Epiſcoporum, nec unanimi conſenſu ſit opus. Etenim absque iſto in primo ſaltem caſu morientis Primatis, nempe ipſius S. Petri, ut is ſucceſſorem proximum in primatu ſortiretur, Eccleſia omnis aut congregari, aut certe communi conſenſu conſpirare in unam aliquam ſedem Epiſcopalem debuiſſet, ſeu aperte, ſeu tacite, ita, ut lege ſtabili, ex communi conſenſu & votis unanimis conſtituta, ſucceſſio in una ſede Epiſcopali continua decerneretur. Atque idem ipſum plane neceſſe fuiſſet in caſu morientis ſecundi Primatis, ſeu primi ſucceſſoris S. Petri, ſi ſoli S. Petro quoad primam tantum ſucceſſionem, & non item ejus ſucceſſoribus jus privativum decernendi vel confirmandi Apoſtolicam ſedem competeret, in qua ſucceſſio illorum fieret. Jam vero ad hanc legem ſucceſſionis ſtabiliendam nec Eccleſiæ Epiſcopi unquam congregati fuere, nec unquam ſententiam tulere etiam diſperſi: &, quod præcipuum eſt, in principio Eccleſiæ, ſeu primis tribus ſeculis convocari non potuiſſent; poſt vero, etſi fuiſſent convocati, aut ſi hodie-

hodiedum etiam convocarentur, quantis diſcordiis obnoxius eſſet ejuſmodi conventus in ſyſtemate plurium regnorum Chriſtianorum, diverſos ſupremos Principes politicos habentium? Et quis denique diſcordias iſtas finiendi aut definitive concludendi modus inter pares? Quoniam ergo, quæ ſumma Eccleſiæ neceſſitas exigit, ea princeps in Societate legali Eccleſiaſtica diſponere circa translationem poteſtatis iſtius in ſucceſſorem haud dubie poteſt; ſiquidem lege fundamentali altiore ipſius Dei nihil ſingillatim circa Primatus ſedem conſtitutum eſſe conſtet; eo quod videlicet ſpirituali Eccleſiæ bono, ceu finis ultimi cauſſa, omnis poteſtas Eccleſiaſtica a Chriſto inſtituta ſit (107. I.): idcirco extra dubium eſt, S. Petrum æque, ac quemvis ejus ſucceſſorem in Primatu, id diſponere de ſucceſſore ſuo immediato poſſe, ut non niſi determinatæ ſedis Epiſcopalis poſſeſſor ſibi in eodem Primatu Eccleſiæ ſuccedat. Quodſi hoc jus privativum ipſi Primati cuique competat; penes ceteros Epiſcopos jus ſaltem *privativum* ſimul exiſtere non poteſt, ut illo invito in alium locum, ſeu in Epiſcopalem aliam ſedem, jus ſuccedendi id ipſum transferant (5.), ſeu vivente illo, ſeu contra legem ab ipſo latam etiam illo jam defuncto: cum leges ad commune bonum in Societate legali latæ haud dubie etiam poſt ſupremi vicarii imperii mortem obligent.

* Enimvero non video, quo majore jure Romanus Pontifex, ut Chriſti Vicarius, & S. Petri in Primatu ſucceſſor, certa lege modum omnem ordinandi conclavis, & adjuncta cetera electionis ſucceſſoris ſui, præſcribat; quam ſimiliter certa lege præſcribere locum ſeu ſedem Epiſcopalem definire poſſit, in qua ſucceſſio Primatus fiat, & continuetur.

** *Neque dicas* 1.) ſecuturum ex hoc, ut ipſam etiam perſonam ſucceſſoris denominare potuerit S. Petrus,

& nunc poſſit quilibet moriens Petri ſucceſſor. *Neque dicas* 2.) : tali modo fore, ut ſaltem volente ipſo Romano Pontifice, actu tenente Primatum, hic a ſede Romana transferri in aliam poſſit: quo conceſſo ſequetur, non jure divino, ſed mere humano, Romanum Pontificem ut Epiſcopum Romanum eſſe Chriſti ſupremum Vicarium. *Nam Reſp. ad* 1. etſi non conſtet, id ulla lege divina prohibitum fuiſſe ſupremo Chriſti Vicario; tamen *neque neceſſitas* id ſuadet, uti patet; *nec utilitas*; *nec* etiam id *decet*: quia facile affectus particularis, ſeu cognationis, ſeu amicitiæ, communis boni ſtudio in deligendo ſucceſſore prævaleret; & mitiſſimum Chriſti jugum potius exigit, ut perſonam ſupremi Paſtoris deligendi, ſicuti deligendorum inferiorum paſtorum, libertas ipſis ovibus relinquatur. *Ad* 2. Inprimis ſucceſſio ipſa ſemper juris divini eſt. Quod vero Romanus Epiſcopus ſuccedat, in dicta hypotheſi utique ex ſolo facto S. Petri, ejusque ſucceſſorum, nihil aliud decernentium, oriretur. Interim non aſſero illam hypotheſin pro vera: ſed ſolum illud hic oſtendo, ex aſſumta etiam illa hypotheſi nihil ſequi Romano Principatui adverſum. Sed gradum uno paſſu amplius promoveamus.

154.

S. Petrus Romæ aliquamdiu commoratus ante mortem ſuam, & ibidem martyrio defunctus eſt.

* Priusquam teſtes facti hujus adducam, illud adnoto, certum mihi eſſe, præſenti propoſito de Romani Primatus ſucceſſione abunde ſatisfactum iri, ſi, omiſſis omnibus illis difficultatibus hiſtoricis, quæ Criticos ſummos huc usque ſine magno aliquo fructu exercuere circa tempus adventus S. Petri Romam, circa moram ibidem, circa primum ejus in Romana ſede ſucceſſorem &c. &c. oſtendam ſaltem, *S. Petrum* (ſi non jam ſecundo Claudii Imperatoris anno, & cum mora viginti quinque annorum in eadem ſede Romana; id quod poſt Bellarminum plurimi Scriptores Catholici,

lici, & inter hos præcipue Schelſtratius in opere chronologico Romæ anno 1692. edito, commonſtrare conati ſunt, refragantibus aliis primæ notæ Criticis, tum Catholicis, tum Proteſtantium de numerô, puta Henſchenio, Papebrochio, Băluzio, Noriſio, Pagio &c.) *ſub vitæ finem Romæ fuiſſe, ibique mortem oppetiiſſe.* Hujus facti

Teſtis itaque eſt 1'.) S. Clemens Romanus in Epiſtola 1. ad Corinth., quam ex computu Claudii Fleurii (Hiſt. Eccl. Tom. I. L. I. §. 33.) circa annum Chriſti 69, id eſt, duobus a morte SS. Apoſtolorum annis ſcripſit; & in qua, invidiæ inter Corinthios exardeſcentis malos effectus oſtenſurus, ſic ait: *illuſtriſſima noſtri temporis exempla inſpiciamus, illorum nempe Athletarum, qui ſub noſtris oculis* (Romæ videlicet) *decertarunt. - - - SS. Apoſtolos in mentem revocemus. Propter invidiam injuſtam paſſus eſt Petrus, non ſemel tantum, aut bis, ſed ſæpius, & ita completo martyrio in ſedem gloriæ ſibi debitam tranſivit. Propter invidiam Paulus ſuæ patientiæ pretium reportavit, & ſub rectoribus martyrium ſubiit.* Ecce! uti Paulum, ſic & Petrum, ſub oculis ſuis Romæ decertaſſe affirmat &c.

Teſtis eſt 2'.) S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Romanos an. 106. Smirnæ ſcripta affirmat, *Petrum & Paulum Romanis imperaſſe,*

Teſtis eſt 3'.) Papias Hieropolitanus in Phrygia Episcopus, qui circa annum 111. florens apud Euſebium Hiſt. Lib II. c. 15. teſtis eſt, S. Petrum Romæ ſcripſiſſe priorem, quæ de illo extat, canonicam epiſtolam: *Papias*, inquit Euſebius, *& hoc dicit, quod Petrus in prima ſua Epiſtola, quam de urbe Roma ſcripſit, meminerit Marci; in qua tropice Romam Babylonem nominavit,*

cum

cum dicit ; ſalutat vos, quæ in Babylone eſt, electa Eccleſia, & Marcus.

* Auctor de l'hiſtoire du Papiſme Amſtelodami anno 1685. gallice editæ, S. Petri iter Romam inter res incertas ponens, ait pag. 6.: *Papiam primum eſſe, qui vulgaverit, S. Petrum veniſſe Romam ſub imperio Claudii, feciſſeque deinceps ejus rei fidem multis antiquis Patribus : nihilominus rem hanc omni vera certitudine deſtitui, tum ob ſilentium ſcripturæ ſacræ, tum ob exiguam auctoritatem Papiæ, quem Euſebius ipſe deſcribat ceu hominem valde ſimplicem : inſuper compertum eſſe, hunc Papiam eſſe auctorem fabuloſum, qui voluerit diverſas fabulas pro traditionibus Apoſtolicis venditare.* Verum 1.) jam vidimus, Papiam haud eſſe primum, qui de Petri Romana præſentia teſtetur. 2.) Papias non dixit ſub Claudio Petrum veniſſe Romam, ſed præciſe ; Romæ primam Epiſtolam ſcripſiſſe. 3.) Quod S. Scriptura de hac Petri Romæ commoratione taceat, nihil obſtat : cum textus ſacer ad Neroniana tempora non pertingat.

** Porro quod aliqui Patrum poſteriorum, Euſebii teſtimonio (Chronic. ann. 44.) decepti, *de Petri adventu Romano ſub imperio Claudii* teſtati fuerint, ſi tamen errarunt, *error vel unius Euſebii eſt*, qui ex nonnullorum Criticorum ſententia, ſecutus in hac parte calculos ante ſua tempora receptos, Chriſtum Dominum æræ vulgaris anno 29., Tiberii 15., Rubellio & Fuſio *Geminis* Coſſ. paſſum crediderit, & ab eodem anno Petri Epiſcopatum, veluti ſucceſſionis Romanæ originem, numerarit uſque ad annum 54. : in quo, ceu initio Neroniani imperii, Petri martyrium collocarit, totum illud tempus inter Chriſti aſcenſum & S. Petri mortem ejus Epiſcopatui deputans : cui ſententiæ catalogus Bucherianus, a Cuſpiniano primum, dein a Bucherio, Henſchenio, & Papebrochio editus, favere videtur : *vel certe is error tribuendus eſt S. Hieronymo*, Euſebii Chronicon etiam hic, ut in multis aliis locis, interpolantis, ita, ut hæc interpo-

terpolatio deſcribentium vitio denique in textum ipſum irrepſerit; quæ Baluzii eſt conjectura; putantis, S. Hieronymum ex male intellecto Lactantii loco (referentis, Apoſtolos Evangelium per annos 25. uſque ad initium Neroniani imperii per omnes provincias prædicaſſe) aut certe ex vulgi traditione acceptum illud Euſebiano textui gloſſæ in modum inſeruiſſe.

*** Denique auctoritas Papiæ, quam elevare auctor citatus conatur, tanta paſſim in rebus facti ipſi Euſebio viſa eſt, ut illum in rebus meri facti hiſtorici ipſe ſæpiſſime, & quoties potuit, allegarit. Etſi enim in Hiſt. L. III. c. ult. affirmet, *ex Papiæ ſcriptis apparere, virum modico judicio præditum fuiſſe*, qui parabolas videlicet quaſdam, a diſcipulis Apoſtolorum in diſputatione prolatas ſenſu litterali acceperit, & pro veritatibus traditione Apoſtolica acceptis ſcripto retulerit, uti inter alia doctrinam de regno Chriſti millenario terreſtri poſt reſurrectionem mortuorum futuro &c.: nihilominus eundem in rebus fidei ex idoneis teſtibus reſciendis diligentiſſimum fuiſſe refert. Porro ſaltem ad factum, de quo agitur, probe reſciendum quidem haud inſolens quædam vis ingenii requirebatur.

4.) S. IRENÆUS, S. Polycarpi diſcipulus, aut ab ipſo hoc magiſtro ſuo edoctus, qui ſub Aniceto Papa an. 158. Romæ aliquanto tempore ipſo teſte Irenæo (Lib. III. cap. 3.) commoratus fuerat, aut ipſe Romæ ſub Eleutherio circa annum 177. præſens Romanas res ſcrutatus, inter alia L. III. c. 1. (quem librum ſex fere annis poſt illud Romanum iter ſuum jam ſenex octogenarius ſcripſit) ita habet: *Matthæus Hebræis in ipſorum lingua Evangelium ſcripſit; dum interim Petrus & Paulus Romæ prædicarent, & fundarent Eccleſiam.* Et ibid. c. 3. *longiſſimum foret*, inquit, *ſucceſſionem omnium Eccleſiarum recenſere: ſatis erit, ſi traditionem & doctrinam Eccleſiæ omnium maximæ, a glo-*

glorioſis Apoſtolis Petro & Paulo fundatæ afferamus. - - - Poſtquam igitur beati Apoſtoli Eccleſiam fundaverant, Epiſcopale munus Lino commiſerunt &c. Tum ad S. Clementem Romanum promovens ſermonem, ait: *ab Apoſtolis tertius poſt Anacletum Clemens Epiſcopatum ſuſcepit; beatos Apoſtolos vidit; cum ipſis fuerat converſatus, eorumque prædicationem & traditiones in recenti memoria tenebat.*

* Confer iſtum Irenæi locum cum loco Clementis Romani ſupra n. 1. recitato; & memento, a S. Paulo eundem Clementem tanquam ſuum diſcipulum prædicari in Ep. ad Philipp. IV. 3.; quam in Romano carcere ſcripſit; ut ipſe in ea I. 12. memorat: memento item, ab Origene eundem Clementem S. Petri diſcupulum appellari, a Tertulliano autem dici a Petro ordinatum Romæ Epiſcopum: atque his rite perpenſis ipſe judica: utrum dubii vel ſpecies aliqua ſuperſit, quin de Petri & Pauli martyrio, Romæ ab utroque tolerato, S. Clemens in allegato loco diſſerat. Habemus proinde in Clemente & Irenæo ſimul junctis teſtimonium in rem præſentem omni exceptione majus, nec in auctoritate ſolius Papiæ innixum. Tametſi enim S. Hieronymus Epiſt. ad Theod. S. Irenæum Papiæ diſcipulum fuiſſe memoret, nulla S. Polycarpi mentione facta: tamen ex ipſius Irenæi teſtimonio, quod in ejus Epiſt. ad Florinum ab Euſebio V. hiſt. 20. recitata extat, & in Ogdoade, de qua item Euſebius L. V. c. 19., certum eſt, eundem & S. Polycarpi diſcipulum fuiſſe, *& primos poſt Apoſtolos ſucceſſores vidiſſe.*

5.) S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, circa annum 167. florens, in reſcripto ſuo ad Romanos laudans munificentiam Romanæ Eccleſiæ, tum per eleemoſinas temporali, tum per ſalutaria ſcripta, nempe Epiſtolam Clementis Papæ, ſpirituali neceſſitati Corinthiorum, ſubvenientis, teſte Euſebio L. II. c 25. ità habet: *& vos tantam commonitionem conſecuti; Romanæ & Corinthiacæ*

thicæ Eccleſiæ plantationem a Petro & Paulo factam commiſcuiſtis (id eſt, eorum exemplo curam utriusque conjunxiſtis). *Etenim nos utrique, cum & noſtram Corinthiorum Eccleſiam plantarent, docuerunt. Similiter autem & in Italia pariter docentes eodem tempore martyrium ſubierunt.*

6.) S. Clemens Alexandrinus, ab anno 191. clarus (teſte Euſebio hiſt. VI. 14.) *in libris ſuis traditionem ſeniorum inde ab initio acceptam de ordine Evangeliorum* ponens, de S. Marci Evangelio ſic habet. *Cum Petrus Romæ prædicaret verbum, & Evangelium ſpiritu promulgaret, multos præſentium Marcum, tanquam eum, qui Apoſtolo jam diu fuiſſet aſſectator, dictorumque illius adhuc recordaretur, rogaſſe, ut, quæ dicta ab illo eſſent, conſcriberet, conſcriptumque Evangelium illis daret &c.* Porro S. Clementem Alexandrinum non Papiam Hierapolitanum Phrygem ſed alios hujus traditionis auctores habuiſſe, ex ipſiusmet verbis Lib. I. Stromat. edit. anni 1641. pag. 274. diſcimus; ubi, *unius*, inquit, *qui erat Jonius, in græcia auditor fui; alterius in Italia; tertii Magiſtri diſcipulus fui in Syria, & quarti in Ægypto; alios duos auſcultavi in oriente, Aſſyrium unum, alterum Palæſtinum, origine Hebræum &c. Hi veræ traditionis ter felicem doctrinam immediate ab Apoſtolis Petro, Jacobo, Joanne, & Paulo acceptam conſervarunt.*

7.) Tertullianus, ſub medium ſecundi ſeculi chriſtiani natus, & an. 192. Presbyter factus, in lib. de Præſcript. c. 36. ita habet: *ſi Italiæ adjaces, habes Romam. Felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur: ubi Paulus Joannis* (Baptiſtæ) *exitu coronatur.* Et Lib. 4. contra Marcion. c. 5. *videamus*, ait, *quid Romani de proximo ſonent; quibus Evangelium &*

Petrus

Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Profecto Tertullianus hæc non a Papia didicit; quippe qui quinque vix annos ante iſtius mortem natus, nec iſtum novit, nec vidit ipſius ſcripta, nec ullo indicio in ſcriptis ſuis prodit, ſe cum orientalibus aliquo uſum commercio fuiſſe; niſi cum ex illorum hæreſiarchis quidam, uti Cerdon, Marcion, & Praxeas, Romam appulſi, ſparſo hæreſeon ſuarum veneno, ab ipſo eſſent refutandi.

8.) Cajus, vel Gajus, vir Eccleſiaſticus circa annum 210. Romæ Presbyteri dignitate, ac poſtea etiam Epiſcopi gentium honore ornatus (ſic enim interpunctum locum Euſebii in hiſt. II. 25. Photius Cod. 48. legit: *Romanæ Eccleſiæ presbyter factus, gentium Epiſcopus*, id eſt, ad gentium converſionem miſſus cum dignitate Epiſcopi) in Epiſt. ad Proclum ſic ſcribit: *ego vero Apoſtolorum* (Petri & Pauli.) *trophæa oſtendere poſſum. Etenim ſi ad Vaticanum, vel ad viam Oſtienſem abire voles, trophæa invenies eorum, qui hanc Eccleſiam fundarunt.*

9.) Origenes anno 230. Tom. III. Expoſit. in Geneſ., quem ejus locum citat Euſebius hiſt. L. III. c. 1. ſic habet: *Petrus in Ponto, Galatia, & Bithynia, Cappadocia, & Aſia diſperſis Judæis prædicaſſe videtur: qui & ad extremum Romam veniens crucifixus eſt, capite deorſum demiſſo, ſicut ipſe petierat pati.* Sed neque Origenes, Alexandriæ natus an. 186, ex Papiæ tantum ſcriptis, ſed vel maxime ex Romanis ipſis, iſta intellexit. Teſte enim Euſebio Hiſt. VI. 14. Origenes *Romæ ſe ſub Zephyrino tum temporis Romanæ Eccleſiæ Præſide, egiſſe alicubi ſcribit.*

10.) S. Cyprianus circa an. 250. Epiſt. 52. ad Antonianum ſcribit: *factus eſt Cornelius Epiſcopus*

pus (Romæ), - - *cum Fabiani locus, id eſt, cum locus Petri & gradus cathedræ Sacerdotalis vacaret.* Et vero Cyprianus ſæpiſſime & vulgo ſedem Romanam S. Petri Cathedram vocat: nec ipſe a Papia, ſed utique a Tertulliano Magiſtro ſuo, eam hiſtoriam accepit, imo ex monumentis Romanis, de quibus inſtrui ipſum ob arctam cum S. Cornelio Papa amicitiam opportunum illi fuit.

11.) Arnobius, gente Afer, circa an. 303. in lib. 2. adverſus gentes ſcribit, Romam ideo converſam ad Chriſtum; quia viderat Simonis Magi igneas quadrigas Chriſti nomine a Petro invocato diſſlatas continuò evanuiſſe.

12.) L. Cælius Lactantius Firmianus, Arnobii diſcipulus, gente Italus, Criſpi poſtmodum primi Conſtantini Magni filii, Magiſter, in lib. 4. Divin. Inſtit. cap. 21. Chriſtus *& futura aperuit illis* (Apoſtolis ſuis) *omnia*, inquit; *quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt, & ea prædicatio in memoriam ſcripta permanſit:* & paullo inferius eodem loco ait: *poſt illorum obitum, cum Nero eos interemiſſet, Judæorum gentem & nomen Veſpaſianus extinxit.* Item in libro de mortibus perſecutorum ſect. 2. poſtquam dixiſſet, Apoſtolos per annos 25. usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias & civitates Eccleſiæ fundamenta jeciſſe, porro ſic habet: *cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei, data ſibi ab eo poteſtate faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele ac ſtabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, - - - primus omnium perſecutus Dei ſervos, Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit.*

13.) Petrus Episcopus Alexandrinus an. 306. in libro de Pœnitentia (ex quo ſuperſunt

hodie 15. canones) canone 9. ſcribit: *Petrus, Apoſtolorum primus; ſæpe comprehenſus & cuſtodiæ traditus, ignominiaque affectus, poſtremo Romæ crucifixus eſt.*

14.) Patres Concilii Arelatensis a. 314. (juxta ſententiam communem Criticorum inſignium numero 200.) ex Africa, Gallia, Germania, Anglia, Hiſpania, & Italia congregati in Epiſtola Synodali ad S. Sylveſtrum Papam miſſa ſic ſcribunt: *utinam, chariſſime Frater! & tu magno Spectaculo adſuiſſes! plenius fuiſſet noſtrum gaudium. Sed non potes relinquere illa limina, ubi Apoſtoli præſident, & effuſus eorum ſanguis jugiter Dei gloriam prædicat.* Ecce teſtimonium totius pæne Europæ & Africæ chriſtianæ, quod Romæ SS. Apoſtoli, utique Petrus & Paulus, & præſederint, & ſanguinem fuderint, imo & hodiedum in ſuis ſucceſſoribus præſideant.

15.) Eusebius Cæsareensis an. 315. omnibus his teſtibus ſuccedens, & pleraque eorum teſtimonia referens, præterea (quod apud nullos anteceſſorum illius legitur) addidit illud in Chronico ad an. 44. *Petrus natione Galilæus, chriſtianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur; ubi Evangelium prædicans, 25. annis ejusdem urbis Epiſcopus perſeverat.* Sed cum in excerptis Euſebianis, quæ Græce hodie ſuperſunt, nihil hujusmodi legatur dubitare aliqui poſt Baluzii conjecturam cœpere, an non ille a S. Hieronymo hoc loco ſubſcripta nota aliqua interpolatus ſit; quæ nota dein vitio deſcribentium cum textu confuſa fuerit. Unde porro S. Hieronymus illud hauſerit, quod ipſe item in Catal. de Script. Eccleſ. cap. 1. diſerte tradit, Petrum anno 2. Claudii Imperatoris ad expugnandum Simonem Magum Romam perrexiſſe, ibique 25. annis cathedram ſacerdotalem tenuiſſe, incertum

tum putant, ſuſpicanturve, ex male intellecto Lactantii loco ex ejus libro de morte perſecutorum, hic paullo ante n°. 12. citato, exceptum eſſe, referentis, Apoſtolos Evangelium per 25. annos usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias prædicaſſe. Verum his obſtat alter locus Euſebii in ejus Hiſt. Lib. II. cap. 13. & 14. ubi claris verbis affirmat, Petrum ad Simonis Magi præſtigias confundendas Romam ſub Claudio veniſſe, dicens: *e veſtigio namque ſub ipſo Claudii imperio optima illa Dei omnium & humano generi amica Dei providentia conſtantiſſimum & magnum Apoſtolum Petrum, reliquorum omnium virtutis gratia principem: Romam adverſus tantum vitæ corruptorem deduxit &c.* Ubi quidem non exprimit, quo Claudii anno iſtud iter Romam contigerit. Ceterum, Simonem Magum Romæ ſub Claudio fuiſſe, & ob artes magicas magno in honore habitum fuiſſe, referunt etiam S. Juſtinus Martyr Apol. 2. & S. Irenæus adverſus hæreſ. lib. I. cap. 20.: qui tamen de S. Petro ejusque cum Simone congreſſu nihil memorant; ſed primus, quod ſcio, de hoc item mentionem facit S. Clemens Alexandrinus in ſexta Hypotipoſi apud Euſeb. Hiſt. L. II. cap. 15. (ſi tamen citatio illa Clementis etiam ad hiſtoriam de Simone per S. Petri virtutem ſuperato quæ præcedit, & non ad ſolam ſequentem hiſtoriam de Marco Evangelium ſcribente apud Euſebium loco citato referatur) & proxime ab hoc Arnobius ſub initium ſeculi quarti eo loco, quem paullo ante ex ipſius libro adverſus gentes hic n. 11. allegavi. Vide notam hic n. 3. a me adjectam. Quidquid vero de hoc ſit;.

Coroll. *Ex omnibus his teſtimoniis, eorumque conſenſu, tum vero ex ipſis Apoſtolorum SS. Petri & Pauli monumentis ſepulcrisque Romæ omni retro prima Eccleſiæ ætate exiſtentibus (præc. n. 8.), certum omni hiſto-*

hiſtorica & humana fide eſt , tum Petrum Romæ aliquamdiu (quantocunque demum tempore) fuiſſe, Evangelium Chriſti prædicaſſe, functum munere Apoſtolico, atque (ut teſtimonia §. præc. nn. præſertim 1. 5. 7. 8. 9. 12. 13. *relata evincunt*), *mortem ibidem Martyrio oppetiiſſe.*

* Utrum jam etiam 1'. Epiſcopus Romæ peculiaris, vel aliquamdiu tantum, vel 2'. etiam usque ad mortem, fuerit, ita, ut alius nullus eo vivente præter Petrum Romæ proprius Epiſcopus conſtitutus vel ab ipſo, vel ab alio Apoſtolo fuerit; etiamſi primum illud ex nn. 2. 4. 5. &c. &c. alterum vero ex nn. iisdem, qui de morte Romæ obita teſtantur, ſatis clare inferatur, ampliusque ex teſtimoniis Patrum, qui ſubſequentibus ſeculis viventes ex aliis monumentis hodie non amplius ſuperſtitibus id haurire potuere, confirmetur: nihilominus utrumque iſtud ex dictis (152. not. 3. 153.) ad rei, de qua hic agitur, ſummam nihil facit. Potuit Petrus, quocunque tempore, certe *ſub extremum vitæ*, Romam veniens, converſis ad fidem Romanis præficere, ſeu ut Epiſcopum, ſeu ut ſuum Vicarium S. Linum, vel S. Clementem, vel alium quemcunque, adhuc in vivis agens, tumque Romæ vel continuo perſeverans, vel ſaltem extremum vitæ diem obiens, eundem deſignare ſuum etiam in Primatu Apoſtolico ſucceſſorem. Quod ita deſignarit reipſa, conſenſus Eccleſiæ totius Chriſti inde a primis ſeculis, quo uſque rerum Eccleſiaſticarum memoria pertingit, a nobis mox probandus, certiſſime ac nullo prudenti relicto dubio evincit. Certe pauca in omni profana hiſtoria habemus facta, quæ tanto, atque iſtud, tamque conſentiente quoad rei ſubſtantiam teſtium tam probatorum numero, comprobentur.

** Sed nec illud nos moratur, quod multi negent, Babylone illa, unde primam Epiſtolam Petrus ſcripſerit (vide §. præc. n. 3.), Romam deſignari. Etſi enim communis illa omnium veterum interpretatio ſit, & per ſe *Babylonis*

bylonis nomen urbi Romæ Judæorum intuitu valde quadraret, ceu quæ non minora ipſis quam Babylon intulerat mala: nihilominus Hiſtoricis ac Biblicis, non Theologis, pro dogmate tantum Catholico, & quæ arcte cum hoc nectuntur, ſolicitis, propria hæc pugna eſto: quam accurate deciſam vide apud Calmetum Differt. de itinere Romano S. Petri.

*** Ceterum ſupervacaneum exiſtimo, ulteriora ex Patribus ſequentium ſeculorum teſtimonia, pro his factis conſentientia prorſus, porro iſthic exſcribere, uti SS. Athanasii in Epiſt. ad Solitarios, Epiphanii Hæreſi 27., Optati Milevitani lib. 2. adverſus Parmenian. n. 2., Hieronymi in Catal. de Script. Eccl. cap. 1. item in Ep. 1. ad Damaſum, Ambrosii in ſermone 67.; item in Orat. contra Auxent. Augustini in lib. 2. cap. 51. contra literas Petiliani, item in Epiſt. 164. alias 165., uti & Hiſtoricorum Sulpicii Severi, Pauli Orosii, Sozomeni, aliorumque quamplurimorum, quæ accurate conſcripta videre eſt apud Bellarminum lib. II. de Pontif. Rom. cap. 2. 3. & 4. Quodſi enim factum aliquod teſtibus coævis, aut ætate proximis, aliquando ſufficienter conteſtatum eſt, ab ſequentium atque poſteriorum teſtium teſtimoniis, priorum teſtimoniis præciſe nitentium; nulla nova vis atque authoritas facto accedere ſecundum rectæ Logicæ regulas poteſt. Unde miror ſane tot Theologorum methodum, qui aut neglectis omnino primorum trium ſeculorum teſtimoniis, aut obiter aliquot ſolum eorum & imperfecte relatis, teſtimoniis quarti ac poſteriorum duntaxat ſeculorum recenſendis inſiſtunt.

**** Addi tamen meretur: his documentis vel ipſis compluribus ex doctiſſimis Proteſtantium Criticis ita ſatisfactum eſſe, ut pro indubitato prorſus S. Petri commorationem, fundationem Eccleſiæ, & mortem habendam eſſe prolixe aſſeruerint Pearſonius Oper. poſthum. pag. 27. 31. 32. 43.

32. 43. Hugo Grotius in 1. Petri 5. 13. Jacobus Uſſerius ad ann. Chriſti 66. 67. Hammondus Diſſert. 5. de Epiſcopis & Presbyt. Charnier Panſtart. tom. 2. l. 13. c. 4. Blondellus de Primatu &c. &c. pag. 14. 19. Franc. Junius, Scaliger, Caſaubonus, Petrus Mollinæus, Dodwellus, Cave &c. &c. &c. Quanta inter Proteſtantes nomina!

* * * * * His præmiſſis paucas, quæ objiciendæ ſuperſunt, difficultates levi brachio reſolvere licebit. Dicunt 1'. Nulla in *Actis Apoſtolorum* mentio eſt de Petri itinere Romano; etſi multi minoris momenti acta hujus Apoſtoli referantur, quam ſit hoc iter, in quo omnis Romanæ, imo totius Eccleſiæ Chriſti Primatus fundatur. Sed neque S. Paulus tum ad *Romanos* ſcribens, tum ipſe dein Romæ præſens, & plures Epiſtolas ſcribens, nimirum *ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Philippenſes*, & *ad Philemonem, ad Hebræos, ſecundam ad Timotheum*, ullam Petri mentionem facit: imo etiam Petri Romæ præſentiam aperte abnuere videtur; cum ad Philipp. II. 20. dicit de iis, qui Romæ erant: *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti;* quod utique de S. Petro non dixerit. In Epiſt. ad Coloſſ. cap. ult. ait: *ſalutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, & Jeſus, qui dicitur juſtus; hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei.* Ergo Petrus ſimul cum Paulo Romæ non laboravit. Denique II. Timoth. 4. *in prima mea defenſione*, ait, *nemo mihi adſtitit, ſed omnes me dereliquerunt:* id quod S. Petro quadrare non poteſt. *Reſpondeo* vero 1. cum Bellarmino lib. II. de Pontif. Rom. cap. 8.; nihil concludi argumento negativo ab authoritate, pluſque credi tribus teſtibus cetera authenticis aliquid abſolute affirmantibus, quam mille præciſe nihil dicentibus; modo iſti non negent, quod alii affirmant. Tacendi enim præciſe mille cauſſæ eſſe potuerunt, quas ne ſuſpicari quidem nobis facultas ſit. Sed *Reſp.* 2. Hiſtoria Actorum Apoſtolicorum a S. Luca ultra annum Chriſti circiter 54., id eſt, ultra initium Neroniani imperii & tempus primi

primi adventus S. Pauli Romam, non pertingit: quodſi ergo S. Petrus non ſub imperii Claudiani initium, ſed verſus medium aut finem, Neroniani primum Romam advenerit, nec Lucas in Actis Apoſtolicis, nec S. Paulus in Epiſtola ad Romanos, quam & ipſe certo ſcripſit ante primum iſtud Romanum iter ſuum, ut ex cap. 15. v. 25. patet, de Petro mentionem facere potuere, utpote nondum tunc Romæ exiſtente. S. Paulus duos annos integros Romæ commoratus, ibidem in carcere detentus ſcripſit Epiſtolas ad Philippenſes, ad Philemonem, ad Coloſſenſes, ad Epheſios, imo juxta communem ſententiam etiam ad Hebræos. Quodſi ergo S. Petrus non niſi tertio Neronis anno Romam advenerit, nihil de illo ſcribere Roma S. Paulus potuit in his quidem Epiſtolis. Poſt duos annos S. Paulus Roma digreſſus, in Hiſpanias & Gallias profectus creditur; vel certe continuo in Orientem denuo reverſus, nec ante annum 66. Romam regreſſus eſt. Romam deinde ſecundo veniens, ad Neronem delatus eſt; & in ea accuſatione ab omnibus deſertum ſe in II. Ep. ad Timotheum data cap. 4. ſcribit. Hunc ergo locum cum qualicunqe ſpecie adverſus Petri præſentiam Romæ exemplo Calvini inprimis urgere ſolent adverſarii. Sed quanta id demum veriſimilitudine? Loquitur Apoſtolus aperte de illis nobilioribus Romanis, quorum in prima ſua Romana commoratione etiam aliqui ex ipſa aula Cæſaris, imo & de genere atque de agnatis ipſius, gratiaque apud Cæſarem valentibus (ut ex ep. ad Philipp. IV. 22. item cap. I. 14. haud obſcure conjicitur) ad fidem chriſtianam jam converſi fuerant; ait enim cit. cap. v. 22. *ſalutant vos omnes ſancti, maxime qui de Cæſaris domo ſunt.* Porro Petrus denique, Cæſari ipſi non minus inviſus, quid denique Paulum juvare potuiſſet? Tam inanis jam ſuſpicio evertere factum tot probatis teſtibus conteſtatum apud homines ſanæ rationis juxta ac ſinceræ Critices amantes poſſit? Vereor, ne multi Acatholicorum in hac parte negent, quod verum eſſe non vellent, quod negant. Atque hæc quidem ſecundum eam ſententiam, quæ S. Petri Romam adventum

ſub extremum tempus Neroniani imperii ponit; quippe quæ ſola vera ſi ſit, totum habemus, quod volumus. Hiſtoricorum id opus & labor erit, decidere; an bis & diverſis vicibus Romam venerit, nempe jam ſub exordium Claudii, ut habet Paulus Oroſius Hiſtoricus loc. cit.; an ſub annum ſecundum Claudii, ut habet S. Hieronymus? Hique item difficultatem ex Epiſtolis Paulianis motam non incommode ſubterfugient, ſi conceſſo etiam priore aliquo adventu Petri Romam, pro quo tot antiquorum teſtimonia poſt Euſebium militant, ex communi ſententia dicant, S. Petrum qui adventu ſuo jam duodecim fere annis S. Paulum Romam prævolaverit, non ſemper Romæ ſubſtitiſſe, ſed eodem adhuc anno Jeroſolymam rediiſſe, inde pro munere Apoſtolico varias provincias peragraſſe, Romanæ Eccleſiæ gubernatione Coadjutoribus ſuis Lino & Cleto interim commiſſa, ut de S. Lino tale quid innuit S. Irenæus ſupra §. præc. n. 4. citatus &c. &c.; ſub extremum vero Neroniani Imperii tempus ad Simonis Magi præſtigias confundendas rurſum veniſſe Romam, & ibidem ex imperio Chriſti, ut S. Ambroſius in Orat. contra Auxent. habet, martyrio mortem ſubiiſſe.

* * * * * * *Dicunt* 2. Hic ipſe diſſenſus veterum circa tempus adventus & commorationis Romani S. Petri indicium eſt, fabuloſas in hac omni re fictiones interveniſſe. *Reſp.* Bona verba, o mei! quænam inter ſcriptores trium primorum ſeculorum a me citatorum diſſenſio eſt in eo affirmando, quod Petrus Romæ extremam partem vitæ transegerit, & martyrio finierit? Nulla omnino. Et vos, quia poſt tria ſecula varietas narrationis inter quarti & quinti ſeculi ſcriptores irrepit, quæ dubium relinquat, an bis Romam, num ſemel tantum, num anno ſecundo Claudii imperantis, an vero ſub extremum Neroniani imperii tempus, S. Petrus advenerit, negandum, illum veniſſe Romam omnino & ſub extremum ſaltem vitæ tempus, exiſtimatis? Sequatur hanc Criticam, cui libuerit. Mihi ad Eccleſiaſticum

cum dogma de Romana in Primatu Petri ſucceſſione defendendum & explicandum ſufficit, S. Petrum ſub extremum vitæ ſuæ tempus veniſſe Romam, ac ibidem fundata Eccleſia ac Epiſcopali Sede mortem oppetiiſſe. Semel tantum, an bis advenerit, an jam ſecundo Claudii anno; an combinari poſſit duplex iſte adventus aliis cum itineribus & eventibus vitæ S. Petri, ex S. Scriptura notis, ea omnia, & plura alia, ſalvo illo dogmate, Hiſtoricis & Chronologiæ peritis diſputanda relinquo. Illud vero magis miror, potuiſſe Harduinum (in adnot. ad Matth. XXIII. 33. & 34.) eo ſolo argumento ad negandum Petri Romanum martyrium moveri, quod l. c. Chriſtus unum e ſuis diſcipulis *a Judæis* (non a Romanis), crucifigendum prædixerit; de nullo autem, præter Petrum, conſtet fuiſſe crucis morte peremtum. Quaſi vero omnium diſcipulorum Chriſti Martyria habeamus literis conſignata; aut fieri non potuerit, ut Judæi Romæ cauſſa fuerint, ut S. Petrus martyrium in Cruce ſubiret.

* * * * * * * Addamus denique huc uſque dictis, Catalogos omnes Romanorum Pontificum, quotquot extant, omnes initium a S. Petro ſumere, & inprimis Bucherianum omnium antiquiſſimum; cujus pars prior ex monumentis in tabulario Romanæ Eccleſiæ aſſervatis concinnata creditur jam ſub Pontiano Papa circa annum 230; altera autem ſub Liberio medio quarto ſeculo: tum item perantiquum alterum ab Henſchenio & Papebrochio ex Codice Bibliothecæ Chriſtinæ Suecorum Reginæ editum; quem invenire eſt apud Bolland. T. I. Aprilis; qui finitur in Felice IV. defuncto anno 530.

155.

Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos legitime electos inde a morte S. Petri ſemper fuiſſe iſtius ſucceſſores in Primatu omni tempore judicavit Eccleſia Chriſti, hujusque rectores Epiſcopi per omnem orbem diſperſi idem ſemper profeſſi ſunt. Hujus facti

Teſtis eſt 1.) S. Irenæus an. 180. qui L. III. c. 3. poſt verba §. præc. n. 4. citata, poſtquam Romanam Eccleſiam *maximam & toti orbi notam* appellavit, ſubjungit: *cum hac Eccleſia Romana propter potentiorem* (ſeu *potiorem*, ut alii interpretantur) *principalitatem neceſſe eſt omnem aliam convenire Eccleſiam, hoc eſt, omnes, qui ſunt undique, fideles.*

2.) Tertullianus circa an. 217. jam Montani erroribus implicitus, in libro de pudicitia carpens edictum S. Zephyrini Papæ Romani de chriſtianis baptizatis ad pœnitentiam poſt commiſſa carnis peccata admittendis, ſic ait: *audio, edictum fuiſſe publicatum, & quidem peremtorium: ſummus Pontifex, id eſt, Epiſcopus Epiſcoporum, dicit: ego fornicationis & mœchiæ delicta pœnitentia functis dimitto.* Enimvero Pontifices Romani tunc temporis hos titulos non uſurpabant; ſed per ironiam ſolum hos tribuit Zephyrino, cujus edictum etiam *peremtorium*, id eſt, pro tota Eccleſia deciſivum vocat. Atqui tamen hæc ironia omni fundamento in alio quovis Epiſcopo caruiſſet, qui nullo primatus jurisdictionis honore præ ceteris omnibus emineret.

3.) S. Cyprianus circa an. 250. de Feliciſſimo & Fortunato ſchiſmaticis loquens, *navigare audent*, ait, *ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem; unde unitas ſacerdotalis exorta eſt.* Quæſo! ſi præſertim Petrus Romæ peculiaris Epiſcopus non fuit, quo ſenſu Cyprianus Romanam Eccleſiam vocat *Petri cathedram;* niſi quod in ea Petro in primatu ſuccedatur?

4.) Concilium Nicænum I. Oecumenicum an. 325. in Canone VI. (prout hic citatus eſt a Paſchaſino Apoſtolicæ ſedis legato in Concilio Chalcedonenſi an. 451. in Act. XVI. apud Harduin. T. II. col.

II. col. 638.) ait: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum.* Porro nemo unus Patrum Orientalium ſic lecto a legato canoni contradixit, ſed omnes reſponderunt: *perpendimus, omnem primatum, & honorem præcipuum ſecundum canones antiquæ Romæ amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Queſnellus quidem ad hoc teſtimonium eludendum duo commentus eſt, *primo* ex unico quodam mendoſo Oxonienſi Codice contra plurimos alios multo antiquiores aſſeruit legendum eſſe, *habeat primatum* pro *ſemper habuit*: *deinde* eam partem Canonis eſſe adjectam vel quod ex margine intruſa in textum irrepſerit, vel quod a Clericis Romanis addita fuerit. Sed vide utrumque commentum falſi convictum in adnot. ad eum *Codicis Canonum* a Queſnello editi locum T. III. oper. S. Leon. pag. 52.

5.) Optatus Milevitanus circa an 374. in Lib II. contra Parmen. Donat.: *negare non potes,* inquit, *in urbe Roma cathedram Epiſcopalem primum Petro datam, qui in ea ſedit, cum eſſet omnium Apoſtolorum caput, exinde Cephas appellatus: in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur: nec ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent* (id eſt, independentes, nec ſubordinatas; nam utique & Apoſtoli ceteri Epiſcopi erant), *ut jam, qui contra hanc cathedram alteram collocaret* (id eſt, contraria docentem, vel non ſubordinatam) *ſchismaticus & peccator agnoſceretur. In hac ergo unica cathedra* (quæſo! quo pacto *unica*? niſi in ratione principalis) *Petrus primus ſedit, ei Linus ſucceſſit, Lino Clemens &c. &c. & Damaſus, qui hodie noſter confrater eſt, quocum totus mundus, ſicut & nos, commercio literarum formatarum communicat.*

6.) S. Hieronymus circa an. 376. in Epiſt. 14. (alias 57.) ad Damaſum Papam ait: *ego nullum primum, niſi Chriſtum, ſequens, beatitudini tuæ,*

id

id eſt cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Et in epiſt. 8. ad Demetriadem cap. 9. ſic ſcribit: *illud te pio caritatis affectu præmonendam puto, ut S. Innocentii, qui Apoſtolicæ cathedræ ſucceſſor eſt, teneas fidem, nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias.*

7) S. Augustinus poſt an. 394. in ep 43. (alias 162.) *in Romana Eccleſia*, inquit, *ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus.* Et in L. II. contra Donat. c. 1. *quis neſcit, . illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum.* L. II. contra Fauſtum c. 7. Romanum Pontificem vocat *paſtorem totius Eccleſiæ*, & contra duas Epiſt. Pelag. L. IV. c. 12. *paſtorem paſtorum.*

8.) S. Prosper Aquitanus circa an. 440. in carmine de ingratis Cap. II. n. 40. ſic canit: *ſedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundi, quidquid non poſſidet armis, relligione tenet.*

9.) S. Petrus Chrysologus circa an. 450. in Epiſt ad Eutych. ait: *hortamur te, ut iis, quæ a beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.*

Unde denique 10.) Concilium Florentinum Oecumenicum an. 1438, ex Orientis & Occidentis Patriarchis & Epiſcopis collectum, ſic ſtatuit in ipſo decreto profeſſionis fidei: *definimus, ſanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univer-*

univerſalem Eccleſiam a D. N. J. Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur. Enimvero generatim Concilium de omnibus Romanis Pontificibus loquitur, nec in definiendo, ſeu ſolenniter recognoſcendo, diciſivi regiminis modo falli poteſt (140.)

156.

I. *Omnes ergo Romani Epiſcopi, qui a S. Petri morte extiterunt, fuere S. Petri in primatu juriſdictionis ſucceſſores, & Vicarii Chriſti.*

II. *Iidem id dignitatis, prærogativæ, & poteſtatis, qua Romani Epiſcopi, non accepere ab Eccleſia, ſeu Epiſcopis.* Quando enim? quomodo? an ab Epiſcopis in Concilio aliquo congregatis? & in quonam illo? an ab eisdem per orbem diſperſis? num vero ex communi omnium ſuffragiorum conſenſu? quis vero iſta collegit? aut quo indicio ea Epiſcopi prodidere? an per vota majora? quis hæc numeravit? quis definiit, ut res iſta, ad totam Eccleſiam pertinens, per vota majora decideretur a paribus auctoritate Epiſcopis? Et quidem unde colligamus, conſenſum iſtum Epiſcoporum jam fuiſſe notorium S. Irenæi ætate, ac ſecundo Eccleſiæ ſeculo (præc. n. 1.)?

III. *Ergo Romani Epiſcopi jus ſuccedendi S. Petro in Primatu Eccleſiæ accepere immediate per S. Petrum, ſeu juſſu divino tacito illud deferenti Romanæ Eccleſiæ, ſeu pro officio ſuo determinantis ſedem, in qua ſibi ſuccederetur.*

IV. *Ergo nec ſine præſcripto, vel conſenſu, alicujus Romani Pontificis immediate præcedentis in cujuscunque Vicarii Chriſti nova electione Primatus ille transferri in aliam a Romana Sede quacunque auctoritate*

tate poteſt : quia nec Eccleſiæ immediate, ſeu Epiſcoporum cœtui, nec per hunc Romanæ Sedi, ſed immediate S. Petro, & per hunc Romano Epiſcopo & prædeceſſori Vicario Chriſti hæc poteſtatis prærogativa transmiſſa in manus a Chriſto fuit.

* Sed ſupereſt quæſtio, Theologorum ingenia fatigans : *an jure divino affixus Sedi Romanæ Primatus eſt ? an ſaltem ad fidei divinæ materiam pertinet, eſſe ac fore illum ſemper Romæ affixum ?* Affirmant utrumque alii, alii negant. *Qui affirmant*, moventur hisce rationibus : quia Patres & Concilia non diſtinguunt ſucceſſionem ipſam Petri a ſucceſſione in Sede Romana qua tali, ſed miſcendo utramque dicunt Romanos Epiſcopos jure divino eſſe Chriſti Vicarios, eſſeque de fide, quod ſint. Sic S. Auguſtinus Ep. 176. (alias 92.) ad Innocentium I. nomine Concilii Milevitani ſcribit, Romanæ Sedis *auctoritatem ex Scripturis ſanctis depromtam eſſe* : quia ſecus denique, uti facto mere humano Primatus Sedi Romanæ initio affixus eſſet, ſic & ſimili facto ab ea in aliam transferri poſſet ; quo poſito facillima ſchiſmatis occaſio eſſet &c. &c. *Verum* fateor, parum ſolide ex his probari ſeu jus divinum, ſeu divinam revelationem : tum quia verba ſimilia Patrum & Conciliorum in ſenſu proprio vera manent ; etſi de ſola ſucceſſione abſtracta a Romana Sede Epiſcopali qua tali intelligantur : tum quia tamen contra legem Pontificis Romani præcedentis in ejus morte ac ſubſequente novi Primatis electione transferri Primatus non poteſt, niſi in caſu ſingulari, ex. gr. cum Romana omni provincia ab infidelibus occupata Chriſtiani in ea nulli porro ſupereſſent. *Negandi* vero jus & revelationem divinam haud leve argumentum eſt ; quod nuſpiam ejus utriusque veſtigium extet, nec ulla ſufficiente auctoritate comprobetur, ac proinde defectu ſufficientis promulgationis laboret ; quæ legis eſſentiale attributum eſt. Præterea ſi ad fidei divinæ materiam pertineret, ſemper Romanum Epiſcopum S. Petro in Primatu Eccleſiæ univerſalis ſucceſ-

ſucceſſurum ;. hoc ipſo theologica certitudine certi eſſemus, ſemper Romanæ provinciæ agrum Chriſtianos aliquos fixo domicilio obtenturos, id eſt, Romæ Epiſcopatum ad mundi finem uſque nunquam ceſſaturum eſſe. Quidquid de hoc ſit, ſufficit mihi, atque ſufficere omni ſapienti ac moderate ſentienti Theologo debere exiſtimo, quod univerſæ Eccleſiæ, quæ in ſummo viſibili paſtore ſuo recognoſcendo errare non poteſt (140.), judicio nobis *certiſſime & fide Eccleſiaſtica* conſtet, huc uſque omnes Romanos Epiſcopos fuiſſe, & eſſe hodie, S. Petri in Primatu Eccleſiæ ſucceſſores; nec proinde ſine illorum conſenſu extra caſum ſingulariſſimæ neceſſitatis de translatione hujus dignitatis in aliam ſedem vel cogitari ſapienter poſſe: qui caſus dum evenerit, vel certe niſi aliud Eccleſia de iſta quæſtione definierit; ultra id, quod dixi, Theologorum diſputationibus nihil evinci poſſe certum habeo.

157.

Conſenſus & communio circa univerſam Chriſtianæ fidei ac morum doctrinam cum Romano Pontifice, ceu Chriſti ſupremo Vicario, ac S. Petri ſucceſſore, illam ſolenni ac publico judicio definiente, ſemper inde a primis Eccleſiæ Chriſti temporibus habitus eſt pro præcipuo & neceſſario charactere, ex quo quis veræ Eccleſiæ Chriſti membrum eſſe, ac recte de fidei ac morum dogmatis ſentire dignoſceretur. Ecce teſtes!

1.) S. Irenæus an. 180. in L. III. c. 3. *Traditione Romana, ab Apoſtolis accepta, & uſque ad nos per ſucceſſionem Epiſcoporum continuata omnes illos confundimus, qui conventus ſpurios & illegitimos celebrant. Cum hac Eccleſia omnes alias Eccleſias propter potentiorem ejus principalitatem convenire neceſſe eſt; quia in ea ab omnium nationum fidelibus Apoſtolorum traditio eſt conſervata.* Probat inde exemplo S. Clementis Romani Papæ, qui *diſcordia* Corinthi *exorta Epiſtolam ad Corinthios dederit zelo plenam, ut ad*

pacem

pacem reduceret, fidemque in eis & traditionem ab Apoſtolis acceptam renovaret. Enimvero S. Irenæus non de qualicunque communione caritatis, vel collatione negotiorum & conſiliorum, ſed de conſenſu doctrinæ cum Sede Romana loquitur certiſſime.

2.) S. Cyprianus an 250. paſſim Romanam Eccleſiam eſſe *principium unitatis Sacerdotalis in fide & caritate* reſpectu totius Eccleſiæ, & communionem cum ea eſſe characterem rectæ fidei catholicæ. Nam in Epiſt. 55. ad S. Cornelium Papam (ſecundum Eraſmum L. I. Ep. 3.) ſic habet: *poſt iſta adhuc pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto navigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem; unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, a ſchiſmaticis & profanis literas ferre* (quas *formatas* vocare ſolebant Epiſcopi, ceu formam communicationis cum veræ Eccleſiæ paſtoribus in recta fide ferentes) *nec cogitare, eos eſſe Romanos, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum*, id eſt, quibuscum nemo errans in fide, aut ab obedientia Eccleſiæ remotus, communionem fidei, vel caritatis, habere poteſt. Et Epiſt. ad eundem S. Cornelium 45. (ſecundum Eraſmum L. IV. ep 8.) *nos ſingulis navigantibus, ne cum ſcandalo navigarent, rationem reddentes, ſcimus, nos hortatos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent* (Romanam ſcilicet Eccleſiam). - - *Placuit*, - - *ut per omnes omnino provinciæ noſtræ Epiſcopos literæ fierent, ut te univerſi collegæ noſtri, & communicationem tuam, id eſt, Eccleſiæ catholicæ unitatem pariter & caritatem probarent firmiter, ac tenerent.* Item Ep. 52. ad Antonianum, *ſcripſiſti*, inquit, *ut exemplum earundem literarum ad Cornelium* (Papam Romanum) *transmitterem; ut ſciret, te ſecum, hoc eſt, cum catholica Eccleſia communicare.* Rurſus in edit. Eraſm L. IV. ep. 9. ita habet: *qui cathedram Petri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe*

ſe eſſe non confidat. Hoc idem dictum Cypriani in *L. de Unitate* reperitur, & genuinam eſſe lectionem, conſtat ex ſex codicibus Anglicanis, ab auctore editionis Oxonienſis citatis; idemque allegatur ex Cypriano a Pelagio II. Papa in Ep. 6. ad Iſtriæ Epiſcopos ante 1100. annos jam perſcripta.

3.) S. Gregorius Nazianzenus circa a. 356. in carmine de vita ſua ante medium, *vetus Roma*, inquit, *ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet urbem, quæ toti orbi præſidet, ſemper de Deo integram fidem habere.*

4.) S. Damasus Papa an. 367. creatus, ſententiam ſuam damnationis de hæreſi Apollinaris in Epiſtola ad Epiſcopos Orientis (quæ extat apud Theodoretum L. V. c. 10.) vocat *formulam fidei. Jam ſemel formulam fidei edidimus*, inquit; *& ob eam cauſſam credimus, impias ejus reliquias nihil imposterum momenti habituras. - - Quodſi quosdam aliös ad ſuam perducat ſententiam, ſciant illi, ſe cum illo perituros; ut qui animum induxerint,* Ecclesiæ canoni *repugnare.*

5.) S. Optatus Milevitanus circa an. 374. loco cit. §. præc. n. 5. ubi demum, veluti certiſſimo argumento Parmenianum Donatiſtam convicturus, urget: *quid ſibi hoc, quod ſecta veſtra in urbe Roma nullum Epiſcopum Romanum habere potuerit? quid manifeſtius impoſturam prodere poſſit, non video.* Nempe ſchiſma Donatiſtarum etiam Romam an. 321. extenſum fuerat; ubi quidam ex eis confidentes cum advocato ex Africa Victore Garbenſi Epiſcopo, ex quadraginta & amplius Eccleſiis, quæ Romæ jam tunc erant, nullam obtinere potuere, in quam admitterentur.

6.) S. Hieronymus circa an. 376. in epiſt. 14. (alias 57.) ad Damaſum Papam ſic habet: *quoniam*

 vetuſta

vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam per fruſtra diſcerpit ; - - - ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum comederit, profanus eſt. - - Quicunque tecum non colligit, ſpargit ; hoc eſt, qui Chriſti non eſt ; Antichriſti eſt. Interrogor, an admittam tres hypoſtaſes. - - Timeo, ne affirmando cum Arianis tres naturas admittam. - - Hinc obteſtor te, ut datis ad me literis auctor ſis, an has voces hypoſtaſis recipere debeam, vel rejicere. Rogo etiam, ut indices, quocum mihi Antiochiæ communicandum ſit. Nam Campenſes (Meletiani) *communionis tuæ auctoritatem obtendunt, ut tres hypoſtaſes in antiquo eorum ſenſu propugnent.*

7.) S. Ambrosius circa an. 380. in Orat. de exceſſu fratris ſui Satyri (T. II. pag. 1127. n. 74.) *advocavit ad ſe Satyrus Epiſcopum*, inquit, *nec ullam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam; percontatusque ex eo eſt, utrumne cum Catholicis Epiſcopis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia, conveniret.* Et in Epiſt. 11. ad Ageruchiam : *in omnibus Romanæ Eccleſiæ formam & typum ſequimur.*

8.) S. Augustinus L. II. c. 3. contra duas Epiſt. Pelag. ad Bonifacium Papam ann. 418. creatum ſic ſcribit : *per Papæ reſcriptum cauſſa Pelagianorum finita eſt, totoque orbe poſt ejus damnationem damnati ſunt, ac literis Innocentii tota de hac re dubitatio ſublata eſt.*

9.) S. Innocentius I. Papa an. 417. in duabus epiſt. reſponſ. ad legationem Patrum Africanorum (inter epiſtolas S. Auguſtini 181. & 182.) *Patres olim*, ſcribit, *non humana, ſed* DIVINA *decrevere ſententia, ut, quidquid in disjunctis remotisque provinciis agere-*

ageretur, non prius ducerent definiendum, quam ad illius ſedis notitiam perveniret, ubi tota ejus auctoritate, juxta quæ fuerit pronuntiatio, confirmaretur: ſcientes, quod per omnes provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur: quod arbitror, omnes fratres & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum referre debere, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe.

10.) S. Zosimus Papa an. 417. creatus ad Epiſcopos Carthagine congregatos ſic ſcribit: *quamvis Patrum traditio Apoſtolicæ Sedi auctoritatem tantam tradiderit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet, idque per Canones ſemper regulasque ſervaverit; tamen, cum tantum nobis eſſet auctoritatis, ut nullus de noſtra poſſit retractare ſententia: nihil egimus, quod non ad veſtram notitiam noſtris ultro literis referimus; non quia, quid deberet fieri, neſciremus, - - ſed pariter vobiscum volumus habere tractatum.*

11.) S. Cyrillus Alexandrinus an. 431. in Ep. ad S. Cœleſtinum I. Papam: *quamvis hæc ita ſe habeant; non prius tamen Neſtorii Communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quam hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid ſentias, declarare, quo liquido nobis conſtet, communicare cum Neſtorio nos oporteat, an libere ei denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat.* Idem in theſauris de SS. Trinitate ſic loquitur: *debemus nos, ut qui membra ſumus, capiti noſtro Pontifici Romano & Apoſtolicæ fidei adhærere: ad nos pertinet inde; quid credendum, quid opinandum, quid tenendum ſit, quærere.*

12. S. Leo M. Papa creatus an. 440. ep. 10. alias 89. ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ, *hujus muneris ſacramentum,* inquit, *ita Dominus ad omnium*

 Apoſto-

Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in B. Petrô, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocarit, & ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velit in corpus omne manare, ut exortem ſe myſterii intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere.

13.) Joannes Patriarcha Constantinopolis an. 519. in ep. ad Hormiſdam Papam, & in regula fidei, quæ habetur poſt Ep 6. ejusdem Papæ, ſic ait: *prima ſalus rectæ fidei regulam cuſtodire, & a Patrum traditionibus nullatenus deviare: quia non poteſt Domini noſtri prætermitti ſententia, dicentis, tu es Petrus &c. &c. Hæc; quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in ſede Apoſtolica inviolabilis ſemper catholica cuſtoditur religio. Unde ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta; ſpero, ut in una communione vobiscum, quam ſedes Apoſtolica prædicat* (fidei videlicet, quæ prædicatur) *eſſe merear; in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ religionis ſoliditas.*

14.) S. Theodorus Studita Abbas, ab an. 795. in Orientali Eccleſia celebris, Paſchali I. Papæ ſcribens (L. II. ep. 12.) ex occaſione perſecutionis, quam a Leone Armeno Imperatore Iconomacho circa annum 817. ob cultum imaginum patiebatur, *audi Apoſtolicum caput*, inquit, *a Deo præpoſite paſtor ovium Chriſti! qui accepiſti claves regni cœlorum! petra, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia Catholica! Tu enim es Petrus; quia ſedem ipſius imples.* Tum enarratis, quas ob fidei defenſionem pateretur inſectationes, ſic pergit: *veni ergo ab Occidente in auxilium noſtrum. Tibi dixit Jeſus Chriſtus: confirma fratres tuos: nunc confirmandi tempus & locus eſt. Porrige nobis manum, qui poteſtatem a Deo habes; cum ſis omnium princeps.*

Audiat

Audiat Eccleſia, quæ ſub cælo eſt, quod in Synodo illos anathematizes, qui Patres noſtros anathematizare auſi ſunt (in Concilio nempe Copronymi Imperatoris, in quo 338. Epiſcopi an. 754. Conſtantinopoli cultores SS. Imaginum damnarunt erroris). *Sic concuſſos firmabis, fortes ſtabilies, lapſos eriges, gaudium dabis orthodoxæ univerſæ Eccleſiæ.* Ecce! ut ſententiam Papæ Romani, cum paucis in Synodo de argumento fidei judicantis, aperte præfert integro 338 Epiſcoporum concilio ex adverſo ſtanti. Idem in epiſtola ad Leonem Theſaurarium Michaelis Imperatoris an. 824. (L. II. Ep. 129.) de modo Eccleſias ſciſſas conciliandi circa dogma de cultu imaginum, ita ſcribit: *Fieri nullatenus poteſt, ut coaleſcat hæc Eccleſia* (Orientis) *non conſentientibus quinque Patriarchis. Quodſi roget quiſpiam, quo pacto id fieri poſſit; ſi excedant, inquam, Dei Eccleſiis heterodoxi, & propriam ſedem ſacer Patriarcha quondam Nicephorus recipiat; qui coacto Epiſcoporum eorum conventu, quibuscum pro veritate certamen ſuſtinuit, pacem conficiat, & ſynodicas ſuas ad primæ ſedis* (Romanæ) *Præſulem mittat. Si fieri non poſſit, ut ab aliis Patriarchis adſint vicarii, id certe fieri poteſt, ut occidentalis interſit, cui & poteſtas ſumma defertur Synodi Oecumenicæ. Quodſi hujusmodi Synodum minime probet Imperator; quia, ut ipſe ait, deflexit a veritate Nicephorus Patriarcha;* MITTENDA EST AD ROMANUM PONTIFICEM EX UTRAQUE PARTE LEGATIO, ET INDE FIDEI ACCIPIENDA CERTITUDO. Ecce! ut ad decretoriam definitionem de fide ſemper requirit auctoritatem ac judicium Papæ Romani, & in defectu Concilii œcumenici, vel etiam nationalis, judicat ſufficere ſolius Romani Pontificis cum paucis conſultantis judicium.

158.

I. *Itaque omnis Chriſti Eccleſia omnibus jam primis ſeculis judicavit in verbis Matth. XVI.* 16. *& Joann. XXI.* 15. *a Chriſto proponi legem fundamentalem, qua modum regiminis & decretorii judicii ferendi in cauſſis omnibus ad jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinentibus determinarit.* Omnia enim pæne allata toto hoc capite IV. teſtimonia, de modo regiminis a Chriſto definito teſtantia, illis Matthæi & Joannis citatis locis & Chriſti verbis nituntur, & ad ea ſe referunt.

II. *Certum ergo eſt, illis utrisque verbis Chriſti legem fundamentalem ejusmodi, qua modus regiminis determinetur, reipſa contineri: ac proinde reipſa pro claris omnino habenda ſunt, & ſine tortis explicationibus præciſe illorum obvio tenori inſiſtendum eſt;* uti ſupra §§. 115. 134. diximus.

III. *Itaque nullum irrefragabile ac decretorium judicium in ulla cauſſa ad jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinente ſine ſucceſſoris S. Petri, id eſt, Romani Pontificis, conſenſu ferri poteſt; ſed uti omnis poteſtas jurisdictionis reliquorum Eccleſiæ rectorum, qui Apoſtolis ceteris ſuccedunt* (128. 149.), *poteſtati ſuperiori illius tanquam Primatis, & in Primatu S. Petro ſuccedentis, ſubordinata eſt* (142. 151. 155.); *ita & ejusdem poteſtatis exercitium omne ab illis ſuſceptum exercitio ſimili ſuperiori Romani Pontificis ſubordinatum eſt.*

IV. *In cauſſis univerſalibus, id eſt, ad univerſam Eccleſiæ Chriſtianæ ſocietatem pertinentibus, a quarum recta deciſione pendet, ut portæ inferi adverſus Eccleſiam Chriſti non prævaleant, decretorium ac deciſivum judicium, cum conſenſu Romani Pontificis latum* (III.), *falli neſcium eſt.* Iſtud enim Chriſtus Dominus clare & aperte in ipſa lege fundamentali

Matth.

Matth. XVI. 16. promiſit; in qua obſcuri & ambigui nihil ſuſpicari licet (115.): *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

V. *In iisdem cauſis univerſalibus cum totius Eccleſiæ Chriſti. ſalute, vel ruina communi, connexis ad hoc, ut decretorium & falli neſcium judicium feratur, opus non eſt omnium rectorum Eccleſiæ conſentientibus ſuffragiis, aut certo majore aliquo iſtorum numero; ſed ſufficit paucorum cum judicio Romani Pontificis conſenſus* (135. 150. 155. 157.)

159.

Fieri vi ipſius promiſſi clariſſimi Chriſti Domini, & in ipſa lege fundamentali contenti, non poteſt, ut Chriſti Vicarii & ſucceſſoris S. Petri judicium decretorium in aliqua cauſſa univerſali, & cum ſalute, vel ruina, totius Eccleſiæ connexa, ſit ita ſingulare; ut univerſus inferiorum rectorum & Apoſtolici muneris ſucceſſorum cœtus ſuffragiis ſuis ab illo diſſentiat. Ceſſaret enim S. Petrus, vel ejus ſucceſſor in Primatu, eſſe fundamentum Eccleſiæ Chriſti in actu ſecundo & cum effectu a Chriſto apertiſſime in perpetuum promiſſo in lege fundamentali; ac prævalerent inferni portæ adverſus Eccleſiam ita, ut vel fundamentum ipſum everteretur, vel ut Eccleſia fundamento ſuo porro non inſiſtens traheretur tota in ruinam. Quodſi enim caput Petrus totius reliquæ Eccleſiæ fundamentum ſic eſt, ut hæc eidem ſemper inſiſtat in ſpecie ſua ſpectata, in qua a Chriſto inſtituta eſt ut Societas inæqualis, ex ſubditis ac rectoribus conſtans: profecto aliqui ſaltem rectores ſubordinati una cum ſubditis quibusdam fidelibus perpetuo inſiſtere & inædificari huic fundamento, ac proinde cum ejus judicio conſentire debent.

* Itaque non video, quo pacto magnum momentum habere poſſit tot contentionibus agitata quæſtio illa: *an ſummus Pontifex, ſe ſolo judicans in rebus fidei falli nequeat.* Enimvero in rebus cum ſalute vel ruina univerſali connexis duo a Chriſto promiſſa ſunt, relationem ita inter ſe habentia, ut unum ſine altero ne concipi quidem poſſint; videlicet quod S. Petrus, vel ejus ſucceſſor, ſemper firmiſſimum fundamentum decretorio judicio ſuo ſit futurus veræ Eccleſiæ Chriſti; & quod vera Chriſti Eccleſia huic ſuo fundamento manſura ſit inædificata; quin dejici, aut ſeparari ab illo per quaſcunque inferorum inſidias poſſit. Ergo nec ſummus Pontifex unquam *ſolus* recte in id genus cauſſis decernet, nec ſine illo cœtus rectorum inferiorum, aliter atque ille decernentium.

** Pariter fieri haud poſſe certum mihi eſt, ut univerſus cœtus rectorum inferiorum in id genus cauſſis graviſſimis & univerſalibus ſe ſuffragiorum omnium ſuorum conſentiente numero teneat ex oppoſito ſolius Romani Pontificis ex adverſo ſtantis: ac proinde nec tanti momenti mihi eſt quæſtio, an in rebus fidei definiendis major ſit auctoritas univerſi cœtus Epiſcoporum, an ſolius Pontificis.

* * * Verumtamen hæc valent ſolummodo de iis cauſſis & quæſtionibus, quæ, ut dixi, univerſales ita ſunt, ut ob ſalutem, vel ruinam, totius Eccleſiæ Chriſti, cum recto, vel non recto, de illis decretorio judicio connexam, vi ſolennis promiſſi a Chriſto facti in quovis illarum exortu nec petra ceſſare poſſit eſſe fundamentum Eccleſiæ, nec vera Chriſti Eccleſia dejici, aut ſeparari a ſuo fundamento, & eo ipſo labi in ruinam, quod non ſit fundamento ſuo inædificata. In cauſſis enim hisce graviſſimis oportebat eſſe remedium promtum & obvium quavis neceſſitate id exigente. In ceteris vero cauſſis magis particularibus, a quibus ſalus & ruina univerſalis Eccleſiæ non pendet, uti nulla eſt uſpiam a Chriſto promiſſa ſecuritas erroris in exercitio Eccle-

Eccleſiaſticæ jurisdictionis; ita porro examinandum ſupereſt, *quæ ſint genuinæ regulæ exercendæ jurisdictionis Eccleſiaſticæ, tum inferioris, tum ſupremæ, ſeu vi legis ipſius naturalis*, omnis moralis poteſtatis & jurisdictionis ordinatæ legitimum exercitium dirigentis, *ſeu vi juris poſitivi divini & inſtitutionis a Chriſto ſpeciatim circa hanc poteſtatem exercendam præſcriptæ.*

CAPUT VI.

DE REGULIS GENERALIBUS ET SPECIALIBUS IN REGIMINE ECCLESIASTICO CHRISTIANO OBSERVANDIS.

160.

Quoniam regimen Eccleſiaſticum a Chriſto ipſo divinitus lege poſitiva inſtitutum, ſine dubio notionem regiminis in genere, & exercitii poteſtatis legislatricis in genere, ceu certa iſtius ſpecies, involvit: idcirco *evidens eſt, in ejus exercitio, ut cum morali rectitudine fiat, obſervari neceſſario debere tum regulas omni regimini & exercitio poteſtatis legislatricis communes, tum proprias & a Chriſto in hujus poteſtatis uſu ſpeciatim eo fine præſcriptas.*

161.

I. *Itaque poteſtas Eccleſiaſtica nunquam alio fine exerceri debet niſi ob bonum commune Chriſtianorum, non ad vitæ præſentis & temporaneæ, ſed ad futuræ & æternæ beatitatem pertinens* (107. 109.). Finis enim determinat omnes regulas circa uſum mediorum. Atqui omnis illa poteſtas ceu medium iſtius unius finis ultimi cauſſa a Chriſto inſtituta eſt (107. II).

II. *Poteſtas Eccleſiaſtica nunquam cum morali rectitudine exerceri poteſt ad deſtruendum; ſed ad ædifi-*

 cun-

candum ſolummodo, id eſt, nunquam ad detrimentum, ſed ad incrementum ſolummodo ſalutis communis fidelium.

III. *Unde non niſi neceſſaria & utilia communi ſaluti præcipere, & noxia vetare, legibus ſuis poteſt.*

IV. *Non poteſt graviore obligatione obligare legibus ſuis etiam ad ea, quæ communi ſaluti fidelium neceſſaria, vel utilia ſunt; vel ad vitanda, quæ eidem nocent; quam quanta neceſſaria eſt ad illa conſequenda, & impedienda iſta, ſpectata tum gravitate rei de qua agitur, tum diſpoſitione ſecunda vel adverſa ſubditorum fidelium ad obtemperandum juſtæ legislatoris voluntati.*

* Oſtendi Leges iſtas generales de omni exercitio poteſtatis legislatricis in genere vi legis naturalis valere in Ethica Univ. Chriſt. a §. 348. uſque ad §. 355.

162.

Regulæ §. præc: præfixæ obſervari ex æquo debent, cum poteſtas legislatrix Eccleſiaſtica, ſeu inferior, ſeu ſuprema, in ſolos Chriſtianos ſubditos & nulla parte regiminis inſtructos exercetur; atque cum poteſtas ſuprema a ſupremo Chriſti Vicario exercetur in rectores Eccleſiæ ipſos inferiores ſeu in determinanda, ſeu in promovenda, ſeu in reprimenda efficacia poteſtatis illorum ſibi ſubordinatæ.

163.

Regulæ ſpeciatim rectoribus Eccleſiæ univerſim præſcriptæ extant præcipue duæ; RRIMA PRO SUPREMO CHRISTI VICARIO ab ipſo Chriſto Domino præſcripta Luc. XXII.: ubi cum contentio eſſet orta inter Apoſtolos (præjudiciis de regno temporali Judaico per Meſſiam reſtituendo adhuc præventos) quis eorum videretur eſſe major reſpectu reliquorum;

rum; Chriſtus gravi voce reſpondit: *reges gentium dominantur eorum* (videlicet, qui eis ſubditi ſunt): *vos autem non ſic: ſed qui major eſt inter vos, fiat ſicut minor.* ALTERA EST PRO OMNIBUS ETIAM INFERIORIBUS RECTORIBUS ECCLESIÆ quibuscunque a S. Petro I. Ep. Cap. V. præſcripta: *paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.*

Jam ut ſenſum hujus utriusque regulæ, divina plane ſapientia & pietate ſupremi Paſtoris conſtitutæ, apertiſſime introſpiciamus, alia re opus haud eſt, quam ut notiones generales *poteſtatis moralis*, & *juris*, item *poteſtatis legislatricis* & *dominii deſpotici*, ſupra (1. 24 38.) traditas, & extra omnem controverſiam poſitas, obſervatis probe earum diſcriminibus attenta mente inſpiciamus. Chriſtus Dominus prædicto loco (Luc. XXII.) aperte *majorem* aliquem futurum inter ipſos Apoſtolos declarat, a ſe ipſo haud dubie conſtituendum, ſed non in regno temporali, ſed ſpirituali, etiam ſupra Apoſtolos regnaturum cum *poteſtate morali.* Attamen *primo* DOMINATUM graviſſimis verbis exercere prohibet, quicunque ſupremam illam a ſe poteſtatem acceperit; qualis nempe a regibus gentilium tunc temporis regnantibus paſſim exercebatur: quem tamen ipſe ab omnibus ſuis miniſtris longe abeſſe vellet. Atque idcirco, antequam S. Petro ſupremam ſuæ Eccleſiæ, ceu ovilis, adminiſtrationem reipſa tribueret, majorem quoque præ ceteris omnibus miniſtris dilectionem erga ſe ab eo requiſivit, ceu conditionem neceſſariam, ut Chriſtianos univerſos, ceu ſubditos ſanguine ſuo acquiſitos, ea caritate regeret, qua ipſe ſupremus Princeps & Rex omnium in eos exarſerat. Jam vero quodnam denique diſcrimen inter *dominatum* & *poteſta-*

teſtatem legislatricem etiam *ſupremam* intereſt? Hoc ſolum: poteſtas omnis moralis non arbitrium liberum agendi habet; quod ſoli juri ac dominio proprio convenit (1. 3.): ſed ſolum importat facultatem liberam quidem ſimpliciter, ſed obligatam tamen, agendi & diſponendi id ſolum, quod diſponi poteſt ſalva *morali rectitudine*, id eſt, ſervatis regulis & rationibus ſufficientibus, quæ lege naturæ in omni exercitio legislatrice moraliter recto obſervari debent. Quodſi ſola morali poteſtate inſtructus liberum ſibi diſponendi arbitrium in ſubditorum libertatem arroget, fine ſocietatis non præ oculis habito, nec ex rationibus ſufficientibus, quas rectum ſapientiæ conſilium dictet, ſed pro ſuo privato commodo vel arbitratu leges ferat: is ſane *dominium deſpoticum* exercet, more Imperatorum gentilium Chriſti ætate imperantium. Porro *ſecundo* inſuper Chriſtus voluit, ut, qui MAJOR futurus eſſet inter Apoſtolos, FIAT SICUT MINOR: quod aliter profecto intelligi nequit; quam ut, qui ſuprema in Eccleſia poteſtate ſupra ceteros rectores fulgebit, ſe gerat inſtar ſubditi, non quidem leges proprie tales ab his recipiendo (quod repugnat), ſed tamen conſilium auſcultando, eis obſecundando in rebus juſtis, etiam, ſiquando erret, correctionem reverentem ab eis cum animi modeſtia recipiendo &c. &c.

Quod vero regulam a S. Petro præſcriptam attinet: illa verborum tenore obvio commendat omnibus rectoribus Eccleſiarum 1'.) *ſtudium ſalutis animarum*, non ex timore pœnæ, ſed ad exemplum Dei *ex interiore dilectionis motu ſuſcipiendum, non quærendo ex officii ſacri functione lucrum temporale:* 2'.) hortatur, *ne alto ſupercilio majeſtatem affectent, nec ſeveritate immodica pœnarum legum executionem; ſed potius proprii exempli virtute fideles ad earum obſervantiam invitent.*

164.

164.

I. *Qui Primatu in Chriſti Eccleſia fungitur, is in cauſſis univerſalibus, cum totius Eccleſiæ ſalute vel ruina connexis, ſupremæ poteſtatis ſuæ virtute poteſt omnia, quæ vi circumſtantiarum individuarum ſunt neceſſaria ad promtum remedium periclitanti communi ſaluti animarum afferendum.* Talem enim poteſtatem tum dare capiti ſupremo Eccleſiæ ſuæ decebat infinitam ſapientiam & bonitatem Dei Hominis Jeſu Chriſti, Eccleſiam ſuam inſtituentis unice ſalutis animorum ceu finis ultimi cauſſa (129. 107.); tum actu dediſſe conſtat ex verbis generalibus, quibus lex fundamentalis ab ipſomet concepta eſt Matth. XVI.: *tibi dabo claves regni cælorum: quidquid ligaveris &c. quidquid ſolveris &c.*, recto uſu clavium, id eſt, fini ultimo conformi.

II. *In aliis vero cauſſis particularibus, cum nullo publicæ ſalutis periculo connexis, & nulla neceſſitate ſupremæ poteſtatis energiam ac ſeveritatem exigente, per ſe loquendo non decet Primatem Eccleſiæ vel ſolius Principatus oſtentandi, vel etiam temporalis lucri cauſſa, exercitio ſupremæ ſuæ auctoritatis immediato diminuere poteſtatem jurisdictionis inferiorum Eccleſiæ rectorum; quamdiu iſti eadem legitime & conformiter fini ultimo inſtitutionis ejusdem utuntur.* Secus enim vel dominabitur, vel forma ipſe non erit exemplo ſuo ceteris Eccleſiæ rectoribus in ſtudio paſcendi gregem ſine avaritia.

III. *In cauſſis & quæſtionibus cum ſalute, vel ruina communi non connexis, & in quibus legis obligatione definiendis falli humanæ prudentiæ judicio etiam ipſe Primas Eccleſiæ poteſt; non debet ſuæ unius prudentiæ confidere, nec privativa ſua auctoritate toti Eccleſiæ, aut etiam particularibus Eccleſiis, obtrudere leges, præſertim invitis rectoribus ſubordinatis; maxime ſi iſti vel reſpectu ſuarum Eccleſiarum in particulari,*

vel

vel omnino reſpectu totius Eccleſiæ, judicent id genus leges eſſe minus utiles, aut etiam noxias. Non enim veræ ſapientiæ conſilio, ſed arbitratu ſuo nimium ſic conſideret proprio judicio, ac proin non poteſtate morali, ſed dominandi quodam pruritu, vel pravo affectu, moveretur ad utendum ſuprema ſua poteſtate. Quid quod utiles id genus leges eſſe vix poſſint, invitis Epiſcopis latæ.

IV. *Unde in omni quæſtione, in qua erroris expers non eſt, oportet illum lubenter audire conſilium ſubordinatorum ſibi Eccleſiæ rectorum, nec quidquam contra communem eorum ſententiam ſuprema lege conſtituere in rebus, quæ ſalva communi ſalute variam œconomiam admittunt.* Tametſi enim utile per ſe eſſe poſſet, quod tali lege conſtitueret; tamen utile non erit id invitis ceteris Eccleſiæ rectoribus ſuprema lege conſtitui, atque ita ſuaviſſimum Chriſti jugum dominationis oſtentatione in invidiam adducere. Potius in tali caſu locum habebit regula Chriſti: *qui major eſt veſtrum; fiat ſicut minor.*

V. *Communis conſenſus rectorum inferiorum, repugnantium alicui exercitio ſupremæ poteſtatis in materia per ſe ſine detrimento Eccleſiæ varietatem capiente, non quidem eſt lex ſupremo Eccleſiæ Primati ab inferioribus, & ſibi ſubditis rectoribus impoſita;* quod repugnat: *eſt tamen conditio quædam, pro cujus exiſtentiæ hypotheſi Chriſtus Dominus non dedit ſupremo ſuo Vicario moralem poteſtatem imperandi:* quia potius prohibuit dominatum, & juſſit majorem fieri ſicut minorem.

* Hæc regula facillime declarabit, quo ſenſu verum ſit, *Romanum Pontificem ſubjici SS. Canonibus generalium Conciliorum;* quod aliud non eſt videlicet, niſi illum non legitima poteſtate, ſed dominationis quadam ſpecie uſurum, ſi abſque neceſſitate, & Epiſcopis reſpectu ſuarum Eccle-

Eccleſiarum invitis, vellet aliquid illis SS. Canonibus contrarium ſuprema auctoritate conſtituere.

VI. *Primas Eccleſiæ, ſicubi imprudentia quadam in rebus adminiſtrationis variabilis Eccleſiaſticæ, vel ex ignorantia certorum factorum humanorum, erraverit, ſeu vitæ exemplo idcirco non optimo exhibito, ſeu lege conſtituta, ſi id cum Eccleſiarum detrimento aperte conjunctum eſſe ceteri inferiores rectores Eccleſiæ, communiter, aut ſingillatim, intelligant: iſti nec tenentur legem ab illo accipere, & vi officii tenentur, cum reverentia quidem, ſed & decente cum conſtantia animi, illum erroris admonere.* Quoniam enim nullus Eccleſiæ rector a Chriſto poteſtatem ad deſtruendam, ſed unice ad ædificandam Eccleſiam accepit: lege obligare nec Primas ad aliquid noxium poteſt. Tum vero quia rectoribus ceteris immediata cura & proviſio ſalutis ovium ſuarum incumbit, a Chriſto ipſo impoſita; hoc ipſo vi officii tenentur juſta animi conſtantia ab his removere omne exemplum noxium, a quocunque datum, & omne damnum a quocunque non legitima poteſtate illatum. Denique id ipſum fraternæ caritatis officium exigit.

** Exemplum iſtius regulæ ſane obſervatione dignum ac ſolenne in ipſis SS. Scripturis de SS. Petro & Paulo habemus; cum iſte illi in œconomia publici vitæ exempli erranti, ob detrimentum inde in Antiochenſem Eccleſiam redundans, memorabili libertate & conſtantia *in faciem reſtitit; quia reprehenſibilis erat* (ad Galat. II. 11.) ejusque admonitioni S. Petrus cum omni modeſtia, & ſine ullo altioris auctoritatis obtentu, continuo ceſſit.

VII. *Quodſi tamen in re variabilis œconomiæ inferiorum rectorum aliquis juſtæ Primatis voluntati cum detrimento ſeu propriæ, ſeu alterius Eccleſiæ repugnaret; non continuo ſolius ſupremæ auctoritatis pondere ac ſevera lege cogendus, ſed concilio communi habito, ceterorum rectorum, qui proximam cauſſæ notitiam habere*

bere cenſentur, conſentiente judicio & communi auctoritate ſuaviter primo inducendus in cognitionem erroris eſt, ac tum primum, ſi communi ſententiæ pertinax obluctetur, habita majore boni communis quam unius auctoritatis ratione legum ſeveritate urgendus.

VIII. *In omni controverſia de jure proprio poteſtatis Eccleſiaſticæ inter ipſos inferiores rectores exorta judicium decretorium & ultimum ad Primatem pertinet; 2.) eo tamen modo in cauſſis particularibus exercendum, ut juſtæ voluntati conſentientium de certo modo ab ipſomet in talibus judiciis obſervando non repugnet. Primum* exinde patet; quia rectores inferiores vi inſtitutionis divinæ & pares ſunt inter ſe, & ſoli Primati ſubjecti & ſubordinati. Igitur vi juris divini, niſi conventio humana intervenerit, a ſe invicem judicari non poterint. Sed nec ſola conventione aliqua humana ſubtrahi judicio Primatis poterint, cujus jurisdictioni ſuperiori quoad omnem propriam jurisdictionem ſubjecti a Chriſto fuere. *Alterum* vero ex reg. V. jam ſuperius ſtabilita per ſe conſequitur.

IX. *Si rector aliquis inferior erret in re non variabili, in qua infallibile judicium Primati cum aliqua parte ceterorum Eccleſiæ rectorum conjuncto competit, errore in publicum detrimentum cedente: Primatis eſt, non ſolum cauſſam judicio ſuo decidere, ſed etiam profiteri, ſe in iſta cauſſa uti infallibili auctoritate, atque eandem rem ad res ſalva divina lege & inſtitutione Chriſti non variabiles, id eſt, ad fidem, vel jus divinum, pertinere.* Secus enim ſi faciat; poterit rector inferior, maxime ſi & ipſe aliquem numerum aliorum parium rectorum ſibi conjunctum & participem ejusdem erroris habeat, alio errore præveniri, ut exiſtimet, rem controverſam ad variabilem ſolum Eccleſiarum diſciplinam pertinere, nec Primatis judicium erroris in tali cauſſa expers eſſe; nec proinde

inde in diſſenſu plurium ſui ſimilium obligari ſeſe, ut obediat.

165.

I. *Habemus ergo in Eccleſia vera Chriſti, ceu in Societate inæquali, ac tali in perpetuum duratura, regimen omnimodis definitum Lege fundamentali, quæ Matth. XVI.* 16. *refertur, & ab ipſo Chriſto Domino Luc. XXII.* (163.) *temperatur, & explicatur convenienter naturæ legibus; ſecundum quas omnis poteſtas legislatrix non niſi ex rationibus ſufficientibus, conformiter ſuo fini, & cum ſapientia, ſanctitate, bonitate, & juſtitia exerceri debet.* Vide §. 161. & in Ethic. Chriſt. univ. §. 353.

II. *Stabiliti divinitus hujus regiminis virtute in Eccleſia Chriſti proſtat Judex ſupremus viſibilis, idemque falli neſcius in omnibus cauſſis univerſalibus cum ſalute communi vel ruina proxime connexis; cujus oraculo & authentica declaratione ad formam legis fundamentalis exacta omnes id genus cauſſæ finiri facile poſſunt.*

III. *Hæc poteſtas ſuprema Eccleſiaſtica, infallibili judicio privativo ſe ipſam authentice explicare, & quo uſque ſe extendat, declarare poteſt.* Pertinet enim haud dubie ad univerſæ Eccleſiæ ſalutem, ut conſtet revera, poteſtatis illius quanta ſit vi divinæ inſtitutionis extenſio, ac proinde quando & in qua materia obligentur univerſi fideles ejusdem legibus, ceu veris, obedire. Ergo (per II.) in hoc ipſo dubio de extenſione vera ſupremæ poteſtatis Eccleſiaſticæ judicium eidem competit falli neſcium.

* Atque hæ demum ſunt regulæ illæ, quas citra omne dubium arbitror ſufficere ad omnes limites totius poteſtatis ſacræ & Eccleſiaſticæ definiendos, tum inter Primatem & Epiſcopos ſeu rectores inferiores Eccleſiæ, tum inter Principes quoscunque ſacros & Politicos: id quod

praxi ipſa in decurſu commodiſſime ſine ullius præjudicio oſtendam.

CAPUT VII.

DE INÆQUALITATE AC DIVERSITATE ORDINIS SACRI A CHRISTO DIVINITUS IN ECCLESIA SUA INSTITUTA.

ARTICULUS I.

DE INÆQUALITATE ORDINIS SACRI A CHRISTO IN ECCLESIA SUA INSTITUTA.

166.

Sacramentum appello omne ſignum externum, ſeu ſenſibile, ex inſtitutione aliqua ſufficiente aptum ad internam hominis ſanctitatem ſtatui ſuo præſenti convenientem promovendam.

* Nihil in definitione obſcurum eſſe poteſt iis, qui notiones metaphyſicas *ſigni ad placitum*, & *ſanctitatis*, ex Ontologia & Theologia naturali perſpectas habent. Eſt nimirum *ſanctitas* conſtans moralis rectitudo actionum; quæ rectitudo moralis vel talis ſolum eſſe poteſt, ut ſufficiat ad meritum ſaltem congruum; vel talis, ut etiam rationem meriti de condigno adæquet reſpectu præmii beatitudinis æternæ; ad quam de condigno promerendam deſtinati in ſtatu morali Chriſtiano præſente ſumus (Ethic. Univ. Chriſt. §§. 665. II. 667. 669. 670. II.). Jam vero rectitudo moralis actionum ſufficiens ad meritum de condigno ſupponit in perſona agente humana dignitatem amici Dei (l. cit. §. 666.). Quæcunque ergo ſigna externa vi alicujus inſtitutionis ſufficientis aptitudinem habent ad promovendam ſeu dignitatem phyſicam perſonæ hominis Chriſtiani propriam, id eſt, amicitiam Dei, ſeu ad promovendas ipſas actiones rectas morales ab eo ſtatui ſuo morali præſenti conformiter per-

peragendas, ſive in præſens, ſive in futurum, recte *Sacramenta* dicentur.

** Qui doctrina definitionum nominalium ex Logica rite imbutus eſt; intelliget, quam ſine ratione olim Proteſtantium Theologi objecerint Catholicis Doctoribus, nomen *Sacramenti* ab Eccleſia latina poſteriore tempore introductum fuiſſe; cum in Scripturis id reperiri (falſo quidem) negarent.

167.

Inſtituere Sacramenta eſt ex poteſtate morali propria, vel delegata, conferre ſignis externis aptitudinem ad promovendam internam hominis ſanctitatem, ſtatui ſuo morali convenientem. Unde *evidens eſt, Chriſtum Dominum inſtituiſſe pro Eccleſia ſua aliqua vera Sacramenta.* Lege enim 1'.) præſcripſit *baptiſmum*, id eſt, ablutionem aqua faciendam, in ſignum, quod applicato eo ſigno homo jam ſecundum carnem natus renaſcatur in ſpiritu, & aptus fiat, ut ingrediatur in regnum cœlorum; id eſt, mundetur a macula originalis peccati, & fiat idoneus fini ſuo ultimo, videlicet beatitudini per meritum condignum promerendæ (103. n. 3.). Jam vero ſive hoc ſignum baptiſmi propria aliqua virtute efficiat in homine baptizato dignitatem filii Dei; ut docent Catholici; ſive ſolummodo vi ſua ſignificativa excitet fidem in baptizato, qua poſita fiat amicus Dei &c. &c.; quod volunt Proteſtantes noſtri: ſemper erit aptum ad promovendam ſanctitatem ſtatui Chriſtiano propriam (præc. not. 1.); ac proinde habebit rationem veri Sacramenti (præc.). Itaque baptiſmus a Chriſto inſtitutus, ſive ſecundum dogma Catholicum, ſive ſecundum opinionem Proteſtantium acceptus, verum Sacramentum eſt. 2'.) Inſtituit *SS. Euchariſtiam*, ceu ſignum præſentiæ ſui totius cum corpore, anima, & divinitate, eo fine, ut conſervetur in nobis vita gratiæ, quam no-

bis in baptiſmo contulit (loc. cit. n. 4.). 3.) Conceſſit ſuis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus *poteſtatem remittendi peccata*; ac proinde ſignis externis, quibuscunque voluntatem iſtam remittendi peccata exprimerent, vim dedit vere ſignificandi iſtam remiſſionem, & reſtitutionem amicitiæ Dei &c.

* Abſtineo volens ab omni eo dogmate miſcendo de Sacramentis novæ legis, quo ad ſequentia demonſtranda non indigeo; demonſtraturus eadem ſtudioſe; ſi Deus vitam & vires dederit ad conſcribendum Tractatum Theologicum de Sacramentis. Hæc ipſa cauſſa eſt, quod de ceteris Sacramentis, ceu magis inter Proteſtantes controverſis, nihil omnino hic quidem memorem.

168.

Ordo ſacer in Eccleſia Chriſti eſt gradus ſtabilis poteſtatis, non omnibus Chriſtianis communis, fungendi miniſterio in Sacramentorum a Chriſto Domino inſtitutorum confectione.

* Nec in iſta definitione quidpiam obſcuri ineſt. *Gradus poteſtatis* non eſt niſi intenſio varia perfectionis ejusdem poteſtatis; ut ex Ontologia conſtat. *Miniſtri jurisdictionis* (ſeu poteſtatis moralis) *alienæ* notio data a me eſt §. 36. not.: ex qua facile formabitur notio *miniſtri alienæ phyſicæ poteſtatis* (1.), ex. gr. legati, qui poteſtatem ſcilicet *precariam* a Domino ſuo habet valide, ceu inſtrumentum morale a cauſſa principali motum, quid ejus nomine conficiendi (3.). Denique verba illa in definitione ordinis ſacri ſuperflua non ſunt, *non omnibus Chriſtianis communis*: quia inter eos, qui in eodem gradu conſiſtunt quoad rationem poteſtatis phyſicæ, ſeu cauſſalitatis, cujuscunque demum, ſub eadem ratione ordo eſſe non poteſt: ſiquidem omnis ordo eſt diſpoſitio quædam varia cauſſarum quoad locum, gradum, vel tempus &c.

169.

169.

Chriſtus Dominus ſolis Apoſtolis ipſe immediate dedit ſtabilem poteſtatem miniſterio ſuo fungendi in confeſſione Sacramentorum baptiſmi, Euchariſtiæ, & remiſſionis peccatorum, non item ceteris ſuis diſcipulis. Nam 1'.) ſupra toto §. 126. oſtenſum jam eſt directe, & indirecte (in nota 1.), ſolis Apoſtolis immediate a Chriſto conceſſam eſſe moralem poteſtatem miniſterialem remittendi peccata Joan. XX. 21. per illa verba: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos: quorum remiſeritis peccata &c.* Ergo inprimis poteſtas remiſſionis peccatorum, ſeu, ut vulgo vocamus, *Sacramenti pœnitentiæ* adminiſtrandi, ſolis Apoſtolis a Chriſto immediate conceſſa eſt, non item reliquis diſcipulis, nec omnibus Chriſtianis (167. n. 3.). 2.) *Baptiſmi adminiſtrandi officium ſtabile* Chriſtus Matth. XXVIII. 19. ſolis Apoſtolis immediate commiſit, dicens: *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Etenim Evangeliſta expreſſe Chriſtum loquentem *undecim diſcipulis* ibidem inducit, & Chriſtus ipſe jubens eos, ut *docerent ſervari omnia, quæcunque* illis *mandaſſet*, evidenter indicavit, ſe ad ſolos Apoſtolos dixiſſe, *euntes, docete, & baptizate.* Rurſus ſolos Apoſtolos ibi juſſit *docere;* atque idcirco docendi munus ut alii ſibi arrogarent, ab ipſis ad hoc non deſtinati, nequaquam permiſere Apoſtoli, & ipſi ſe non ab hominibus, ſed a Chriſto delectos magiſtros paſſim cum S. Paulo profeſſi ſunt (126. *Quod ad alterum:* n. 3.). Ergo etiam ſolos Apoſtolos ibi Chriſtus ipſe immediate juſſit baptizare. Pariter Marci ult. v. 14. aperte dicitur, ſolis undecim dixiſſe Chriſtum: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium &c. qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.* Denique cum Joan. III. & IV. leguntur diſcipuli Chriſti ejus nomine baptizaſſe; certum eſt per diſcipulos non intelligi niſi Apoſtolos, quos ſolos

los vivo S. Joanne Baptiſta ſibi in diſcipulos aſciverat. 3'.) *SS. Euchariſtiæ*, conficiendæ in ſuam commemorationem, pariter præceptum dedit ſolis Apoſtolis in cœna ultima præſentibus Luc XXII. 19. *hoc facite in meam commemorationem.*

4'.) S. Paulus 1. Corinth. IV. 1. aperte ſe & Apoſtolos ceteros ſolos profitetur eſſe miniſtros Chriſti in diſpenſatione Sacramentorum ab eo inſtitutorum, dicens: *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & tanquam diſpenſatores myſteriorum Dei.*

5.) Idem S. Paulus in cit. 1. Corinth. XII. 4. aperte profitetur, in Eccleſia Chriſti eſſe *diviſiones gratiarum, & miniſteriorum, & virtutum; eumdem* vero *ſpiritum, Dominum,* ac *Deum; qui operetur omnia in omnibus, & dividat ſingulis, prout vult.* Præterea (v. 12.) ait, Eccleſiam a Chriſto eſſe inſtitutam per modum *unius corporis* (*moralis* ſcilicet, id eſt, ſocietatis, nexu communis obligationis ſocialis coagmentato in unum) *in quo multa ſint membra*, & ſicut in corpore humano *auris non eſt oculus*, & *pes non eſt manus, nec totum corpus eſt oculus, nec totum auditus*, ſic, ut nec corpus exiſteret, *ſi omnia eſſent unum membrum* (v. 19.): ita & in corpore Eccleſiæ omnes quidem Chriſtianos eſſe *membra* (v. 27.), ſed non eadem, nec ejusdemque virtutis & facultatis; ſed *quosdam* ſolum eſſe poſitos a Deo *Apoſtolos;* quosdam Prophetas &c.: v. 29 *nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes?* Poſtquam vero gratias iſtas mere gratis datas, id eſt, ad utilitatem ſalutis alienæ promovendæ concedi ſolitas (v. 7. *unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, communem nempe Eccleſiæ), dividi inter varios dixerat toto illo capite; ac monuerat, non eſſe, cur quis conqueretur, quod ſibi non iſtæ potius præ aliis nobilioribus ſingillatim conceſſæ ſint (v. 15.

ſeqq.

ſeqq.); denique v. 31. concludit hortando, ut *æmulemur chariſmata meliora, & viam excellentiorem ſe nobis demonſtraturum* ſpondens, mox toto ſequente capite commendat *caritatem;* ceu quæ omnibus neceſſaria ſit ad ſalutem ita, ut ſine illa cetera dona omnia non ſufficiant, & nihil proſint. Evidens ergo eſt, virtutem ſeu facultatem phyſicam & moralem adminiſtrandi Sacramenta baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, idcirco non eſſe a Chriſto conceſſam omnibus Chriſtianis, eo quod immediate a Chriſto Apoſtolis conceſſa fuerit: cum apertum ſit, etiam illam ad dona gratis data pertinere, id eſt, ad ea, quæ ad communem aliorum ſanctitatem ac ſalutem* promovendam ceu primario ex fine conferuntur.

* *Lutherus & Calvinus* everſuri totam ordinis ſacri in Eccleſia Hierarchiam, Sacramentorum virtutem inprimis omnem reduxere ad rationem ſigni mere ſpeculativi, quod, inſtar cauſſæ occaſionalis excitando ſui ideam, revocaret in mentem Chriſtiani memoriam divinarum promiſſionum; quibus excitaretur in eo fides ſeu fiducia de Chriſti meritis; qua ſola fide, ceu mera conditione, hæc illi cum effectu certæ ſalutis ſine propriis ſuis meritis applicentur. Cum ex iſtis per ſe evidens ſit, ſigna id genus externa, ex. gr. abluitionem aquæ, verba remiſſionis peccatorum, & quibus Euchariſtia conſecratur, eandem habitura vim ſigni ſpeculativi & prædictæ cauſſæ occaſionalis ad excitandam fidem, ſive a viro, ſive a femina, ſeu ab homine quocunque demum Chriſtiano, ponerentur, idcirco intulere, poteſtatem miniſtrandi Sacramenta omnibus perinde Chriſtianis a Chriſto fuiſſe conceſſam. Addebant vero, non idcirco decere, ut omnes etiam illa promiſcue utantur, ſed id illis ſolum morali poteſtate competere, qui vel a tota plebe cujusvis particularis Eccleſiæ, vel a Magiſtratu, aut ſummo Principe, ad exercitium iſtius muneris vocati fuerint, & conſtituti.

* * *At enim*, tametſi interim tranſmittamus hisce novæ ſectæ capitibus, non aliam ineſſe Sacramentis a Chriſto virtutem niſi mere ſpeculativam ſigni & cauſſæ occaſionalis; nihilominus minime ſequitur, vi inſtitutionis divinæ a Jeſu Chriſto factæ omnibus Chriſtianis ex æquo conceſſam eſſe poteſtatem ea ſigna inſtar miniſtrorum Dei lege rite inſtitutorum adminiſtrandi; modo populi aut magiſtratus voce & imperio vocentur ad ejus exercitium. *Nam inprimis* concedimus nos Catholici ipſimet de Sacramentis & Sacrificiis legis veteris, non aliam illis affuiſſe virtutem quam meri ſigni ſpeculativi & cauſſæ occaſionalis ad excitandam fidem in Meſſiam venturum: & tamen nemini niſi Sacerdoti ex familia Aaronis, divinitus ad hoc munus delecta, competebat jure divino poteſtas ſacerdotii obeundi: quin populi ſuffragiis, aut principis imperio, quivis ad id conſtitui poſſet. Unde Regi Oziæ myſteriis ſacris ſe ingerenti Sacerdotes conſtanter reſtitere II. Paral. XXVI. 18. dicentes: *non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domino; ſed Sacerdotum hoc eſt; - . - qui conſecrati ſunt ad hujusmodi miniſterium.* Atqui idem eſſe in lege Chriſti jus divinum in hac parte, quod in lege veteri erat, aperte aſſerit S. Paulus in Ep. ad Hebræos V. 4. dicens: *nec quisquam ſibi ſumit honorem, ſed qui* VOCATUR A DEO *tanquam Aaron*: ſicut *& Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu . . . Tu es Sacerdos in æternum.* *Deinde* S. Paulus in I. Corinth. XII. expreſſe teſtatur, ab ipſo Deo fieri diviſiones gratiarum *ſingulis*, perinde atque facultates diverſæ organicæ inter ſingula membra ita diviſæ ſunt in corpore humano: atqui non ſolum exercitium, ſed ipſæ facultates organicæ, non omnibus membris per ſe communes ſunt. *Denique* tametſi ponas, uti in veteri teſtamento ex tota familia Aaronis imperio regis inter plures fratres poterat unus præ alio eligi ad ſummum ſacerdotium, ita in lege nova poſſe ſupremi principis Eccleſiæ imperio ad munus adminiſtrationis Sacramentorum vocari quemlibet Chriſtianum: memineris tamen,

ipſos

ipſos ſupremos rectores. inferiores, & ſupremum immediate ab ipſo Chriſto (non voce populi, aut magiſtratus civilis) cum jure ſucceſſionis perpetuæ quoad poteſtatem moralem jurisdictionis, ceu ſuos ipſius miniſtros, & Vicarios conſtitutos eſſe ſolos Apoſtolos, & S. Petrum: quemadmodum §§. 126. 138. 141. omnimodis, ni fallor, demonſtravi, demonſtratione omni, quæ cadere in factum talis naturæ poſſit. Itaque ad hos, ceu veros & ſolos Principes Eccleſiæ Chriſti qua talis, pertinebit miniſtros ſacrorum degere, ſacris cerimoniis publicis officio publico functuros. Imo cum hi ipſi rectores Eccleſiæ, cum capite ſuo S. Petro vel iſtius ſucceſſore, Pontifice Romano, in rebus ad univerſalis Eccleſiæ Chriſti ſalutem pertinentibus conſenſu aliquo judicium publicum ferentes, ab omni erroris periculo immunes ſint; iſtorum inprimis conſentiente judicio præſens quæſtio decidi debuit. Atqui

6°.) *Rectores Eccleſiæ Chriſti conſentiente judicio cum ſuo ſupremo Capite, Romano Pontifice in Concilio Tridentino, ac proin judicio errori nulli obnoxio, publice definierunt, non omnibus Chriſtianis, ſed ſolis Apoſtolis, immediate a Chriſto collatam fuiſſe poteſtatem, uti docendi, ſic & adminiſtrandi Sacramenta ab ipſo inſtituta.* Seſſione enim VII. Can. 10. in genere definiunt: *ſiquis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis adminiſtrandi habere poteſtatem; anathema ſit.* Et in ſpecie de Sacramento Pœnitentiæ Seſſ. XIV. can. 10.: *ſi quis dixerit, non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis fidelibus eſſe dictum: quæcunque ligaveritis ſuper terram &c., quæcunque ſolveritis &c., quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; anathema ſit.* Atqui, *quis ſit miniſter Sacramentorum a Chriſto inſtitutorum jure divino*, profecto quæſtio eſt ad communem Eccleſiæ ſalutem & pacem Societatis chriſtianæ pertinens; quam niſi infallibili judicio definire ſupremi Eccleſiæ rectores poſſent, lites de

jure conſtituendi tales miniſtros nunquam finirentur cum ſummo haud dubie ipſius Eccleſiæ detrimento.

* Itaque etiam de collatione miniſterii hujus Sacramentalis perinde ſe aliquo pacto res habet, atque in collatione jurisdictionis Eccleſiaſticæ. Præſentatio perſonæ fieri a quocunque poteſt cum morum & habilitatis ad tale munus ſufficientis commendatione ac teſtimonio: ſed collatio ipſius miniſterii ſacri fieri non niſi ab iis poteſt, qui eadem poteſtate Sacramentali ſimul, & jurisdictione, propria, vel delegata inſtructi ipſimet ſunt (vide dicta §. 125. not. 4. n. 2.) id eſt, qui more Apoſtolorum, immediate, vel mediate, miſſi ab ipſo Chriſto ſunt, atque ita vicem *Miniſtrorum Chriſti*, uti Apoſtolus I. Corinth. IV. 1. loquitur, gerere revera poſſunt in functionibus Sacramentalibus ab eodem, ceu ſupremo Sacrorum Principe, inſtitutis.

* * Unde *nihil* plane huic dogmati *obſtat* 1.) quod aliquando omnes Chriſtiani in Scripturis novæ legis dicantur *Sacerdotes*, uti Apoc. V. 10. & XX. 6. item I. Petr. II. 5.; atque id ipſum aſſeri a non nullis Patribus. *Nam aliud eſt* in iis (etiam externis) functionibus, quæ nullam in ſua ſpecie inſtitutionem legis divinæ poſitivæ habent, ſed ſunt ſolius juris naturæ, uti in oratione pro ſe, & pro aliis privatim ad Deum fuſa, in oblatione ſui ad omnem voluntatem divinam exequendam &c., poſſe quemlibet hominem fungi aliqua ſpecie ſacerdotii minus proprie talis; eo quod jure naturæ originario nullum ſit diſcrimen, ſed mera æqualitas moralis omnium hominum; quæ æqualitas perdurat tamdiu, & in iis omnibus; quamdiu & in quibus nullo aut pacto voluntario humano, aut jure divino poſitivo, ſublata fuerit: *aliud vero* eſt in iis Sacramentis & cerimoniis ſacris, quæ inſtitutionem poſitivam divinam habent; quæ inſtitutio divina ſi rationem perſonarum, aut modum conferendi iſtis poteſtatem miniſtrandi, ſibique mutuo in iſto miniſterio ſuccedendi, determinavit; nihil profecto in his diſponi aut muta-

mutari arbitrio mere humano ab iis univerſe poteſt, qui inſtitutione divina nullam ad hoc accepere poteſtatem. Nemo enim ab alio miniſter inſtitui quam a principe ſuo poteſt; cujus miniſter eſt; vel certe niſi a quodam ejusdem principis miniſtro, cui inſtituendi poteſtatem princeps dedit. Exiſtimo principium hoc tam eſſe manifeſtum, ut nihil plane eidem opponere poſſint Proteſtantes; qui vulgo poteſtatem vocandi ad Sacramentale miniſterium, & conſtituendi miniſtros, ſeu toti populo, ſeu principibus, attribuunt. *Concedam* illis, hoc fieri etiam nunc ſalvo jure divino poſſe in iis, quæ nec inſtitutionem divinam poſitivam, nec Eccleſiaſticam ſpecialem habent (uti tamen habent ceremoniæ quævis Sacramentales alterutràm ex illis) atque ex hoc ipſo principio inferius repetam varia jura principum politicorum etiam Chriſtianorum: *aſt* in iis, quæ vel lege & inſtitutione Chriſti non niſi certis perſonis, certa præſcripta lege & ritu ad hoc munus miniſtrorum Chriſti vocatis, & ordinatis, competunt, vel etiam quæ poteſtate Eccleſiaſtica (quam ipſam Chriſtus inſtituit) inſtituta ſunt, atque itidem certis perſonis, ceu ipſius *Eccleſiæ univerſalis Miniſtris* reſervata, nulla diſponendi, vel immutandi quidpiam, aut deputandi miniſtros facultas cuiquam competit exceptis ſolis Eccleſiæ rectoribus a Chriſto inſtitutis. Atque iſtud patet etiam ex veteri lege; in qua Exod. XIX. 6. de tota gente Judaica dicitur: *vos eritis mihi in regnum ſacerdotale:* nihilominus una ſolum tribus cerimoniis ſacris a Deo lege poſitiva inſtitutis fungi poterat.

* * * *Neque obſtat* 2°.) quod in caſu neceſſitatis baptizare quilibet homo, &, ſi vir non adſit, femina quoque, valide & licite poſſit. *Nam* ex hoc non ſequitur, *ſtabilem* ac perdurantem poteſtatem *miniſterialem* eſſe omnibus conceſſam; etſi propter commune bonum & ſalutem parvulorum omnibus poteſtas ſtabilis *valide* (ſed *illicite* tamen) in hoc miniſterium etiam ſine commiſſione Dei ſe ingerendi & etiam extra neceſſitatis caſum baptizandi conceſſa

ceſſa fuerit: eo quod ſecus difficillima dubia de exiſtentia veræ neceſſitatis & iterationes abſurdæ baptiſmi frequentiſſime orirentur. In quo ipſo ſapientiæ divinæ conſilium in inſtituenda tota Sacramentorum adminiſtratione aperiſſime relucet. Interim, quod valeat baptiſmus etiam extra neceſſitatem, illicite etiam a femina, etiam ab homine infideli; collatus; profecto nemo mihi ex Scripturis probaverit: ſed ſola Eccleſiæ traditione & judicio legitimo id conſtat; quod in declarando valore medii, ad cujusvis (parvuli inprimis) ſalutem per ſe neceſſarii, errori obnoxium eſſe non poteſt.

170.

Chriſtus Dominus in Eccleſia ſua ordinem ſacrum conſtituit omnibus & ſolis Apoſtolis communem, cum poteſtate eundem ad alios ſucceſſores transmittendi; ac proinde datur in Eccleſia Chriſti diverſitas ordinis ſacri inter membra veræ Eccleſiæ, eaque eſt divinitus inſtituta. Solis enim Apoſtolis ipſe immediate dedit poteſtatem ſtabilem ſibi miniſtrandi in confectione Sacramentorum a ſe inſtitutorum, nempe Baptiſmi, Euchariſtiæ, & remiſſionis peccatorum (168. 169.), eandemque poteſtatem transmittendi cum perpetua ſucceſſione ad alios ab eisdem conſtitutos miniſtros, *tum* quando *baptizare* & docere juſſit omnes homines, & in eo munere adminiſtrando ſe eis adſuturum promiſit *uſque ad ſeculi conſummationem* Matth. ult. v. ult.; tum quando Luc. XXII. 19. poſt. conſecrationem Euchariſtiæ dicens, *hoc facite in meam commemorationem*, ſatis indicavit, ſe in eadem inſtituere mnemoſynon ſui amoris perpetuum, ac proinde hoc ipſo velle ab Apoſtolis in ſucceſſores perpetuos transmitti omnem poteſtatem ejus conficiendæ, quam ipſe illis immediate dabat: *tum* denique cum Joan. XX. 21. dicens, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. . . . Quorum remiſeritis &c.*

rurſus

rurſus aperte innuebat: ſicut ipſe a Patre miſſus eſſet non ſolum cum poteſtate remittendi peccata per ſe ipſum, ſed etiam mittendi ipſos ut ſuos miniſtros in exercenda eadem poteſtate; ita ſe ipſos mittere non ſolum cum poteſtate remittendi peccata, ſed etiam cum plena poteſtate tranſmittendi hanc poteſtatem omnem a ſe acceptam in alios. Ergo *ſolis Apoſtolis* & eorum ſucceſſoribus communem ſacrum ordinem Chriſtus inſtituit, ab eis ad alios ſucceſſores transmittendum: *quod erat primum.* Porro circa tria hæc Sacramenta adminiſtranda immediate nihil cuiquam ex Apoſtolis proprium nec cum ceteris commune dedit in *qualitate* poteſtatis; ſiquidem citatis locis ad omnes perinde locutus eſt: etſi poteſtatem jurisdictionis, quam ſimul cum poteſtate Sacramenti remiſſionis peccatorum dederat Joan. XXI. 21., Petro ſubordinarit; cum claves totius regni cœlorum & poteſtatem ſupremam ligandi & ſolvendi, Matth. XVI. 19. promiſſam, eidem reipſa contulit (142.). Ergo *omnibus Apoſtolis* communem ſacrum ordinem Chriſtus inſtituit; *quod alterum.*

* Nullum equidem veſtigium in Evangeliis invenio ſeu jurisdictionis, ſeu ordinis ſimilis cum Apoſtolis a Chriſto collati illis *ſeptuaginta duobus diſcipulis;* quos Chriſtus Luc. X. *miſit ante faciem ſuam in omnem locum & civitatem, quo erat ipſe venturus*, præciſe cum mandato (v. 9.), ut *curarent infirmos, & annuntiarent* civibus, *qui eos ſuſcepiſſent: appropinquaſſe in illos regnum Dei:* quin aliam eis poteſtatem concedat, quam comminandi pœnam divinam ſigno excuſſi pulveris pedum iis, qui ipſos non ſuſcepiſſent. Atqui ex his nec jurisdictionis nec ordinis ſacri poteſtas aliqua relucet.

ARTICULUS II.

DE DISCRIMINE ORDINIS EPISCOPALIS, SACERDOTALIS, AC MINISTRORUM, ET DE CUJUSQUE ORIGINE, IN ECCLESIA CHRISTI.

171.

Episcopus ab ἐπι *ſuper &* σκοπεω *intendo*, videlicet ad ſcopum per media propria conſequendum, græce idem eſt reſpectu cujusque ſocietatis atque ſuperintendens, aut inſpector; qui curam eo intendit, ut finis ſocietatis per membra ejus, & quæcunque ſocietati tali propria ſunt media, rite obtineatur. Unde Athenienſes teſte Suida Epiſcopos appellabant Magiſtratus e ſuis illos, quos quotannis mittebant ad ſuæ dictionis civitates: atque eodem pacto Præfecti ſeu *Principes* a Rege Antiocho provinciis regni præpoſiti in græco textu L. 1. Machab. cap. I. v. 53. ἐπίσκοποι vocantur: *ſcripſit* (Antiochus) *omni regno ſuo, & præpoſuit principes populo.* Inde uſus iſtius vocis in Eccleſia Chriſti increbuit pro ſummo inſpectore, qui gregi ſibi commiſſo ſuperintendit cum poteſtate illum regendi, & per media a Chriſto ſubminiſtrata, qui iſtius gregis ſupremus eſt dominus, dirigendi ad ſuum finem. Atque hoc ſenſu ipſe jam Apoſtolus ea voce utitur Act. XX. 28. dicens: *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.*

172.

Presbyter, πρεσβύτης, ſenem, πρεσβύτερος ſeniorem, ſignificat. In Scriptura veteris Teſtamenti & in Evangeliis nomen *presbyteri* fere pro magiſtratu plebis accipitur; quod ea præfectura plerumque deferri ſoleat viris ætate profectis. Sic Matth. XXI. 23. *acceſſerunt ad eum* (Jeſum) *docentem principes Sacerdotum & Seniores populi* (πρεσβύτεροι τᾶ λαᾶ). In

Actis vero & Epiſtolis Apoſtolorum poſt conſtitutam jam a Chriſto Eccleſiaſticam ſocietatem Chriſtianam Eccleſiæ iſtius præfectis tribuitur.

* Extra controverſiam ergo eſt, tam nomen *Epiſcopi* quam *Presbyteri*, in uſu Eccleſiæ ſemper deſignaſſe talem perſonam, quæ altiorem quamdam officii & curæ in regenda Eccleſia aliqua prærogativam tenebat. *Triplex* tamen *quæſtio* eſt: *prima*, an unum ex his, vel utrumque hoc nomen omnibus ex æquo Eccleſiarum curam communem tenentibus perſonis & ſub ſignificatu eodem tributum fuerit: *altera*, utrum revera diſcrimen aliquod ordinis ſacri, vel juriſdictionis, ſuperioris & inferioris, inde a temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Chriſti fuerit inter quaſdam Eccleſiaſtica prærogativa ornatas perſonas; ratione cujus aliis eo gradu ſuperioribus proprio & magis peculiari ſignificatu nomen *Epiſcopi*, aliis vero eodem gradu inferioribus nomen *Presbyteri* deinceps conſtanter adhæſerit: *tertia*, quæ iſtius diſcriminis origo; divina, an humana.

173.

Sensa Scriptorum veterum Ecclesiasticorum *ſuper his quæſtionibus.*

1.) S. Epiphanius, circa an. 373. florens, hæreſi 75. de Aërio Presbytero ſecta Ariano refert, quod repulſam ab Epiſcopatu paſſus, quem ambierat, ſe ulciſcendi cauſſa docuerit, nihil plane diſcriminis eſſe inter Epiſcopum & Presbyterum. '*Eſt enim amborum*, inquiebat is referente Epiphanio, *unus ordo, par & idem honor, ac dignitas. Manus imponit Epiſcopus; idem facit & Presbyter: baptizat Epiſcopus; idem facit & Presbyter: 'divinum omnem cultum adminiſtrat Epiſcopus; non minus id facit & Presbyter: Epiſcopus in throno ſedet; ſedet & Presbyter.* Hoc ille dogma *ſupra hominis captum furioſum & immane*, ait S. Epiphanius, *in vulgus jactans, pleroſque in errorem abduxit. Epiſcoporum ordo ad gignen-*

gignendos patres præcipue pertinet; hujus enim eſt patrum in Eccleſia propagatio. Alter (Presbyterorum) *cum patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magiſtros. Quinam fieri poſſit, ut is presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet.* Tum addit, Apoſtolorum ævo vix alios fuiſſe conſtitutos quam Epiſcopos & Diaconos, non ſimplices Presbyteros: *quia*, inquit, *neceſſitas Eccleſiæ eos non poſtulabat;* cum *magna multitudo* (populi chriſtiani) *non eſſet. Neque vero ulla res eſt, quæ ab initio ſuis omnibus numeris abſoluta fuerit: ſed procedente tempore ſua opportunitatibus omnibus ad perfectionem acceſſio contigit.* Unde recenſens argumenta erroris ab Aërio prætenſa a) ex Ep. ad Philipp. I. : ubi S. Paulus ſalutat *Epiſcopos & Diaconos,* nulla facta peculiari mentione Presbyterorum, in numero plurali Epiſcopos appellans; b) ex Act. XX. 17 : ubi idem Apoſtolus *a Mileto mittens Epheſum vocavit majores natu Eccleſiæ,* id eſt, Seniores ſeu Presbyteros, quos eosdem mox v. 28. appellavit *Epiſcopos a Spiritu Sancto poſitos regere Eccleſiam Dei:* ſic eisdem S. Epiphanius eodem loco reſpondet. *Non novit ille, qui conſequentiæ veritatis ignarus eſt, & hiſtorias profundiſſimas non legit* (nempe Aërius), *quod, cum recens eſſet prædicatio, S. Apoſtolus pro re nata, velut habebat, ſcripſit. Ubi enim Epiſcopi erant jam conſtituti, ſcripſit Epiſcopis & Diaconis: non enim omnia ſtatim potuerunt Epiſcopi conſtituere. Presbyteris enim opus erat & Diaconis: per hos enim duos Eccleſiaſtica compleri poſſunt. Ubi vero non inventus eſt quis dignus Epiſcopatu; permanſit locus ſine Epiſcopo. Ubi autem opus fuit, & digni erant Epiſcopatu, conſtituti ſunt Epiſcopi. Cum autem multitudo non eſſet; nec inventi ſunt inter ipſos, qui Presbyteri conſtituerentur; etiam contenti fuerunt ſolo Epiſcopo in loco conſtituto. Verum ſine Diacono im-*

impoſſibile eſt eſſe Epiſcopum; & curam adhibuit S. Apoſtolus, ut Diaconi adeſſent Epiſcopis propter miniſterium.

* Supponit ergo S Epiphanius, 1'.) *Epiſcopi nomen iis ſolum tribui in Scripturis, qui ceu ſupremi inſpectores Eccleſiis ſingulis præerant*, & qui demum, ſi copia idoneorum hominum ſuppeteret, ſub ſe Presbyteros & Diaconos aut ipſi conſtituebant, aut ſaltem conſtitutos ab Apoſtolis ſub ſe habebant: id quod etiam probat ex I. Timoth. V. 19. ubi Apoſtolus monet S. Timotheum Epiſcopum a ſe conſtitutum: *adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus teſtibus:* & jam prius v. 1. ibid. *Seniorem* (id eſt, Presbyterum) *ne objurgaveris.* Quid attinebat, *inquit S. Epiphanius*, Epiſcopo hæc vetare; ni majorem Presbytero poteſtatem haberet? 2'.) *Epiſcopis ſolis poteſtatem fuiſſe Patres, id eſt, Presbyteros, manuum impoſitione conſtituendi, non item Presbyteris:* 3') *S. Paulum ad Philipp. I. ideo ſalutare ſolos Epiſcopos & Diaconos;* quia ſub Metropoli Philippenſium plures erant Epiſcopi, omnes quidem jam Diaconis, ſed non item Presbyteris, ſub ſe miniſtrantibus inſtructi: 4'.) eundem *S. Paulum Act. XX. a Mileto miſiſſe Epheſum, & juſſiſſe congregari omnes Epiſcopos vicinarum civitatum;* id quod & S. Irenæus L. III. c. 14. refert ita factum eſſe dicens: *in Mileto convocatis Epiſcopis & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, & a reliquis proximis civitatibus.* Idem ſatis confirmat ipſe contextus loci Act. XX. 25.; ubi Apoſtolus ait ad illos præſentes Epiſcopos, & natu majores a ſe convocatos: *& nunc ecce ego ſcio, quia amplius faciem meam non videbitis vos omnes, per quos tranſivi prædicans verbum Dei.* Quibus verbis aperte innuit, non unius, ſed plurium locorum, per quæ tranſierat annuntiando Evangelium, Seniores & Epiſcopos collectos ſe coram habere, quos alloqueretur.

2'.) S. Chrysostomus circa an. 385. a) commentans in illud Epiſtolæ ad Titum I. 5. *hujus rei gra-*

gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Preſbyteros; ſic ait: *Hic Epiſcopos intelligi vult* (Apoſtolus): *nec enim profecto vult inſulam totam uni viro permitti; ſed unicuique propriam curam ac ſollicitudinem indici.* b) In Hom. I. in Epiſt. ad Philipp. cap. I. v. 1. commentans ad verba Apoſtoli ſolos *Epiſcopos & Diaconos* ſalutantis ſubdit: *quid hoc eſt? An unius civitatis multi erant Epiſcopi? Nequaquam: ſed Presbyteros iſto nomine appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque etiam ipſe Epiſcopus vocabatur Diaconus. Idcirco ad Timotheum ſcribens* (Paulus) *inquit: . . . gratia, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii.* Presbyteri enim Episcopum non ordinassent. *Et rurſus ad Titum ſcribens, hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros . . . . Siquis ſine crimine eſt &c. . . quæ quidem de Epiſcopis dicit: namque hæc cum dixiſſet, ſtatim addidit: oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe . . . . Antiquitus etiam Epiſcopi . . . vocabantur Presbyteri & Diaconi Chriſti. Quocirca hodie multi Epiſcopi ſcribunt ita: Compresbytero & Condiacono. Procedente vero tempore proprium cuique diſtributum eſt nomen, ut hic quidem Epiſcopus, ille vero Presbyter appellaretur.* c) In Ep. ad Titum Hom. II. ait: *inter Epiſcopum & Presbyterum intereſt ferme nihil; quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura commiſſa eſt, & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola ordinatione Epiſcopi ſuperiores ſunt; atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.*

* Supponit ergo S. Chryſoſtomus 1) *utrumque nomen* Episcopi *æque ac* Presbyteri tam in Scripturis, quam in primorum temporum Eccleſiæ uſu *perinde veris Epiſcopis atque meris Presbyteris fuiſſe commune, imo & nomen Diaconi.* 2.) Pro certo habet, *unius civitatis ſemper unum tantum fuiſſe Epiſcopum, Presbyteros vero ſubinde etiam plures:* quod patet ex textu b. 3.) Pro certo etiam habet, *Presbyteris*

byteris meris non competere poteſtatem ordinandi Epiſcopum vere talem ; qualis erat S. Timotheus a S. Paulo ordinatus. 4.) Affirmat, *Presbyteros non differre ab Epiſcopis ratione curæ & ſollicitudinis, ſed ſola ordinatione*; id eſt; quod & ab Epiſcopis ſolis Epiſcopi ordinari; & ipſi alios quoslibet, Presbyteros ſcilicet & Epiſcopos; ordinandi poteſtatem habeant.

3. S. Hieronymus circa an. 388. a) in Epiſt. ad Titum I. 5. ſic ſcribit: *idem ergo eſt Presbyter & Epiſcopus: & antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur, ego ſum Pauli, ego Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero quisque eos, quos baptizaverat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut ſchiſmatis ſemina tollerentur. : . Putet aliquis, non Scripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii. Relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba, dicentis*; Paulus . . omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus; gratia vobis & pax. *Philippi una eſt urbs Macedoniæ: &* CERTE IN UNA CIVITATE PLURES, UT NUNCUPANTUR, EPISCOPI ESSE NON POTERANT: *ſed quia eosdem Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant: propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris locutus eſt. Hoc ideo diximus, ut oſtenderemus, apud veteres eosdem fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos: paullatim vero, ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam.* b) Pergit ibidem porro continuo: *ſicut ergo Presbyteri ſciunt, ſe Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos: ita* EPISCOPI NOVERINT, SE MAGIS CONSUETUDINE, QUAM DOMINICÆ DISPOSITIONIS VERITATE PRESBYTERIS ESSE MAJORES, *& in commune debere Eccleſiam regere.*

gere, imitantes Moſen; qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, quibuscum populum judicaret. c) Idem in Epiſt. 85. ad Evangel. reprimens cujusdam hominis audaciam, Diaconos Presbyteris anteponentis, aſſerit ferme eadem, quæ in textus ſub litera (a) recitati initio affirmarat, & ſubdit modum, quo electio Epiſcopi fieri ſolebat: *Alexandriæ*, inquit, *a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocarunt, quem Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus imperatorem faciat; aut Diaconi eligunt de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocant.* d) Subdit denique in eadem Epiſtola 85. non eſſe aliud diſcrimen Epiſcopi & Presbyteri, niſi ratione ordinationis, dicens: *quid facit, excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Ibidem Epiſcoporum & Presbyterorum diverſitatem comparat Aaroni & ejus filiis dicens: *ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumtas de veteri teſtamento; quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Eccleſia.* e) In Dialogo adverſus Lucif., quem jam circa a. 378. Hieronymus ſcripſit, docet 1. *Eccleſiæ ſalutem in ſummi Sacerdotis dignitate pendere, cui ſi non exors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot erunt in Eccleſia ſchiſmata, quot Sacerdotes:* 2.) Ad ſolos Epiſcopos pertinere jus dandi Spiritum Sanctum baptizatis per manuum impoſitionem: 3.) Jus iſtud a Spiritu Sancto eſſe: *diſce*, ait; *hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit.*

* Supponit ergo pro certo S. Hieronymus, 1.) *Epiſcopis proprie ſic dictis hæc eſſe propria, nec cum Presbyteris meris communia, videlicet, quod ſoli ordinare Presbyteros & Epiſcopos poſſint; quod non niſi unus in una civitate Epiſco-*

pus

pus eſſe poſſit, cum multi eſſe Presbyteri queant; *quod hoc ordinationis diſcrimen cum jure dandi Spiritum Sanctum jungatur*; eoquod Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcenderit (d, a, e). Supponit 2.), *Epiſcopos & Presbyteros in ipſo Eccleſiæ exordio ſine alio diſcrimine quam ſolius ordinationis*, id eſt, pari jurisdictione, & cura communi, *Eccleſias rexiſſe; atque idcirco tunc etiam utrumque nomen commune habuiſſe: brevi tamen* ex illorum diſcordiis & ortis ſchiſmatis patuiſſe neceſſitatem conſtituendi aliquem ſummum Sacerdotem, atque idcirco Epiſcopos Presbyteris ſuperpoſitos, *eisque ſuperiorem quamdam Eccleſiarum ſingularum curam & regimen fuiſſe commiſſum* (a). Ait 3.), *iſtud poſterius diſcrimen*, jurisdictionis videlicet, *magis conſuetudine Eccleſiæ* (diſcentis videlicet ex ipſis diſſenſionibus neceſſitatem subordinationis ad unum caput immediatum) *quam dominicæ diſpoſitionis veritate, fuiſſe introductum* (b); 4.) idemque *ſimile eſſe diſcrimini*, quod in veteri teſtamento erat *inter Moſen & ſeptuaginta Seniores, aut inter Aaronem* ſummum Sacerdotem *& ejus filios*, vel *inter Imperatorem & Duces exercitus* (b, c, d).

4.) Theodoretus Cyrensis circa an. 432. commentans in I. Timoth. III. ſic habet: *eosdem olim vocabant Presbyteros & Epiſcopos: eos autem, qui nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos nominabant. Procedente autem tempore Apoſtolatus nomen reliquerunt iis, qui veri erant Apoſtoli: Epiſcopatus autem appellationem iis, qui olim dicebantur Apoſtoli, impoſuerunt. Ita Philippenſium Apoſtolus erat Epaphroditus, . . . Cretenſium Titus, & Aſianorum Timotheus.*

* Supponit ergo Theodoretus 1.) *ſemper fuiſſe in Eccleſia diſcrimen aliquod inter veros Epiſcopos & meros Presbyteros*; cujus diſcriminis indicandi cauſſa illis nomen *Apoſtolorum* inde ab initio datum fuerit: 2.) nomina vero *Epiſcopi* & *Presbyteri* ad illud diſcrimen exprimendum non in

principio Eccleſiæ, ſed poſt primum ut proprii gradus notas adhibitas fuiſſe.

** Nititur Theodoretus *tum* citatis locis Act. XX. 17. & ad Philipp. I. 1., in quibus Presbyteri eidem exprimi per nomen *Epiſcoporum*, in numero plurali & immediate cum Diaconis compoſitum, videbantur: *tum* quod ad Philipp. II. 25. Epaphroditus ſummus eorum Antiſtes, non Epiſcopus, ſed *Apoſtolus* vocatur. Sic etiam ad Rom. XVI. 7. Andronicus & Junias dicuntur eſſe *nobiles in Apoſtolis*.

174.

Presbyteri nomen in Actis Apoſtolorum & Epiſtolis Apoſtolicis, ſicuti & in uſu primæ Eccleſiæ Chriſtianæ nunc commune eſt Epiſcopis & ipſis Apoſtolis, ac generali ſignificatu præfecturam Eccleſiaſticam ſignificat; nunc ſpeciali modo ſimplices presbyteros ab Epiſcopis dignitate diverſos eisque inferiores deſignat. Namque in ſecunda & tertia Epiſtola S. Joannis, & prima S. Petri, uterque Apoſtolus ſeniorem ſeu presbyterum ſe ipſum appellat: & ad Titum cap. I. jubet S. Paulus S. Titum per ſingulas civitates presbyteros, id eſt, Epiſcopos conſtituere: mox enim docens, quales presbyteri conſtituendi ſint, ait: *oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Rurſus 1. Timoth. IV. ait Paulus, gratiam Timotheo datam eſſe *cum impoſitione manuum presbyterii*, id eſt Epiſcoporum; cum utique presbyteri ſimplices Epiſcopum non ordinarint; qualis Epiſcopus certo erat Timotheus. *Atque hoc primum erat.* Sed & ſpecialis ejusdem vocabuli acceptio pro ſimplici presbytero Epiſcopis ſubjecto extat 1. Timoth. V. 17.; ubi dicitur: *qui bene præſunt, presbyteri, duplici honore digni ſunt*: & Jac. IV. 14. *infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros eccleſiæ &c.*: neque enim una Eccleſia plures Epiſcopos habere poteſt. Item in cit. 1. Timoth.

moth. V. 19. *adverſus presbyterum accuſationem noli accipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus:* ubi ſane de presbytero inferiore, Timotheo Epiſcopo ſubjecto, ſermo eſt: *quod erat alterum.* Adde: in utroque hoc convenire omnes ſcriptores Eccleſiaſticos primorum ſeculorum, maxime §. præc. allegatos; unum tantum eſſe poſſe unius civitatis Epiſcopum, plures autem presbyteros; item hos ab illo ita ordine differre, ut ſolus ille ordinare presbyteros & alios Epiſcopos poſſit, non item presbyteri ſimplices.

175.

An Epiſcopi nomen Apoſtolorum ætate promiſcue veris Epiſcopis & presbyteris inferioribus datum ſit, incertum eſt. S. Epiphanius enim, Chryſoſtomo & Hieronymo ac Theodoreto antiquior, conſentiente Irenæo ſecundi ſeculi eruditiſſimo ſcriptore (173. n. 1. not.), affirmate tenet, in Actis & Epiſtolis Apoſtolicis nomine Epiſcoporum ſemper intelligi veros Epiſcopos, presbyteris ſimplicibus ordine ſuperiores (173. n. 1. not.): quin ex ipſis Actis & Epiſtolis Apoſtolicis oppoſitum ſolide probari queat.

176.

Epiſcopi proprie tales, ſeu ſummi Eccleſiarum in civitatibus ſingulis præpoſiti, omni tempore ſuperiores ordine proprio ceteris ejusdem civitatis & particularis Eccleſiæ presbyteris erant, ac habebantur. In ſingularum enim civitatum Eccleſiis ſummus ſacrorum antiſtes conſenſu omnium ſcriptorum primorum ſeculorum (173.) non niſi unus erat, idemque ſolus ordinaria, ſeu ſtabili, poteſtate pollebat manuum impoſitione ordinandi presbyteros, & alios Epiſcopos, id eſt, ordinem ipſum ſeu ſtabilem poteſtatem (168.) conficiendi Sacramenta baptiſmi & Euchariſtiæ (167. 169.), atque ipſam potesta-

teſtatem ſtabilem alios ſimiliter ordinandi, aliis conferendi; quin eadem poteſtas ordinandi ceteris ejusdem Eccleſiæ presbyteris, ordine, ſeu ſtabili poteſtate baptizandi & Euchariſtiam conficiendi inſtructis, eſſet communis. In hoc enim & S Epiphanius, & S. Chryſoſtomus, atque ipſe Hieronymus conveniunt.*

* Huc ſpectat, quod Euſebius II. Hiſt. c. 1. & L. II. c. 11. narrat. de S. Jacobo Jeroſolymorum Epiſcopo ab Apoſtolis ipſis conſtituto, & ſurrogato eidem, martyrium ſubeunti, S. Simeone Cleophæ filio. Quod ipſum jam ante Euſebium refert Clemens Alexandrinus in L. VI. Inſtitut. Huc item pertinet, quod in ipſa Apocalypſi S. Joannis de ſeptem Eccleſiarum ſingulis Epiſcopis memorat, quos *Angelorum* nomine appellat. Quæ omnia ſane evincunt, Epiſcopos veros ab Apoſtolis ipſis, eosque non niſi unos in ſingulis civitatibus cum ſumma poteſtate conſtitutos fuiſſe.

* * *Neque opponas* iſthic grandem illam controverſiam de *Chorepiſcopis;* quos aliqui etiam ex Catholicis Doctoribus cum Joanne Morino (de SS. Ordinat. P. II. exercit. 4. cap. 3. & 4.) exiſtimarunt fuiſſe ſimplices Presbyteros, & tamen datam fuiſſe illis poteſtatem omnes etiam SS. Ordines, etiam Presbyteratum, ſolo excepto Epiſcopatu, conferendi: etſi alii ex adverſo exiſtiment, eosdem vera ordinatione Epiſcopos fuiſſe. Unde etiam non nulli Theologi Catholici cum Vaſqueſio (in 3. p. S. Thomæ q. 243. a. 3 & 4.) ex prioris ſententiæ hypotheſi inferunt, ſaltem delegatam ordinandi etiam Presbyteros poteſtatem ſimplicibus Presbyteris conferri poſſe. *Verum*, quidquid de Chorepiſcopis, ſeu agrorum Epiſcopis, ſentias; nihil præſens propoſitum morari poteſt. Conveniunt enim etiam ii ſcriptores, quicunque Chorepiſcopos fuiſſe ſimplices Presbyteros, ac tamen valide ordinaſſe alios Presbyteros, exiſtimant; conveniunt, inquam, omnes in eo; quod illi vi officii Chorepiſcopalis (niſi aliunde vera ordinatione propria Epiſcopi fuerint) in ordine ad validam ordinationem Presbyterorum non

non niſi delegatam, id eſt, precariam, in ſingulis actibus a voluntate Epiſcoporum, quibus ſubjecti erant, dependentem poteſtatem habuerint. At contra veri Epiſcopi, qui ſinguli in ſingulis Eccleſiis civitatum ſummi ſacrorum Antiſtites erant, ſecundum omnes *ordinariam*, id eſt, ſtabilem, *ac propriam* poteſtatem ordinandi valide tam Presbyteros, quam alios ſui ſimiles Epiſcopos, omni tempore habuere, & non mere precariam ac delegatam (34.). Unde ſi Morino & Vaſqueſio etiam contra communiorem longe aliorum Theologorum ſententiam ſubſcribas, teneasque, Chorepiſcopis, licet meris Presbyteris, poteſtatem a veris Epiſcopis ſuis delegatam ordinandi Presbyteros conceſſam fuiſſe; in cujus tamen ſingulis exercitiis ab ipſo jure proprio, ſeu libero arbitrio, Epiſcopi dependebant: adhuc evidens erit, ſolos veros Epiſcopos *ordinaria*, id eſt, ſtabili ac *propria* poteſtate ordinandi Presbyteros, & veros Epiſcopos, inſtructos, ac proinde vero ordine (168.) ſuperiores ſimplicibus Presbyteris omni tempore fuiſſe; ſolumque illud conſequetur, poteſtatem ordinandi omnem (excepta ordinatione Epiſcopali qua tali) more jurisdictionis item delegari, id eſt, pro arbitrio & precario concedi meris Presbyteris poſſe (34. 36.). *Neque obſtat:* quod cum eodem Morino (de SS. Ordin. Exercit. 5.) non nulli defendant, etiam veri Epiſcopi ordinationes, non juxta Canones Eccleſiæ factas, olim paſſim pro invalidis habitas fuiſſe. *Nam*, præterquam quod hodie communi ſententia opinionem hanc Catholici Doctores rejiciant; etſi eam eſſe veram ſupponas, minime ſequetur, etiam verorum Epiſcoporum ordinandi poteſtatem mere precariam eſſe; id eſt, talem, quæ ab arbitrio mero & vero jure, ſeu ſummi Pontificis, ſeu Conciliorum, id genus Canones Eccleſiaſticos ſtatuentium, in quovis actu dependeant: ſed ſolum illud inde recte inferri poteſt; æque poteſtatem ordinandi omnibus & ſingulis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ab ipſo Chriſto Domino conceſſam (170.), ſuperiori jurisdictioni S. Petri in ordine ad ſui exercitium non modo licitum, ſed etiam validum, & quoad effectum

ipſum proprium, *ſubordinatam* fuiſſe. Atqui etiam ſubordinata quævis poteſtas ſimul tamen *propria* & ordinaria, ſeu ſtabilis, eſſe poteſt; modo non ipſi juri & libero arbitrio, ſed ſolum poteſtati morali, ſuperioris alicujus ſubjiciatur (34.). Licebit itaque tota iſthac mere hiſtorica diſquiſitione de gradu Chorepiſcoporum hic quidem penitus ſuperſedere; ne ordo demonſtrationis in exponenda inſtitutione vera Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſtabilis diſtractione intempeſtiva interrumpatur.

177.

Ordo Epiſcopalis ordine presbyteri ſimplicis non tam jure divino quam ipſo conceptu metaphyſico altior ac ſuperior eſt. Altiorem enim eſſe poteſtatem ſtabilem & propriam ordinandi presbyteros ipſos & patres Eccleſiæ, conjunctam cum poteſtate generandi ſolum filios Dei & Eccleſiæ, & conficiendi Euchariſtiam atque alia quævis Sacramenta a Chriſto inſtituta, quam ſolam poteſtatem generandi filios & cetera conficiendi Sacramenta, neceſſitate metaphyſica ex ipſis notionibus utriusque poteſtatis, gradus diverſos & inæqualem magnitudinem exprimentibus, evidens eſt. Unde ſiquidem ambo iſti ordines quacunque in hypotheſi ſejungantur, jure ſeu lege divina haud opus erit, ut unus ſit altero ſuperior. Atqui ordo Epiſcopalis proprie dictus ab ordine presbyteri ex notione illa ſecundum uſum Eccleſiæ recepta differt poteſtate propria ac ſtabili ordinandi presbyteros & alios Epiſcopos (176.) Ergo &c. &c.

178.

Nullum extat in Scripturis veſtigium divinæ legis ſeu inſtitutionis cujuscunque a Chriſto factæ, qua juberetur ſeparari in ſubjectis diverſis ordo Epiſcopalis ab ordine presbyteri, vel actualis a Chriſto factæ ſeparationis. Neque enim Chriſtus diverſo tempore Apo-

Apoſtolos inſtituit Presbyteros & Epiſcopos; ſed in cœna ultima dicens, *hoc facite in meam commemorationem*, nec uſpiam alibi, conſtituit ſimul Epiſcopos & Presbyteros in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ; & idem Chriſtus Dominus Joan. XX. 21. dicens, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* eosdem Apoſtolos inſtruxit ſimul poteſtate ſacerdotali remittendi peccata per ſe in Sacramento Pœnitentiæ, & poteſtate Epiſcopali eandem poteſtatem conferendi aliis; quin & Epiſcopos ordinandi alios: *neque* Chriſtus quemvis alium præter Apoſtolos ipſe aut presbyterum, aut Epiſcopum, inſtituit. Quem enim? an ſeptuaginta diſcipulos *? ubi vero, & quando? Certe iſti nec in cœna ultima, nec in cœna, de qua Joan. XX ſermo eſt, affuere præſentes. Sed neque Luc. X., cum a Chriſto in omnem civitatem mitterentur ante, quam Chriſtus eo veniret, aliam ab eo accepere poteſtatem, quam curandi infirmos & annuntiandi propinquum Meſſiæ & regni Dei adventum. Denique nec Apoſtoli ipſi uſpiam in ſcriptis ſacris, nec ceteri Evangeliſtæ, memorant aliquid de præcepto Chriſti jubentis talem ſeparationem.

* Scio multos Eccleſiaſticos Scriptores atque Theologos aſſerere, Presbyteros ad formam ſeptuaginta diſcipulorum conſtitutos fuiſſe; quod idem ait Concilium Neocæſarienſe an. 314. celebratum Can. 13. Sed aliud eſt, Presbyteros, ab Apoſtolis ſeparato ordine conſecratos, aſſumtos eſſe ab eisdem ad officium ſimile; ad quale Chriſtus diſcipulos aſſumſit, nimirum ad curandos animæ morbos in Sacramento Baptiſmi, Pœnitentiæ, atque extremæ Unctionis, & ad annuntiandum verbum divinum; aliud eſt diſcipulos illos ſeptuaginta fuiſſe ab ipſo Chriſto conſecratos Sacerdotes. Certe S. Nicolaus I. an. 864. in Epiſt. ad Rudolphum Bituricenſem Archiepiſcopum omnino aſſerit, ſeptuaginta diſcipulos *officia Epiſcoporum habuiſſe*, dubitari non poſſe.

Atqui

Atqui certe non credidit ille, ab ipſo Chriſto, ſed ab Apoſtolis creatos Epiſcopos fuiſſe, uti Barnabas, Sila, aliique. Interim S. Epiphanius Homil. 20. ſeptem Diaconos, ab Apoſtolis ordinatos, ſcribit ex ſeptuaginta duobus diſcipulis fuiſſe.

179.

I. *Ipſi itaque Apoſtoli, ſeu occulto aliquo Chriſti præcepto, ſive S. Spiritus inſpiratione moti, gradum ordinis ſuperioris Epiſcopalis ab inferiore gradu ordinis Presbyteri ſimplicis ſepararunt, ordinando alios quidem Epiſcopos, alios ſolum ſimplices Presbyteros; vel potius ordinatis a ſe Epiſcopis præcipiendo, ut Presbyteros ſimplices ſibi in curæ & ſollicitudinis Eccleſiarum auxilium ordinarent*; ad formam videlicet & exemplum Chriſti ſeptuaginta diſcipulos Apoſtolis jam delectis adjungentis.

II. *Perquam ſapienter itaque Concilii Tridentini Patres Seſſ. XXIII. Can. 7. definiere quidem*, ſuperiores Presbyteris eſſe Epiſcopos, nec eam poteſtatem ordinandi, quam habent, Presbyteris communem eſſe; *attamen abſtinuere ab eo, ut jure divino ſuperiores Presbyteris Epiſcopis dicerent.* Sicuti & iidem ſalvo eo, quod gradus primum ipſi Apoſtoli ſepararint, rectiſſime Can. 6. Seſſ. cit. ſtatuerunt: *hierarchiam in Eccleſia Catholica divina ordinatione ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris conſtitutam fuiſſe.*

180.

Penes unum aliquem Epiſcopum cujusque particularis Eccleſiæ curam ac jurisdictionem, etiam ſupra jam una conſtitutos in eadem Presbyteros ſimplices ſe extendentem, ſemper conſtituerunt SS. Apoſtoli; atque penes eundem Epiſcopum ſolum etiam deinceps in omni prima Eccleſia manſit; quin unquam Presbytero ſimplici in Eccleſia, proprium Epiſcopum habente, ex ordi-

ordinis ſui gradu jurisdictio propria ſeu in ceteros compresbyteros, ſeu in Epiſcopum ejusdem Eccleſiæ, competeret. Id patet

1.) Ex Scriptis Apostolicis. Nam S. Paulus ad Titum I 5. ait: *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas.* Et I. Timoth. V. Timotheum, Epiſcopum a ſe Epheſi conſtitutum, monet v. 17.: *qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime, qui laborant in verbo & doctrina. - - - Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.* Enimvero hæc, ſicuti & alia, quæ circa munus docendi totam particularem Eccleſiam præſcribit Apoſtolus Timotheo, innuunt profecto, penes Epiſcopum curam & jurisdictionem ſupra omnes atque ipſos etiam Presbyteros ab Apoſtolis repoſitam fuiſſe.

2.) Ex Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis primorum Seculorum a) ex SS. Ignatio, Irenæo, & Tertulliano, quorum textus luculentos recitavi §§. 149. 150. Certe *S. Ignatius* in Ep ad Trallianos apertiſſime monet: *reverimini Epiſcopum veſtrum, ſicut Chriſtum; quemadmodum beati nobis præceperunt Apoſtoli. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quam is, qui omnem poteſtatem & principatum ſuper omnes habet.* Et in Epiſt. ad Magneſios: *decet vos obedire Epiſcopo, & in nullo ei refragari... Quemadmodum Dominus ſine Patre nihil facit: ſic & vos ſine Epiſcopo, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus.* Maxime vero hic notari meretur, quod Sanctus hic Epiſcopus in Epiſtola ad Antiochenſem propriam Eccleſiam ſcribit, ad martyrium ipſe proficiſcens: *Presbyteri*, inquit, *paſcite gregem, qui inter vos eſt; donec Deus deſignaverit eum, qui principatum in vobis habiturus eſt: ego enim jam immolor.* Ex quo ſane patet, vivente Epiſcopo Presbyteros non fuiſſe ab ejus jurisdictione immunes. Pariter

S. Ire-

S IRENÆUS L. III. c. 3. ſupra citato nihil memorat de Presbyteris, ſed ſingulis Eccleſiis *ſingulos Epiſcopos* ab Apoſtolis præfectos fuiſſe ſimpliciter aſſerit; ſicuti & TERTULLIANUS de Præſcript. c. 32. ita ſucceſſionem Epiſcoporum in qualibet peculiari Eccleſia adſtruit, *ut primus Epiſcopus* cujuslibet *aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, habuerit auctorem.*

b) EX IIS TEXTIBUS SS. PATRUM, *in quibus Epiſcopos docent ſucceſſiſſe in locum Apoſtolorum.* Ita 1.) S. CYPRIANUS L. II. Ep. 10. ſcribit; *unitatem a Domino per Apoſtolos vobis* (Epiſcopis) *ſucceſſoribus traditam* fuiſſe. 2.) IN CONCILIO CARTHAGINENSI ſub S. Cypriano Clarus a Maſcula ait: *Apoſtolos, . . . quibus. nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes.* 3.) S. HIERONYMUS Ep. 54. *apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent.* 4.) S. AUGUSTINUS de Verbis Domini Serm. 24. (qui vulgo authenticus habetur) ait: *in eorum* (Apoſtolorum) *loco conſtituit nos.* 5.) S. CHRYSOSTOMUS Serm. de Anathem. aſſerit, anathematizandi poteſtatem ab Apoſtolis ad ſucceſſores eorum Epiſcopos tranſiiſſe. 6.) S. GREGORIUS M. homil 26. ait: *horum* (Apoſtolorum) *nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent; ligandi atque ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.* Jam vero certum eſt, quod Apoſtoli propria jurisdictione præfuerint Eccleſiis a ſe fundatis, earumque Presbyteris.

* Solus *objici poteſt* locus S. HIERONYMI ſupra (173. n. 3. ſub lit. a & b) citatus, in quo vir ſanctus aperte affirmare videtur, non ſolum nomen Epiſcopi Presbyteris, ſed & curam Eccleſiæ cujusque ſingularis, in principio ſaltem Eccleſiæ ita communem cum Epiſcopo vero fuiſſe, ut nullum eſſet jurisdictionis ſaltem diſcrimen; nec ulla Presbyterorum ſubjectio: ſed iſtam primum poſtea factam ob pericula ſchiſmatum, ac proinde non ex jure divino, ſed ex Eccle-

Eccleſiæ ſtatuto. Huic objectioni priusquam reſpondeam, ſequens principium præmittendum eſt.

181.

Jure divino conſtitutum eſt, ut Eccleſiæ particulares ab Epiſcopis veris cum poteſtate ordinis & juriſdictionis propriæ & ordinariæ, ſeu ſtabilis, ejusdemque immediatæ, vulgo regantur. Apoſtolis enim omnibus a Chriſto collata eſt poteſtas jurisdictionis juxta atque ordinis cum ſucceſſione perpetua per illa verba Joan. XX. 21. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* : & licet ea omnis Apoſtolorum poteſtas ab eodem Chriſto Domino Joan. XXI. 15. ob curam totius ovilis Petro commiſſam *ſubordinata* fuerit poteſtati & jurisdictioni ſuperiori S. Petri, ejusque ſucceſſorum (142. I.) nihilominus eo ipſo, quod Chriſtus a toto Eccleſiæ ſuæ regimine excluſerit omnem *dominatum*; & illum, qui *major* eſſet ab eo inter Apoſtolos conſtituendus, juſſerit fieri ſicut *minorem* Luc. XXII. (163.); non dedit profecto S. Petro moralem poteſtatem omnia immediata jurisdictione diſponendi in Eccleſia, ſed poteſtatem ſuperiorem quidem; quæ tamen in ordine ſe exercendi regeretur non ambitione oſtentationis, aut dominatus; ſed lege generali, quam finis ultimus ſocietatis Eccleſiaſticæ a Chriſto inſtitutæ (107. I.) determinat; videlicet, ut, quamdiu nullus abuſus inferioris poteſtatis, vel officii negligentia, ac proinde nullum publicæ ſalutis ſpiritualis periculum, ſuperioris poteſtatis exercitium provocat, ſe non ut *majorem*, ſed potius ut *minorem* gerat, concedendo liberum omnem legitimum immediatæ poteſtatis uſum inferioribus rectoribus cujusque Eccleſiæ (35.). Suppoſita enim ſemel inſtitutione inferioris & ſuperioris poteſtatis, & excluſo dominatu, lex hypothetice naturalis ordinem determinat, ut prius ſeſe exerat poteſtas inferior præ ſuperiore; ſiquidem utriusque poteſtatis conjunctio

& ſub-

& ſubordinatio ex finis ultimi propoſito non eſt inſtituta, niſi ad corrigendam, vel ſupplendam inferiorem; ſicubi hæc a fine aberret aut abuſu, aut officii neglectu. Itaque Apoſtolis cum jure ſucceſſionis perpetuæ conceſſa a Chriſto poteſtas eſt poteſtas immediata & propria (34. 35). Atqui Epiſcopi, non presbyteri, nec alii quicunque, ſuccedunt Apoſtolis jure divino in regimine Eccleſiarum ſecundum poteſtatem jurisdictionis æque ac ſecundum poteſtatem ordinis. Eo ipſo enim, quod Chriſtus utramque iſtam poteſtatem conjunxerit in Apoſtolis, & in utraque ſucceſſores perpetuos inſtituerit: eo ipſo quod evidenter ſoli Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis in poteſtate ordinis, etiam ſoli ex inſtitutionis divinæ modo eisdem ſuccedunt in poteſtate jurisdictionis. *Præterea* tam neceſſaria eſt Eccleſiis ſucceſſio in ordine ſacro quam in jurisdictione Apoſtolica: ergo Epiſcopo, qui in ordine ſuccedat Apoſtolo, carere quælibet Eccleſia non poteſt: ergo hoc ipſo idem debet ſuccedere in jurisdictione propria & immediata; cum non deceat per ſe, atque etiam a divina inſtitutione diſſentiat, alium eſſe, qui ordinis Apoſtolici, alium qui jurisdictionis Apoſtolicæ poteſtate immediata in quavis Eccleſia fungatur. Denique SS. Patres (præc. n. 2. lit. b. citati) ſine diſcrimine poteſtatis ordinis & jurisdictionis, Epiſcopos pro certis Eccleſiis ſingillatim conſtitutos univerſe ſuccedere Apoſtolis in officio reſpectu cujusque Eccleſiæ affirmant: atque idipſum affirmat Concilium Tridentinum Seſſ. XXIII. cap. 3. dicens: *Sacroſancta Synodus declarat, præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad Hierarchicum ordinem præcipue pertinere.*

182.

I. *Epiſcopi jurisdictione etiam ſuperiores ſunt presbyteris in ſuis propriis Eccleſiis.*

II. *Pres-*

II. *Presbyteris nulla jurisdictio propria jure divino competit.* Ne quidem enim Ordo presbyteri jure divino aliquo nobis noto ſeparatus ab ordine Epiſcopi fuit: nec uſpiam veſtigium eſt jurisdictionis a Chriſto alteri quam Apoſtolis per ſe ipſum immediate conceſſæ.

III. *Jurisdictio propria & immediata Epiſcoporum in ſuas Eccleſias particulares eſt immediate a Deo.* Eſt enim ipſa, quæ erat in Apoſtolis; quin etiam a ſummo Chriſti in terris Vicario aboleri poſſit; quippe cui non dedit Chriſtus poteſtatem mutandi modum regiminis Eccleſiæ a ſe inſtitutum, ſed potius obligationem impoſuit inſtar fundamenti immobilis conſervandi in ſua omni prima firmitate ædificium Eccleſiæ a ſe conſtitutum.

IV. *Unde Epiſcopi jurisdictionem propriam & immediatam in ſuas Eccleſias accipiunt non a ſummo Pontifice, ſed immediate a Deo, ſuppoſita legitima electione & aliis requiſitis;* de quibus infra dicam. Si enim reciperent a ſummo Pontifice; oporteret, ut jurisdictio immediata & propria in omnes particulares Eccleſias vi inſtitutionis divinæ eſſet immediate collata *ſoli* Pontifici, & ab eo primum transmitteretur in Epiſcopos; & in iſta hypotheſi debuiſſet Chriſtus ſoli S. Petro eam committere cum præcepto, ut Apoſtolos in partem ſollicitudinis uti *ſuos miniſtros* aſciſceret. Atqui hoc certo falſum eſt: nec convenit cum metaphora illa fundamenti, quod utique remotiores a ſe partes *non ſe ſolo firmat immediate*, ſed mediantibus aliis, ex. gr. columnis, fornicibus &c: neque Apoſtoli uſpiam ſe vocarunt miniſtros S. Petri, ſed Chriſti.

* Exemplum habes in republica libera, in qua, cum initio poteſtas ſumma ſecundum omnes ſit in populo, cui immediate a Deo cum ipſo jure proprio libertatis eſt collata ad libere ſe obligandum certis legibus communi conſenſu in

ſociale pactum ; etſi populus ſummi imperii exercitium & regimen limitatum ſic transmittat in regem aliquem, ut tamen præfectos inferiores cum jurisdictione aliqua, inferiore quidem & regi ſubordinata, immediata tamen & a rege immutabili, cum perpetua ſucceſſione conſtituat ; enimvero, licet regi poteſtatem committat perſonas ad ejus præfecturæ officia nominandi, jurisdictio tamen id genus præfectis inferioribus perinde atque regi ipſi ſemper immediate a populo, non a rege, obvenit : quippe quod ipſimet regi non niſi mediata jurisdictio, cum debita ſubordinatione ad legem fundamentalem exercenda, a populo collata fuerit. Itaque etiamſi Chriſtus, ſupremus ille Princeps Eccleſiæ, Vicario ſuo ſupremo ſupremi imperii exercitium (limitatum tamen tota lege inſtitutionis, qua inferiorum miniſtrorum ſuorum poteſtatem perinde ipſe in perpetuum firmavit) commiſerit; eſto, conjunctum illud ſit cum poteſtate deſignandi perſonas, vel excludendi ab officiis inferioris cujusque jurisdictionis : inferiorum tamen omnium miniſtrorum, ab ipſomet Chriſto Domino ſecundum ſpeciem officii inſtitutorum, jurisdictio propria & immediata, uti in ſua continuatione non pendet a jure & arbitrio ſummi Pontificis (ſecus *propria* non eſſet, ſed a Pontifice ſolum delegata 3. 34.), ſed ſolum a ſuperiore morali poteſtate ; ita nec in ſui principio exiſtentiam in perſona determinata ſortitur ab actione ſeu collatione ſummi Pontificis, ceu a cauſſa efficiente illam, ſed ſolum tanquam a cauſſa vel promovente, vel non impediente ; quatenus vel ipſe deſignat in aliquo caſu perſonam, vel legitime deſignatam & præſentatam Deo ab aliis, non impedit ob legitimas rationes.

** *Neque ex eo ſequitur*, ſic omnem jurisdictionem ex. gr. Nuntiorum Apoſtolicorum, Patriarcharum, Metropolitarum, imo Parochorum, Decanorum, Miniſtrorum Principum &c., fore immediate collatam a Deo, nec ad homines pertinere niſi deſignationem perſonarum ad hæc officia. *Nam*, quoniam officia hæc, & jurisdictio quæcun-

cunque eis connexa, non ſunt a Deo immediate inſtituta; ſed tota illa jurisdictio per modum propriæ & immediatæ jurisdictionis, reſpectu quorumvis actuum illius exercitio proprie reſpondentium, antecedenter competierit illis, qui ipſa officia Nuntiorum, Patriarcharum, Parochorum &c. inſtituerunt (cum hæc utique immediate inſtituta a Deo non fuerint) idcirco etiam nunc jurisdictio omnis his officiis qua talibus adhærens in ſua conſervatione & propagatione ad alias perſonas ab eorum jure & arbitrio dependet, qui vel ipſi ea inſtituentes ſuam propriam poteſtatem gerentibus ea officia delegarunt, vel delegantibus eam in officium propriæ jurisdictionis ſuccedunt.

* * * *Neque demum ex iſto per ſe conſequitur*, non poſſe Summum Pontificem vel auferre, vel mutare jurisdictionem Epiſcoporum; quod tamen vulgo exinde inferri ab adverſæ ſententiæ patronis ſolet. Nam ex eo, quod illa Epiſcoporum jurisdictio immediate ſit a Deo, ſolum ſequitur, eam non dependere *a libero jure* & arbitrio Summi Pontificis; non item non dependere poſſe eandem *a poteſtate* ejusdem *morali ſuperiore* in caſibus; in quibus ſalus publica Eccleſiæ alicujus particularis, vel etiam univerſalis (quæ ſumma ſemper lex eſt omnis ſocietatis; quia eſt finis ultimus omnes regulas in uſu mediorum determinans) exigit eam vel auferri, vel mutari. Quidni ſalutis iſtius publicæ neceſſitas ſpectata mente Chriſti efficere poſſit, ut vel ipſum ſummum Pontificem (exemplo ſit Joannes XXII., ſine dubio legitime electus, & ab Eccleſia, inter dubios Pontifices judicante, acceptatus) in caſu aliquo ſingulari non niſi ſub ea conditione eligat, ut neceſſitate Eccleſiæ poſcente iterum Pontificatum deponat. Qua neceſſitate reipſa eveniente nonne habebit illa poteſtatem deponendi talem Pontificem in aliquo Concilio Epiſcoporum generali? Atqui tamen omnis Romani Pontificis jurisdictio immediate illi obvenit a Deo,

183.

Nihil obſtat, poteſtatem jurisdictionis & ordinis Epiſcopalis tempore ſejungi ac ſeparari in eadem perſona poſſe. Diverſa enim poteſtas per ſe eſt, & ad diverſos plane effectus tendit, illa quidem ad leges divinas & Eccleſiaſticas ferendas, declarandas, exequendas &c., hæc ad ordinem ſacrum aliis conferendum, quæ eſt poteſtas conficiendi Sacramenta a Chriſto inſtituta. Una ergo nec importat alteram, nec a priori ſupponit; ac proinde ſeparabiles per ſe ſunt. *Præterea* Chriſti lex, vel inſtitutio, per ſe nulla obſtat: etſi enim officium Epiſcopale inſtituerit, cui utramque iſtam poteſtatem perpetuo ac proprio jure adnecti voluerit; non tamen conſtat, uſpiam illum conſtituiſſe, vel ut nulli poſſit poteſtas una ſine altera conferri, vel ut ne propriis Eccleſiarum particularium Epiſcopis poteſtas jurisdictionis propriæ prius ineſſe queat, quam ordinis poteſtas inſit, aut iſta remanere poſt illam aut ablatam, aut ſponte dimiſſam ab Epiſcopo.

* Si verum eſt, in cœna ultima Apoſtolos jam poteſtatem ordinis Epiſcopalis ſaltem quoad ordinationem Sacerdotum cum poteſtate conſecrandi Euchariſtiam a Chriſto accepiſſe: cum jurisdictionem Epiſcopalem certo primum poſt reſurrectionem Joan. XX. 21. acceperint; in ipſo ſui exordii ab ipſo Chriſto ſejunctim poteſtas ordinis a jurisdictione omni conceſſa fuerit neceſſe eſt. Atqui veriſimillimum eſt, Chriſtum, uti in Cœna Sacramentum Euchariſtiæ in perpetuum inſtituit, ſic & poteſtatem eam conſecrandi, quam certo ibidem Apoſtolis dedit per verba, *hoc facite in meam commemorationem*, ceu *perpetuam*, ac proinde conjunctam cum poteſtate ordinandi alios Sacerdotes & Epiſcopos, jam tunc inſtituiſſe.

184.

184.

Ordo quidem presbyterorum ſecundum ſe jure divino eſt inſtitutus, ſed nulla propria eorum jurisdictio. Ordo enim conficiendi Sacramenta quæcunque a Chriſto inſtituta, in Apoſtolis ab eodem ſimul cum poteſtate ordinis Epiſcopalis conjunctus eſt & inſtitutus. Ergo etiam ordo presbyterorum, qui complectitur poteſtatem conficiendi aliqua Sacramenta ſine poteſtate propria ipſum ordinem a Chriſto inſtitutum aliis conferendi, ſeu ordinandi alios Sacramentorum Chriſti miniſtros (presbyteros, vel Epiſcopos §. 176.) ab eodem utique Chriſto Domino eſt inſtitutus: *quod primum.* Porro cum ipſe Chriſtus Dominus ordinem presbyteri ſimplicis ab ordine proprie Epiſcopali nunquam in ulla perſona ſepararit, nec ſeparari præceperit (178.); presbyteris ſimplicibus propriam jurisdictionem ut inſtitueret, fieri non potuit: *quod alterum.*

185.

I. *Omnis ergo ſimplicium presbyterorum jurisdictio non eſt propria, ſed mere delegata; a ſummo Pontifice quidem, ſi eſt Epiſcopali ſuperior, & mediata; vel ab Epiſcopis, ſi eſt immediata & inferior.*

II. *Interim etiam delegata jurisdictio aut ſtabilis delegari poteſt ad certas ſpecies actuum, aut ſolum ad aliquos actus certo numero, vel ad determinatum ſolummodo ac breve tempus exercendos.* Illa vero tunc *ordinaria jurisdictio*, hæc *non ordinaria* vocabitur.

III. *Unde alia eſt jurisdictio propria, alia ordinaria;* quia illa quidem, non item iſta precariæ ac delegatæ opponitur.

IV. *Etiam jurisdictio delegata a delegante, cujus eſt propria, ita diverſis delegari poteſt, ut unius delegata alterius ab eodem delegatæ ſubordinetur.* De eo enim, quod quis proprio jure poſſidet, & quatenus

proprio jure poſſidet, diſponere in favorem alterius cum vel ſine onere poteſt.

* Sic Vicarii generaſes æque ac Parochi delegatam ab Epiſcopo jurisdictionem ceu illius miniſtri exercent: Parochi tamen jurisdictio jurisdictioni Vicariorum generalium ab Epiſcopis, quorum propria eſt, ſubordinatur.

186.

Facta ad naturam ordinis miniſterii ſacri, ſeu Diaconatus, explicandam idonea. 1.) Act. VI. refertur, ex occaſione *murmuris græcorum* querentium *adverſus Hebræos, quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*, conſtituiſſe Apoſtolos ſeptem Diaconos, ut *miniſtrarent menſis*, & *orantes* eisdem *impoſuiſſe manus*. 2.) Exinde munus Diaconorum ita perpetuum manſit in Eccleſia, ut ubicunque Epiſcopi, ibidem & Diaconi in particularibus ab Apoſtolis & ipſis Epiſcopis inſtituerentur. Hinc enim S. Paulus 1. Timoth. III., poſtquam Epiſcoporum dotes deſcripſit, etiam dotes in Diacono requiſitas præſcribit: *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. - - Sint unius uxoris viri.* Idem ad Philippenſes I. ſalutat *Epiſcopos cum Diaconibus*; quos immediate conjungit.

3.) Exinde Sancti Patres & veteres Scriptores continuam de Diaconis, Epiſcopo in ſacris miniſtrantibus, faciunt mentionem, ac ſubinde inſinuare videntur Dei, ſeu mandato, ſeu *ordinatione*, eſſe conſtitutos pro miniſtris Epiſcoporum ac presbyterorum in ſacris officiis & Sacramentorum adminiſtratione. a) S. Ignatius Martyr an. 106. ad Trallianos ſcribit: *Diaconos myſteriorum Chriſti*, & in his *Eccleſiæ Dei miniſtros eſſe, non ciborum & potuum, eosque purum & inculpatum Sacerdotibus miniſterium exhibere.* Eisdem *commiſſum eſſe miniſterium*

Jeſu

Jeſu Chriſti, ſcribit in Ep. ad Magneſios. In Epiſtola denique ad Epheſios ait: *ſubjecti eſtote Epiſcopis, presbyteris, & diaconis: qui enim his ſubjectus eſt, obedit Chriſto, qui hos conſtituit.* Sic quidem nonnullæ editiones habent. b) S. Justinus Martyr circa an. 104. in Apol. ſecunda teſtatur, ſuo tempore diaconos Euchariſtiam miniſtraſſe abſentibus, & ad eos detuliſſe. c) Tertullianus poſt an. 192. L. de Bapt. c. 17 diaconis *jus* tribuit *baptiſmi dandi, non tamen ſine auctoritate Epiſcopi.* Sic etiam in Actis Apoſtolorum legitur Philippus diaconus Eunuchum Reginæ Candacis baptizaſſe. d) S. Cyprianus poſt an. 250. in Ep. 68. ad Clerum Hiſpaniæ ſcribit: *nec hoc in Epiſcoporum tantum & ſacerdotum, ſed in diaconorum ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus, de quo ipſo in Actis eorum ſcriptum eſt: & convocaverunt illi duodecim, inquit, totam plebem diſcipulorum, & dixerunt eis &c. Quod utique idcirco tam diligenter & caute, convocata tota plebe gerebatur, ne quis ad altaris miniſterium, vel ad ſacerdotalem locum, indignus obreperet.* Ubi ſane Cyprianus, altaris miniſterium Act. VI. diaconis attributum (non ſolum menſarum) ab Apoſtolis ſupponit. e) Diaconis poteſtatem miniſtrandi laicis Euchariſtiam concedunt abſente presbytero, vel hoc jubente, Concilium Carthaginenſe IV. medio tertio ſeculo Can. 38. Arelatenſe III. Can. 15. Nicænum I. generale Can. 38. f.) S. Epiphanius loc. cit. ſupra §. 173. n. 1. ſub lit. b. ait, *ad Eccleſiaſtica munia complenda* præter Epiſcopos *Presbyteris & Diaconis opus eſſe*; & quidem Epiſcopum ſubinde ſine Presbytero, nullo tamen pacto *ſine* Diaconorum *miniſterio* eſſe poſſe. g) S. Hieronymus in Ep. 48. ad Sabinianum Diaconum lapſum Diaconis poteſtatem legendi Evangelium publice attribuit. Idem in Epiſt. ad Evang. ait, *traditiones Apoſtolicas* circa id, quod

 ſibi

ſibi Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi vendicant in Eccleſia, ſumtas eſſe de veteri Teſtamento, ad exemplum ejus, *quod Aaron, & filii ejus, ac Levitæ in templo fuerunt*, h) S. Isidorus L. II. de officiis Eccleſ. c. 8. Diaconos Levitis Teſtamenti veteris comparat, & ait, eorum miniſterium ita Sacerdoti neceſſarium eſſe, ſicuti Levitarum. *Levitæ*, ait ibid. *inferunt oblationes in altaria, componunt menſam Domini, operiunt arcam teſtamenti &c.* i) S. Ambrosio teſte L. I. de Officiis c. 41. olim S. Laurentius Diaconus S. Sixtum Pontificem ita compellavit: *quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? Nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueveras.*

4.) Tridentinum denique generale Concilium, Romano Pontifici in hoc conſentiens, Seſſ. XXIII. Can. 6. ſtatuit: *hierarchiam in Eccleſia Catholica divina ordinatione ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris conſtitutam fuiſſe:* ubi per *miniſtros* confeſſione omnium intelligit æque Diaconos ac Subdiaconos, aliosque inferioris ordinis miniſtros.

187.

I. *Certum eſt, Diaconos inde ab Apoſtolicis temporibus ſemper non ad ſolum menſarum communium, ſed ad Altaris & Sacramentorum miniſteria fuiſſe adhibitos* (lit. a, b, d &c. §. præc.).

II. *Certum eſt, Diaconorum, qui ſacris miniſtrant, originem eſſe in iis ipſis ſeptem Diaconis, quos Apoſtoli Act. VI. pro menſarum cura inſtituerunt.*

III. *Certum eſt, tum ex natura Sacramentorum baptiſmi & Euchariſtiæ*, ab ipſo Chriſto Domino inſtitutorum, *tum ex aſſertis SS. Ignatii M. & Epiphanii* (lit. a & f), *Epiſcopis vel Presbyteris, in adminiſtratione iſtorum inprimis Sacramentorum neceſſarios eſſe aliquos miniſtros,* qui eisdem inſerviant; ex. gr. qui aquam ad baptiſmum, qui panem & vinum pro

pro Sacramento Euchariſtiæ miniſtrent, & in hujus diſpenſatione illos adjuvent.

IV. *Ipſa itaque inſtitutio divina Sacramentorum baptiſmi & inprimis SS. Euchariſtiæ per ſe importat neceſſitatem, ordinatione divina Apoſtolis impoſitam, conſtituendi miniſtros ſacrorum, Epiſcopis & Presbyteris etiam in ſacris miniſtrantium.*

V. *Etſi itaque Act. VI. nulla mentio deputationis ſeptem Diaconorum ad miniſterium ſacrum fiat: tamen cùm de uſu omnium Eccleſiarum eos ad miniſteria ſacra adhibendi inde ab Apoſtolis conſtet* (præc. n. 1. lit. a); *dubitari non poteſt, Diaconos ab Apoſtolis non ad ſolum menſarum, ſed ad ſacrorum miniſterium ordinatione ſeu diſpoſitione divina conſtitutos fuiſſe.*

VI. *Exiſtit ergo in Eccleſia Chriſti præter ordinem Epiſcopalem, & Sacerdotalem, ordo ſacer tertius Miniſtrorum ſeu Diaconorum, ab ipſis jam Apoſtolis divina inſpiratione conſtitutus* (168.).

* Ceterum utrum Diaconatus habeat ab ipſo Chriſto Domino veram inſtitutionem in ratione ſaltem *ordinis ſacri*; vel ſolum Apoſtolis, ſeu præcepto, ſeu inſpiratione ſola divina; commiſſa ſit ejus inſtitutio; tam incertum eſt, quam incertum, an Sacramenti a Chriſto inſtituti habeat rationem collatio ordinis ejusdem. Negavit hoc poſterius Durandus, & Cajetanus, graves Theologi Catholici. Dubitavit de eo Franciſcus de Victoria. Dominicus Soto graves eſſe Durandi rationes agnovit, ex quibus idem negaverat. Bellarminus & Tournely etiam poſt Tridentinum id negant pertinere ad fidem. Porro autem, ſi Ordo Diaconatus non confertur Sacramento, quod a Chriſto inſtitutum ſit, difficile erit plus probare, quam Dei *ordinationem*, ut ab Apoſtolis inſtitueretur. Et vero miniſtri Sacramentorum a Chriſto inſtitutorum Chriſti perſonam gerunt: diacon (nl fallor magnopere) perſonam, non Chriſti, ſed Eccleſiæ, Chriſto ſupremo Sacrorum Antiſtiti in ſuis miniſtris coope-

O 5 rantis,

rantis, ſuſtinent: quam perſonam ſuſtinendi poteſtatem profecto conferre ipſi Eccleſiæ, ſuppoſita inſtitutione divina Miniſtrorum ipſius Jeſu Chriſti, omnino convenit; atque, ut conferat, id eſt, ut quosdam ad hoc miniſterium deputet, in dicta hypotheſi reverentia, ſummo ſuo Antiſtiti divino ejusque miniſtris lege divina naturali debita, prorſus exigit. Hoc certe ſenſu locutus eſt S. Cyprianus Epiſt. 65. ad Rogatianum ſcribens: *Apoſtolos poſt aſcenſum Domini in cœlos ſibi conſtituiſſe* DIACONOS EPISCOPATUS SUI ET ECCLESIÆ MINISTROS. Item *S. Ignatius Martyr*; cum Diaconos *myſteriorum Dei* ſimul, & in his *Eccleſiæ Dei Miniſtros* appellat in Epiſtola ad Trallianos.

188.

FACTA AD NATURAM SUBDIACONATUS EXPLICANDAM IDONEA. 1.) *Subdiaconi*, ſeu inferioris miniſtri, nomen primo inter Latinos occurrit apud *S. Cyprianum* medio ſeculo tertio in Ep. 22., apud *S. Cornelium* Papam ei contemporaneum in Ep. ad Fabianum Antiochenum referente Euſebio L. VI. c. 43., & in Concilio Eliberitano Can. 30. Apud Græcos nomina *Hypodiaconi* & *Hyperitæ* primum leguntur Seculo IV. apud *S. Athanaſium* in Epiſt. ad Solitar.; ubi ait: Arianos rapuiſſe *Eutychium Subdiaconum præclare Eccleſiæ miniſtrantem*: & in Concilio Laodiceno Can. 21. & 22. Quæ enim ex Liturgia S. Marci, ex Can. 42. Apoſtolorum, ex Conſtitutionibus S. Clementis, proferuntur, omnium peritorum judicio vel apocrypha ſunt, vel ſcriptoribus quarti aut quinti ſeculi attribuenda. 2.) Concilium Laodicenum Can 21. vetat Subdiaconis *locum habere in Diaconico*, *& vaſa ſacra* (ſaltem quo tempore continent corpus & ſanguinem Chriſti Domini; uti Balſamon hunc Canonem interpretatur) *contingere*. Idem prohibet Concilium Agathenſe an. 506. Can. 66. 3.) *Amalarius* an. 827. in L. II. de Officiis Eccleſiaſt. c. 6., poſtquam aſſeruit, duos eſſe in Eccle-

ſia

ſia ordines neceſſarios, quos S. Paulus nominavit, Presbyterorum nempe, & Diaconorum, addit: *ceteri Ordines his adjecti ſunt. Creſcente Eccleſia crevit officium Eccleſiaſticum: ut multitudini Eccleſiæ ſubveniri poſſet, adjiciuntur inferiores in adjutorio præpoſitorum. - - Non convenit demirari, ſi neque Subdiaconorum, neque lectorum memoriam Apoſtolus feciſſe videatur: illis enim gradibus functionum, qui in Eccleſia neceſſarii habentur, iſti poſtea magis ſunt adjecti propter utilitatem miniſterii; quod propter multitudinem credentium per alteros poſtea impleri debere neceſſitas flagitavit. Unde nec ordinationem ante altare aſſequntur; eo quod nec myſteriis miniſtrare ſtatuantur; ſed alii quidem eorum lectionum officium implent; alii vero intra Diaconium illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent miniſteria.* 4.) *Urbanus II.* Papa an. 1091. in Concilio Beneventano ſtatuit, nullum in Epiſcopum eligi, niſi in ſacris ordinibus religioſe vixiſſe inventus fuerit. *Sacros autem ordines dicimus*, inquit, *Diaconatum & Presbyteratum: hos ſiquidem ſolos primitiva habuiſſe Eccleſia legitur. Subdiaconos vero, quia & ipſi altaribus miniſtrant, opportunitate exigente concedimus eligi.* 5.) *S. Innocentius III.* Papa, iſto Urbani II. reſcripto nixus, denique Cap. *Miramur.* ſic ſtatuit: *de Subdiaconali ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum ſtatutis expreſſe; videtur nobis, quod & is cum diaconali gradu privilegio gaudeat eodem* (ſcilicet ut Subdiaconus quoque in Epiſcopum poſſit eligi). *Nam licet ſacer ordo non reputaretur in Eccleſia primitiva; tamen a Conſtitutione Gregorii atque Urbani ſecundum moderna tempora ſacer gradus eſſe minime dubitatur.* Nimirum *S. Gregorius Magnus*, cum decrevit L. 1. Ep. 44. (alias 42.), ut nullus ad Subdiaconatum admitteretur, *niſi qui ſe victurum caſte promiſerit*, imponendo Subdiaconis legem cœlibatus, primum gradum poſuit, ut Subdiaconatus inter *ſacros* ordines in Eccleſia denique cenſere-

feretur : *Urbanus II.* idem promovit : *Innocentius III.* complevit.

189.

I. *Certum itaque eſt, Subdiaconatum ex uſu Eccleſiæ eſſe ſtabilem poteſtatem ſub Diacono ſerviendi in miniſterio ſacrorum* (præc. n. 1. & n. 3.).

II. *Certum eſt, illum non a Chriſto, ſed ab Eccleſiæ rectoribus fuiſſe inſtitutum, nec omnibus Chriſtianis communem fuiſſe, ſed non niſi certis perſonis commiſſum* (præc.).

III. *Subdiaconatus ergo ordo ſacer quidem eſt, non divinus, ſed Eccleſiaſticus* (168.); *non in Eccleſia primitiva jam uſitatus, ſed poſtea primum ab Eccleſiæ rectoribus diaconatui adjunctus & conſecratus*; quatenus lege cœlibatus & capacitate Epiſcopalis electionis ei annexa, perſonæ ad illum deputatæ arctiore nexu miniſterio Eccleſiaſtico circa Sacramenta a Chriſto inſtituta obeundo adſtrictæ ſunt (præc. nn. 3. 4. 5.).

190.

Facta ad naturam minorum ordinum intelligendam idonea. 1.) *Eccleſia Latina* præter Diaconos & Subdiaconos etiam alios quatuor gradus Miniſtrorum Eccleſiaſticorum numerat, *Acolythos* videlicet, lumen & vinum pro SS. Euchariſtia conficienda ferentes; *Exorciſtas*, adjurationes dæmonum ſuper energumenis, ſive nondum baptizatis, ſive jam baptizatis, ex mandato Epiſcopi vel Presbyteri pronuntiantes, qui forte ſacras cerimonias turbarent; *Lectores*, Verbum Dei & SS. Scripturas populo Chriſtiano in Eccleſia prælegentes; denique *Oſtiarios*, claves Eccleſiæ cuſtodientes, eamque aperientes & claudentes. 2.) De his omnibus quatuor miniſteriis *Concilium IV. Carthaginenſe* medio tertio ſeculo ſub S. Cypriano celebratum

tum Can. 6. 7. 8. 9. memorat., eorumque officia ac miniſtros ad ea ordinandi modum deſcribit. De *Acolythis* & *Exorciſtis* etiam meminit *S. Cornelius*, *Papa*, S. Cypriani amicus, Ep. ad Fabium Antiochenum: *De Lectoribus* præter *S. Cyprianum* Ep. 23. etiam meminit *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. 1. contra Julianum Apoſtatam: atque idem Orat. 18. etiam *Oſtiarios* commemorat; quos & nominat *S. Auguſtinus* L. VI. Conf. c. 2. 3.) *Græci* Lectores tantum habent, non Acolythos, non Exorciſtas, non Oſtiarios: de quo queritur Innocentius IV. Papa in Ep. ad Epiſcopum Tuſculanum regni Cypri legatum. 4.) Præter quatuor hos officiorum gradus etiam extitere olim *Cantores* ſeu Pſaltes, de quibus Concilium Laodicenum Cap. 15. & Carthaginenſe IV. Can. 10. meminere; *Foſſarii*, mortuis ſepeliendis operam navantes; de quibus S. Epiphanius in Expoſit fidei, & Auctor Epiſtolæ ad Ruſticum Narbonenſem; quæ olim S. Hieronymo tribuebatur: *Notarii*; Græcis *Cartophylaces* dicti, qui inſtrumenta & tabulas Eccleſiæ cuſtodiebant; *Cuſtodes Martyrum*, qui curam cœmeteriorum vel eorum locorum gerebant, in quibus Martyrum corpora jacebant ſepulta; qui locus apud Latinos, & Romæ inprimis, *Confeſſio.* vocabatur. Vide Morinum Exercit. XI. C. I. n. 11.

I. *Minores Ordines non niſi officia quædam ſunt miniſtrorum Eccleſiæ, non Ordines ſacri a Chriſto, vel Apoſtolis inſtituti*: quia carent omni poteſtate ſtabili vel conficiendi Sacramenta, vel iſtorum confectioni immediate miniſtrandi, ſed tantum remote ad decorum adminiſtrationis eorundem referuntur. (187. n. 3.).

II. *Ab Eccleſiæ rectoribus inſtituti ſunt ad majeſtatem & decorem miniſterio Ordinum Sacrorum & ipſis Eccleſiis conciliandum.*

191.

Tonſuræ Eccleſiaſticæ origo hæc fuiſſe videtur. Chriſtianæ Eccleſiæ rectores & Epiſcopi inde a primis Eccleſiæ initiis continuo urgebant modeſtiam uti in veſtibus, ſic & in crinibus eorum, quos ad miniſterium Eccleſiaſticum aſſumſerant. Sic Concilium Carthaginenſe IV. Can. 44. prohibet, *ne Clericus comam nutriat, aut barbam radat.* Itaque cum quis ad ſacrum miniſterium Eccleſiæ aſſumebatur; primum erat, ut veſtibus mutatis comam tondere juberetur; ſi prius nutriiſſet. Prima tonſuræ in circulum faciendæ mentio propria invenitur in Concilio Toletano IV. an. 624 Can. 41. *Omnes clerici, vel lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperiùs capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant: non ſicut huc uſque in Gallicia partibus facere lectores videntur, qui prolixis ut laici comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent.* Interim S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui præfato Concilio ex 70 Epiſcopis congregato præfuit, in L. II. de Offic. Eccleſ. c. 4., & alii poſt ipſum, originem hujus tonſuræ ducunt ab imitatione Nazaræorum veteris teſtamenti; de quibus ſcribitur Numer. VI. 18.: ut nempe indicio ſit, hominem omnibus terrenis cupiditatibus & curis abdicatis toto ſtudio ſe Dei obſequio per miniſterii Eccleſiaſtici ſuſceptionem abdicare. Tonſuræ itaque ſuſceptio proprie externa quædam iſtius propoſiti profeſſio eſt. Unde primis Eccleſiæ temporibus, ſicut teſte S. Cypriano in Ep. 66. vix ulli Clerici erant, qui non in ipſa ordinatione ad miniſterium aliquod determinatum certæ Eccleſiæ deputati fuiſſent, ita nullus erat ſola clericali tonſura inſignitus, ſine alio ordine, vel officio. Ceterum quicunque ſaltem tonſuræ ſuſceptione profitentur ſe miniſterio Eccleſiaſtico addictos, *Clerici* appellantur.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE INSTITUTIONE METROPOLITARUM ET PATRIARCHARUM.

192.

Metropolitæ nomen idiomate Eccleſiaſtico denotat prærogativam dignitatis & jurisdictionis Epiſcopalis unius Epiſcopi reſidentis in primaria urbe (ſeu *metropoli*) provinciæ Eccleſiaſticæ quæ plures Epiſcopales Eccleſias complectatur, ſupra ceteros ejusdem provinciæ Epiſcopos. *Patriarcha* eodem idiomate appellatur, qui dignitatis & jurisdictionis Epiſcopalis prærogativa ſuperiore ſupra ipſos plures Metropolitas eminet. Quamquam hoc nomen ſummis Chriſtianorum Epiſcopis inter privatos auctores primus tribuit *Socrates*, qui circa annum 440. ſcripſit. Publicis in documentis primo idem uſurpatum reperimus in *Concilio Chalcedonenſi* an. 451. tributum tam *S. Leoni* Magno Papæ, quam Diœceſeon *Exarchis*. Porro *Diœceſis* olim vocabatur, nexus plurium provinciarum Eccleſiaſticarum, totidem Metropolitas numerantium, in unum corpus morale per ſubjectionem Metropolitarum illius omnium uni Patriarchæ factam. Quæ enim nunc paſſim diœceſis dicitur, videlicet ditio uni Epiſcopo ſubjecta, olim *Parœcia* nuncupabatur. Inde porro etiam inter Patriarchas diſcrimen ortum, ut ſcilicet *Patriarchæ majores* eſſent, qui plures ſimul diœceſes diverſas, vel certe plures provincias Eccleſiaſticas, id eſt, illorum Metropolitas, ſibi ſubjectos habebant; *Patriarchæ minores* autem appellarentur, qui vel uni tantum metropoliticæ diœceſi, vel certe minus late extenſæ, ac pauciores Metropolitas numeranti, præerant. *Exarchi* nomen idem ferme eſt cum Patriarcha minore

nore. *Primates* vocabantur; qui in Diœceſi aliqua inter Metropolitas plures prærogativa dignitatis ſeu honoris ſupra ceteros, ſine jurisdictione ſupra eosdem eminebant. In Africa tamen Primatis nomen idem fere quod Metropolitæ erat; qui non ſecundum dignitatem aut celebritatem civitatum, ſed ſecundum tempus ordinationis eo honore inſigniebantur; quibusve omnibus præerat *Archiepiſcopus* Carthaginenſis. Hodie *Archiepiſcopi* & *Metropolitæ* idem eſt nomen ac gradus.

193.

Facta Historica *ad naturam graduum Metropolitæ, Exarchi, & Patriarchæ in Eccleſiam introductorum explicandam idonea.*

I.) Conſtat ex *Notitiis Imperii Romani* ab Onuphrio Panuinio editis, *Imperium Romanum primo quidem ab ipſo Octaviano Auguſto, tum vero iterum iterumque diverſis vicibus ob creſcentem ſemper ejus magnitudinem ab Hadriano, & Conſtantino Magno, in Provincias, & Diœceſes, diviſum fuiſſe. Provinciæ* erant majores regiones bello in poteſtatem redactæ, in quas Præfectos ſuos mittebant, qui ſi conſul fuerat, *Provincia conſularis*, ſi Prætor, *Prætoria* dicebatur, & in primaria ejus regionis civitate, ſeu *Metropoli*, tribunal erigebat; ad quod populi accurebant, ut jus ſibi ab eo in exortis cauſſis & controverſiis diceretur. *Diœceſes* vocantur ditiones plures ſimul Provincias complectentes, quæ ſingulæ peculiarem Rectorem vel Præſidem habebant, qui cauſſas vel graviores, vel appellatione eo delatas, in ipſo Romano Prætorio ac veluti ſupremo tribunali dijudicabat. Sub Auguſto id genus diœceſes numerabantur viginti ſex, quarum quatuordecim Auguſtus per totidem rectores, reliquas Senatus populusque Romanus regebat. Deinceps plures diœceſes ad unum quemlibet

bet Præfectum Prætorii Romanæ urbis relatæ ſunt. Vide Schelſtrate P. II. Antiq. Illuſtr. Diſſert. IV. C. 1.

194.

II.) *Certum eſt, ab ipſis SS. Apoſtolis conſtitutos fuiſſe Epiſcopos in ſingulis civitatibus majoris nominis, cum jurisdictione* IMMEDIATA *in earum Eccleſias, quæ ſe extra certos fines locorum non extenderet, & quibus non licebat extra Eccleſiæ ejusmodi limites Epiſcopos vel presbyteros jure proprio ordinare, aut jus dicere, ac delinquentes pœnis Eccleſiaſticis corrigere: etſi caritatis officia ultra quosvis locorum fines extendere ſalva prudentiæ moderatione omnibus liceret.* Nam 1.) IN SS. SCRIPTURIS legimus Epiſcopos ab Apoſtolis non niſi particularibus Eccleſiis præpoſitos fuiſſe. Sic enim Act. XX. 17. Epiſcopi Epheſinæ provinciæ (173. n. 1. not. n. 3.) vocantur *majores natu* Epheſinæ *Eccleſiæ;* quos utique Paulus comparate ad Apoſtolos tales non vocaſſet, multo vero minus relate ad totam Eccleſiam, adhuc ſub Apoſtolorum regimine conſtitutam: neque enim reſpectu Apoſtolorum illi erant *majores natu*, ſed minores; quovis ſenſu vocem hanc intellexeris. Rurſus ibidem v. 28. aperte S. Paulus gregem ſingulorum Epiſcoporum proprium exprimit: *attendite vobis & univerſo gregi*, IN QUO *vos* (ſingillatim nempe) *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* Enimvero nihil in toto contextu eſt, quo Apoſtolus illis commendet curam totius Chriſti gregis ex proprio officio gerendam; ſed unam inculcat ſollicitudinem Epheſinæ Eccleſiæ a lupis rapacibus defendendæ; de qua ſola parte gregis Chriſti v. 29. prædicit ex particularibus adjunctis: *ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces* IN VOS, *non parcentes gregi. Et* EX VOBIS IPSIS (utique ex Epheſina Eccleſia particulari) *exſurgent viri loquente-*

perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. b) Ad Titum I. 5. S. Paulus Titum ſoli Cretæ inſulæ præponit cum mandato, ut ipſe conſtituat per civitates Presbyteros, quos v. 7. continuo *Epiſcopos* vocat. *Hujus rei cauſſa reliqui te Cretæ*, UT (ibi ſcilicet, non in toto orbe) *ea, quæ deſunt*, CORRIGAS ET CONSTITUAS *per civitates presbyteros; ſicut & ego diſpoſui tibi.* Evidens eſt, hic Apoſtolum conſtituere Titum cum jurisdictione in totam inſulam, & jubere, ut ipſe Titus conſtituat ſub ſe Epiſcopos cum jurisdictione ſolum in ſingulas civitates, vel certe non extra inſulam Cretam. c) Similiter S. Petrus I. Petr. V. 1. ſcribens ad Eccleſias diſperſas Ponti, Galatiæ, Cappadociæ &c. *Seniores*, qui in illis erant, id eſt, Epiſcopos ſic hortatur: *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro: paſcite*, QUI IN VOBIS EST, *gregem Dei &c.* Enimvero, cum primo dicit, *ſeniores, qui in vobis ſunt*, non niſi Eccleſiarum illarum fideles (*in vobis*) intelliget: ergo etiam per *gregem, qui in vobis eſt*, non niſi cujusvis Epiſcopi proprium gregem, non univerſam Eccleſiam, intelligit; cujus paſcendi proprium officium illis ſingulis inculcet. Et vero textus Arabicus eo loco legit, *gregem, qui inter vos eſt; Æ*thyopicus, *qui eſt apud vos;* Syriacus, *qui traditus eſt vobis.*

2.) SCRIPTORES ET PATRES PRIMI ECCLESIÆ idem teſtantur paſſim. Nam a) S. IGNATIUS MARTYR an. 106. ſcribens ad diverſas Eccleſias, nullam ſibi eſſe in eas auctoritatem profitetur, ſed unice ex caritatis officio ſingularum fideles hortari ſeſe, ut quique proprio ſuo Epiſcopo & Presbyterio obediant. Sic Epiſt. ad Epheſ. rogat: *ut ſubjecti Epiſcopo* (Oneſimo, quem & nominat) *& Presbyterio ſecundum omnia ſitis ſanctificati.* NON DISPONO VOBIS, UT EXISTENS ALIQUIS - - - *ſed quia caritas non ſinit me ſilere pro vobis.*

vobis. Similiter in Epiſt. ad Roman. proteſtatur: *non impero vobis, ſicut Petrus & Paulus.* Denique ad ipſos Antiochenos ſuos fideles ſcribens, ait: *Presbyteri! paſcite* GREGEM, QUI INTER VOS EST (ecce! ut verba S. Petri interpretetur S. Ignatius) *donec Deus deſignaverit eum, qui principatum in vobis habiturus eſt: ego enim jam immolor.* Ecce! ut ſuo ſucceſſori Epiſcopo limites jurisdictionis determinet deſignando illos, quibus ſuam ipſius jurisdictionem circumſcriptam & ad ſolam Eccleſiam Antiochiæ reſtrictam agnoſcebat. Verum eſt, quod in Ep. ad Smyrnenſes etiam S. Polycarpo ceu viro Apoſtolico commendet Eccleſiam ſuam, ſed non ut in ea jurisdictionem exerceat, ſed ut cura ſua & diligentia fovere vellet. Et vero ſucceſſor Ignatii Antiochiæ electus & Epiſcopus creatus eſt, neutiquam a S. Polycarpo. b) S. IRENÆUS L. III. c. 3. de S. Polycarpo narrat, quod Romam ſub Aniceto adveniens, de quibusdam quæſtionibus cum iſto contulerit: tumque in Ep. ad Victorem refert, quod *Anicetus in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſſa conceſſerit*: id quod indicio eſt manifeſto, illa prima Eccleſiæ ætate Epiſcopo in aliena civitate & Eccleſia ne quidem SS. Euchariſtiæ Myſteria conſecrare ſine proprii ejus Epiſcopi conſenſu licuiſſe. Idem S. Irenæus eodem loco refert, Epiſcopos ſingulos in ſingulis Eccleſiis cum perpetuo ſucceſſionis jure ab Apoſtolis conſtitutos fuiſſe, ac demum de ſola Romana Eccleſia tanquam *omnium maxima, antiquiſſima, & omnibus cognita,* ait: *ad quam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt convenire omnem Eccleſiam.* Atqui hoc idem profecto eſt dicere, ac omnes Eccleſias quidem habere proprios Epiſcopos, nec eas ab aliorum Epiſcoporum jurisdictione ullo pacto pendere, excepta ſola Romana Eccleſia; cum cujus Epiſcopo ob ejus

P 2 *ſupe-*

ſuperiorem in omnes *juriſdictionem* (non vero ob ſolam ceteris communem auctoritatem mere *Epiſcopalem*) omnes obligentur in fidei & caritatis unione concordare. c) S. Chrysostomus in Epiſt. ad Innocentium I. Papam de Theophilo Alexandrino, licet ſecundæ ſedis Epiſcopo, ſcribit: *non eſſe conſentaneum, ut ille, qui ex Ægypto eſſet, in Thracia judicaret* . . *Quæſo, ut tanta iniquitas reprimatur. Si enim licebit cuivis in alienas invadere provincias, ex auctoritate ſua quodlibet agendo, ſcitis, omnia peſſum itura.*

3.) SS. Canones *in prima Eccleſia recepti* idem evincunt. Nam a) inter Canones Apostolicos, qui tertio ſeculo ab ignoto auctore collecti, ſecundum omnes Criticos ſynopſis quædam ſunt diſciplinæ in primis ſeculis receptæ, & ab ipſis Apoſtolis derivatæ, Canon. XXXV. ſingulis Epiſcopis præſcribit: *gerant illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ* (192.), *& villis, quæ ſub ea ſunt, competunt.* Et Canon. XXXVI. *Epiſcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus & villis, quæ illi nullo jure ſubjectæ ſunt. Si vero convictus fuerit hoc feciſſe præter eorum conſcientiam, qui civitates & villas detinent, & ipſe deponatur; & qui ab illo ſunt ordinati.* Canon XXXIII. *Siquis Presbyter, aut Diaconus, ab Epiſcopo ſuo ſegregetur, non licere ab alio recipi.* Unde & S. Epiphanius hæreſi 42. refert, cum Marcion ſub annum 170. ab Epiſcopo, proprio parente ſuo: excommunicatus, Romam veniens *a ſenioribus, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant*, Eccleſiæ communionem eo tempore peteret, quo Romana ſedes vacabat, illum ab eis hoc reſponſum tuliſſe: *nobis injuſſu venerandi patris tui facere iſtud non licet.* Nec niſi ſub conditione, ut ceteros, quos perditioni erudiiſſet, Eccleſiæ reſtitueret (teſte Tertulliano L. de Præſcript.

ſcript. c. 30.), ſpes ei communionis facta eſt ab Eleutherio ad Pontificatum Romanum poſtea electo. Nimirum ſeniores, epiſcopali ſolum Romæ jurisdictione tempore ſedis vacantis inſtructi, fatebantur, convenienter diſciplinæ, quam ab Apoſtolorum diſcipulis acceperant, ſe alieni Epiſcopi ſubditos nec judicare, nec abſolvere poſſe, ſolique Romano Pontifici ceu Principi totius Eccleſiæ id juris competebat. b) His ex integro conſonant Canones Conciliorum, atque inprimis Concilii Nicæni I. *Oecumenici* Canon. V. *Sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur:* item Concilii Antiocheni an. 344. ab iisdem magnam partem Epiſcopis celebrati, qui Nicæno interſuerant, Canon. IX. *Epiſcopi tantum ea peragere poſſunt* secundum antiquam a Patribus constitutam regulam, *quæ ad ſuam Diœceſin pertinent.* Concilium Sardicense Can. III. ſic habet: *illud quoque neceſſario adjiciendum eſt, ut Epiſcopi de ſua provincia ad aliam provinciam,* in qua non sunt Episcopi, *non tranſeant; niſi forte a fratribus ſuis invitati; ne videamur januam claudere caritati.* Ecce! ut ſola caritate ferri extra limites ſuæ parœciæ Epiſcopos poſſe voluere Concilia, non jurisdictione.

* Sine omni fundamento *objiciuntur* iſthic 1.) Epiſtolæ a SS. Ignatio Antiocheno, Dionyſio Corinthio, aliisque ad aliarum Eccleſiarum Chriſtianos ſcriptæ, & admonitionibus piis refertæ: quia res iſta omnis ad caritatis ſolius, non ad jurisdictionis exercitium pertinet. 2.) Æque ſine fundamento *objicias* hic auctoritatem *S. Cypriani*, in Concilio Carthaginenſi III. profitentis, *nullum Epiſcopum ab alio judicari, aut judicare alios Epiſcopos poſſe. Nam* non eſt hic quæſtio, an Epiſcopi in ſe mutuo quoad perſonas ſuas jurisdictione polleant, ſed an unus in ſubditos Chriſtianos alterius Eccleſiæ Epiſcopi: nec ex

eo, quod unus alterum judicare nequeat, ſequitur, unicuique omnes aliorum Epiſcoporum ſubditos ex æquo ſubeſſe. 3.) Porro cum *S. Cyprianus* in L. de Unitate Eccleſiæ ait: *Eccleſiæ unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum atque indiviſum probemus; Epiſcopatus unus eſt; cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur:* enimvero nihil minus intelligit, quam unumquemque Epiſcopum in totam Chriſti Eccleſiam jurisdictione pollere. Nam *inprimis* Ep. 59. (alias 55.) aperte contrarium docet, ſcribens; ſingulis paſtoribus *portio gregis eſt adſcripta; quam regat unusquisque, & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus. Deinde* illa vox *in ſolidum* aperte ad *partem* Epiſcopatus appellat, ita, ut Cypriani hæc ſententia reipſa ſit, ſingulis ab Epiſcopis non quidem totum Epiſcopatum, qui & quoad unus eſt, teneri, ſed tamen ejus partem aliquam indiviſam ab uno quolibet ita poſſideri, ut ea ipſa pars dividi inter plures non debeat. Sumta enim verba illa Cypriani in cit. lib. reipſa ſunt ex ejusdem Epiſtola ad *Antonianum*; in qua eo ſpectabat Cyprianus, ut oſtenderet, cum *Cornelius* fuiſſet Romæ Epiſcopus rite & ſecundum Canones electus, non potuiſſe *Novatianum* ſimul ejusdem Eccleſiæ Epiſcopum ordinari. Nam *Epiſcopatus unus eſt*, inquit, *cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*, id eſt, ſolitarie, & ſine æqualis alterius conſortio. Enimvero Cyprianus non dixit, Epiſcopatum unum eſſe, & totum a ſingulis in ſolidum teneri; ſed ejus, qui unus eſt, *partem* ſolummodo. 4.) *Denique* veriſſimum quidem eſt, Epiſcopos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, tum in univerſa poteſtate ordinis, tum etiam in immediata in particulares Eccleſias jurisdictione; quæ ut olim ab Apoſtolis ex ipſius Chriſti inſtitutione geſta eſt; ſic & in perpetuum geri ab Epiſcopis debet. At enim aliud ſtatuendum eſt de eo; utrum, ſicuti Apoſtoli, Epiſcopatus peculiares primum de novo inſtituentes, ſic etjam nunc Epiſcopi, ſuccedentes in Epiſcopatibus jam inſtitutis

ſtitutis, non ſolum curam omnium Eccleſiarum (ſeu jam pridem inſtitutarum, ſeu porro novarum gentium converſione facta inſtituendarum) ex officio caritatis, ſed etiam jurisdictionem ex proprio officio gerant. Enimvero officium illud Apoſtolicum, cum jurisdictionis exercitio neceſſario conjunctum, ad ædificandam & convocandam primum in toto terrarum orbe Chriſti Eccleſiam collimabat, atque neceſſarium prorſus erat in ipſa fundatione Eccleſiarum; quin permitteret, ut pauci numero Apoſtoli uni quisque exiguæ Eccleſiæ affigeretur. Primo itaque neceſſe erat, ut Apoſtoli ſub Petro ſummo Principe inferiorem ſuam immediatam jurisdictionem exercerent fundando ubique Eccleſias, non uni Eccleſiæ jam inſtitutæ ſeorſim curam omnem immediatam intendendo. Aſt Eccleſiis jam conſtitutis non ſolum non neceſſarium, ſed nec poſſibile vulgo eſt idem immediatæ jurisdictionis exercitium in fundandis Eccleſiis præcipue occupatum, & Apoſtolis proprium; atque inſuper immediata jurisdictio Epiſcoporum, vel nulli certæ Eccleſiæ affixa, vel non ejusdem limitibus circumſcripta, non modo utilis non foret, ſed, ut ſupra verbis S. Chryſoſtomi jam enuntiatum eſt (hic n. 2. ſub lit. c), ad peſſumdandam pacem & ſalutem Eccleſiarum unice valeret. 5.) Interim minime hinc ſequitur, non poſſe in caſu quolibet Epiſcopum vel ordinare alium Epiſcopum in aliena Eccleſia, ſi ad hoc rogatus fuerit; vel, ſi quocunque caſu in loca infidelium delatus fuerit, inter iſtos facta aliquorum forte converſione novam Eccleſiam inſtituere, eidemque Epiſcopum ordinare: quo ſane caſu occaſio erit, ut talis Epiſcopus Apoſtolis etiam in proprio ipſis munere exercendo ſuccedat. Id quod exemplo ſuo docuit *S. Chryſoſtomus*, in Gothorum ſeu Scytharum ad Iſtrum regione, ethnicis ſuperſtitionibus adhuc implicata, amplificandæ apud ipſos Chriſtianæ religionis ſtudio *Unilam* Epiſcopum pro paucis illis ordinans, qui ex ipſorum gente Chriſtianis myſteriis Conſtantinopoli fuerant initiati. 6) At vero, quæ porro *ogge-*

 runt

runt de *S. Athanaſio* ex Socrate Hiſt. Eccl. II. 24., de *Euſebio Samoſateno* ex Theodoreto Hiſt. IV. 12., de *S. Epiphanio* ex ipſiusmet Epiſtola ad Joan. Jeroſolymit. &c. &c. ob Epiſcopos ac Presbyteros ab eis in aliena Diœceſi ordinatos; partim dubia ſunt, partim a ſcopo aliena. Nam *S. Athanaſius* non niſi in Ægypto ceu iſtius Patriarcha ordinationes fecit: cum ipſe Socrates eas poſt Athanaſii in Peluſii urbem ingreſſum narret; quæ urbs ex Syria proficiſcentibus prima Ægypti eſt. Atqui ut Patriarcha in ea neceſſitate Eccleſiæ, Arianis omnes ſedes Epiſcopales, aut Epiſcoporum expulſione, ac nece in exilio, orbantibus, aut omnino invadentibus, poterat ſane in SS. Canonibus ita diſpenſare, ut absque Metropolitarum conſenſu id faceret. Quæ res tamen criminationibus, de quibus Socrates ait, anſam dare potuit. Etſi alii cum *Tillemontio* in hac parte jure Socratis fidei diffidant: eo quod *Athanaſius* ipſe in *Apologia* ſua, cum perſecutionum ſuarum cauſſas viceſque percenſet, de hujusmodi omnino ſileat. *Euſebius Samoſatenus*, cum de illis ordinationibus, ab ipſo ſub militari habitu Syriam, Phœniciam & Palæſtinam peragrante factis in Eccleſiis per Arianos vaſtatis, a nullo ne quidem Ariano incuſatus fuerit; merito creditur, vel Antiocheni Concilii juſſu, vel rogatus ab iis, quibus id ex officio convenerat, operam ſolum ſeu in electione, ſeu etiam in ordinatione contuliſſe: ſiquidem Canones ſupra citati eo tempore in recentiſſimo vigore erant ſaltem inter Catholicos. *S. Epiphanius* nihil ſe adverſus Joannis Jeroſolymitani jura feciſſe probavit ea ipſa in cit. Epiſt. ad Joan. Jeroſol.: quia videlicet Monaſterium, in quo *Paullinianum* S. Hieronymi fratrem Presbyterio initiavit, a Joannis auctoritate immune erat, & *nihil ejus provinciæ deberet;* ut ipſe Epiphanius ſcribit. De ſimilibus exemplis ergo, quæ fruſtra a non nullis contra iſtius facti, quod aſſerimus in præſens, evidentiam opponuntur, illud valet, quod peraccommode in Ep. 34 (edit. Maur.) ſcripſit S. Auguſtinus, excuſans ſe, quod non ierit in alienæ Diœceſis urbem ad diſputandum cum hæreticis:

ticis: *ridiculum eſt*, inquit: *quaſi ad me pertineat cura propria, niſi Hipponenſis Eccleſiæ . . . In aliis civitatibus tantum agimus, quod ad Eccleſiam pertinet, quantum vel nos permittunt, vel nobis imponunt earundem civitatum Epiſcopi fratres & conſacerdotes noſtri.* Siquid ultra factum aliquando etiam a magnis viris eſt, uti probari non poteſt, ſic nec in exemplum adduci debet. Certe teſte Socrate L. VI. c. 14. S. Chryſoſtomus Epiphanio illud gravi ſermone objecit: *multa contra regulas agis, o Epiphani! qui primum quidem in Eccleſiis ſub diſpoſitione mea conſtitutis ordinationem feceris; deinde injuſſu meo ex tua ipſius auctoritate in iisdem Eccleſiis Miſſarum ſolennia celebraveris.*

195.

III. *Jam ante medium tertii ſeculi Chriſtiani Metropolitæ Eccleſiaſtici conſtituti erant Epiſcopi in Metropolibus Provinciarum Romani Imperii cum jurisdictionis alicujus ac dignitatis ſuperioris prærogativa in ceteros Epiſcopos aliarum civitatum ejusdem provinciæ.* Documenta iſtius facti ſequentia habemus omni exceptione majora.

1°. Canon XXXV. Apostolorum, ſeculi tertii diſciplinam referens, ſic habet: *Epiſcopos gentium ſingularum ſcire convenit, quis inter eos primus habeatur; quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quam illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & villis, quæ ſub ea ſunt, competunt.*

2.) Canon IV. Concilii Nicæni I. *Oecumenici* ſic habet: *Epiſcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in provincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in id ipſum convenientibus, & abſentibus quoque per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio cele-*

celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.

3.) Canon IX. Concilii Antiocheni an. 341. celebrati ita ſtatuit: *per ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum totius provinciæ ſollicitudinem gerere: propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros Epiſcopos agere, ſecundum antiquam a Patribus noſtris conſtitutam regulam.* Ubi nota, Patres Antiochenos, qui magno numero iidem erant, qui ſedecim primum abhinc annis Nicæno Concilio interfuerant, per *regulam antiquam a Patribus ſuis conſtitutam* nequaquam intelligere poſſe Nicænum eundem Canonem quartum n. præc. citatum, ſed evidenter alludere potius ad Canonem XXXV. ex Apoſtolicis; qui ſeculo tertio ab Epiſcopis collecti, pæne omni Eccleſiæ pro certis regulis Apoſtolicis ſerviebant.

4. Ex Conciliis tertii Seculi, Carthagine in Africa, ab Agrippino & S. Cypriano, Cæſareæ in Cappadocia a S. Firmiliano celebratis, ſatis aperte patet, Epiſcopum Carthaginenſem totius Africæ, Cæſareenſem vero totius Cappadociæ, Metropolitas fuiſſe: & Africam quidem plures provincias, Africam nempe Proconſularem, & Numidiam, ac Mauritaniam utramque (teſte S. Cypriano in Ep. 45. ad Cornelium) complexam fuiſſe, quæ ſingulæ ſuos etiam ſeorſum primates habebant; qui tamen & ipſi Carthaginienſi ceu ſummo Africæ totius Primati ſubjecti erant; a quo ad Concilia Carthaginenſia, illo ſeculo de rebaptizandis hæreſibus habita, convocabantur. De Primate Numidiæ veſtigia habentur in Epiſtola S. Cypriani ad Jubajanum ejusque Coëpiſcopos, & iſtius ad Cypria-

Cyprianum; tum vero amplius ſub initium ſeculi quarti in Concilio Cirthenſi an. 305. celebrato; cujus Acta S. Auguſtinus L. III. contra Creſconium c. 27. refert, ita incipientia: *Cirthæ, cum ſecundus Tigiſitanus primæ cathedræ conſediſſet in domo Urbani Donatique, idem dixit &c.* Erat autem Cirtha urbs Numidiæ, in qua convenerant ejus provinciæ Epiſcopi in locum Epiſcopi defuncti ejus civitatis alium conſtituturi. Eundem ſecundum S. Auguſtinus L. I. contra Parmenianum expreſſe Numidiæ Primatem vocat: *venientes*, inquit, *cum Primate ſuo tunc ſecundo Tigiſitano.*

5.) Aliud exemplum occurrit in *Polycrate Epheſino*, quem Epiſcopis omnibus Aſiæ, qui in cauſſa Paſchatis die Dominica celebrandi ſe Victori Papæ ſub finem Seculi II. ſe oppoſuerant, *præfuiſſe* Euſebius V. 24. teſtatur, eosque juſſu ipſius Papæ in Concilium convocaſſe. In ejusdem controverſiæ actis, in quodam ſexcentorum annorum Codice Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ deſcriptis (teſte Schelſtratio P. II. Antiq. illuſtr. Diſſ. III. C. IV. n. 2.) ſequentia de Theophilo Cæſareenſis Paleſtinæ Antiſtite ſeu Metropolita legimus: *Papa Victor Romanæ urbis Epiſcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Cæſareenſis Paleſtinæ Antiſtitem, ut, quomodo Paſcha a cunctis celebraretur Eccleſiis, fieret ordinatio. - - Percepta itaque auctoritate prædictus Epiſcopus non ſolum* DE SUA PROVINCIA, *ſed etiam de diverſis regionibus, omnes Epiſcopos evocavit.* Porro Cæſareenſis Epiſcopi dignitas Metropolitica, hujusque antiquitas, apertiſſime etiam ſtabilitur Canone VII. Nicæno, ubi de Epiſcopo Hieroſolymitano ſtatuitur: *quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio; ut Æliæ Epiſcopus* (Ælia vocabatur urbs ſuper Hieroſolymæ ruderibus ædificata ab Ælio Hadriano Imperatore) *honoretur; habeat honoris conſequentiam; ſalva Metropoli*

poli dignitate. Ubi per *Metropolin* intelligi Cæſaream, cujus ſuffraganea erat Eccleſia Jeroſolymæ, diſtincte adnotavit S. Hieronymus in Epiſt. ad Pamachium: cujus textum paullo poſt §. ſeq. recitabo.

196.

IV. *Ante Seculum quartum Patriarchalis dignitas & jurisdictio conſtituta erat in Epiſcopis Romano, Alexandrino, & Antiocheno.* Probat hoc 1'.) Canon VI. Concilii Nicæni; cujus genuina verba ſic *Dionyſius exiguus* ex græco latine vertit: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat* POTESTATEM; *quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam ceteraſque provincias ſua privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſiquis præter Metropolitani ſententiam fuerit factus Epiſcopus; hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere.* In hoc Canone de omni Patriarchico jure agi; & comparari in iſto Alexandrinum cum Romano Epiſcopo, evicit dudum ita contra Launojum Valeſius (in Adnot. ad novam hiſtoriæ Socratis & Sozomeni verſionem cap. 2. & 5.) ut ipſe eidem palmam ceſſerit Launojus in Valeſianæ Capitis 6 diſcuſſione. Etſi enim (ut recte Jacobus Sirmondus in Adventoria part. 2. c. 1. ex ipſa Synodi Nicænæ ad Epiſcopos Ægypti epiſtola probat quam L. I. c. 9. Theodoretus recitat) prædictus Canon editus fuerit ob Meletii Lycopolitani Epiſcopi ſchiſma; qui contra jura Alexandrini Epiſcopi (teſte S. Epiphanio hæreſi 68.) Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos paſſim ordinabat: non tamen de ſolo jure ordinandi Alexandrino ac ceteris duobus vindicando, ſed de aſſerendo ac ſtabiliendo univerſo jure Patriarchico ex

occa-

occaſione ejuſdem juris a Meletio violati per verba generalia, *omnium horum habeat Alexandrinus poteſtatem*, S. Synodus laborabat. Ita certe illum Canonem intellexere Epiſcopi Ægyptii in Concilio Chalcedonenſi; in cujus Act. IV. illorum omnium nomine Henricus Epiſcopus ita loquitur: *Sciunt ſanctiſſimi Patres noſtri; quia* IN OMNIBUS *expectamus ſententiam Sanctiſſimi Archiepiſcopi, & petimus veſtram clementiam expectare Præſidis noſtri præſentiam; quia eum* IN OMNIBUS *ſequimur. Nam & Sanctiſſimi Patres, qui in Nicæna congregati ſunt* 318, *hanc regulam dederunt, ut ſequatur omnis Ægyptiaca diœceſis Archiepiſcopum magnæ urbis Alexandrinæ, &* NIHIL ABSQUE IPSO AGATUR *ab aliquo ei ſubjacente Epiſcopo.* Qua proteſtatione detrectabant tunc Epiſcopi totius Ægypti ante Alexandrini Patriarchæ ſui adventum ſubſcribere Epiſtolæ dogmaticæ S. Leonis Papæ ad Concilium miſſæ. Veriſſimum quidem eſt, quod Launojus obſervat, *Patriarchæ* nomen diu poſt Nicænum primum uſurpari cœpiſſe: res tamen ipſa & omnis dignitas ac poteſtas pridem ante illam Synodum extitit, hoc eſt, Epiſcopi, qui non modo unius provinciæ Epiſcopis, ut Metropolitæ, ſed integræ diœceſi, id eſt, plurium provinciarum Metropolitis, fuerant cum poteſtate ſuperiore præfecti. Porro Antiochenum æque, ac Alexandrinum Epiſcopum, cum Romano Papa, plures ſub ſe Metropolitas habuiſſe, tum ex enumeratis Ægypti provinciis in dicto Canone 6. ex parte jam per ſe patet, tum porro ex ſequentibus patebit argumentis; quibus hic n. 3. oſtendam, Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis provinciis, quæ in illo Canone commemorantur, Metropolitas Epiſcopos jam ante Nicænum præfuiſſe.

2.) De Antiochiæ Patriarcha ſingillatim id probatur a) ex S. Hieronymi *epiſtola ad Pammachium*, de Joanne Jeroſolymitano Epiſcopo, quod

quod accuſatus de Origenis erroribus, præterito proprio Metropolita Cæſareenſi & Patriarcha Antiocheno, judicium Alexandrini Epiſcopi appellaverit, ſic ſcribentis: *Quæ hæc eſt tanta arrogantia non reſpondere de fide interrogantibus? - - Palæſtinæ interrogaris, & reſpondes Ægypto. - - Paleſtinæ provocatus, Alexandriæ loqueris. - - Tu, qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilii canonibus uteris; reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc tibi decernitur, ut* Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, et totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsareensem Episcopum *referre debueras, cui ſpreta communione tua communicare nos noveras: aut, ſi procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius literæ dirigendæ. Sed novi, cur Cæſaream, cur Antiochiam nolueris mittere: ſciebas, quid fugeres; quid vitares: maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Enimvero neque iſthic de ordinationibus agebatur; atque evidens eſt, quod S. Hieronymus, imo (ut hic aperte ſupponit) omnis oriens Nicænum Canonum 6. & 7. de toto jure Patriarchico & Metropolitico intellexerit. b) Concilium Oecumenicum II. S. Hieronymo conſentit prorſus: cum Can. 2. ſtatuit: *Orientis Epiſcopi orientem tantum gubernent, ſervatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributæ ſunt.* c) Conſonat S. Innocentius I. Papa Romanus in Ep. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum ſub quinti ſeculi initium ſcripta. *Revolventes*, inquit, *auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ unam omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dicam Sacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper diœceſin ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam provinciam recognoſcimus conſtitutam. - - Itaque arbitramur*;

mur, frater cariſſime, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & ceteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum recte ſervabis, ut longe poſitos literis datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium. d) Ceterum quod Antiochena Eccleſia, licet ab ipſo S. Petro ante Alexandrinam fundata fuerit, tamen ordine honoris iſti poſthabita fuerit; haud alia huc uſque ratio occurrit ab ea, quam Baronius ad an. 36. ſuſpicatus eſt; nempe quod Præfectura Alexandriæ, *Auguſtalis* ab Auguſto ipſo appellata, longe Præfecturæ Syriæ præſtiterit.

3.) De Patriarchatu Alexandriæ id ipſum conſtat ſequentibus ex documentis. a) Alexander Episcopus Alexandriæ, Petri in ea ſede ſucceſſor in Epiſt. ad Epiſcopos (quæ extat apud Gelaſium Cyzicenum L. II. c. 3. hiſt. Nic. Conc. & apud Socratem L. I. c. 3.) ſcribit paullo ante Concilium Nicænum, ſe *cum aliis fere centum Ægypti & Lybiæ Epiſcopis in unum conveniſſe, & Ario ejusque fautoribus anathema denuntiaſſe.* His duabus memoratis Ægypti & Lybiæ provinciis *S. Athanaſius*, Alexandri iſtius ſucceſſor, in Apol. 2. eandem Synodum deſcribens duas alias provincias Thebaidem, nempe & Pentapolin, adjungit his verbis: *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto, Thebaide, Lybia, & Pentapoli.* Ex quo patet, Alexandrino Epiſcopo jam ante Nicænum plures provincias Eccleſiaſticas fuiſſe ſubjectas, quarum Epiſcopos ad Synodum convocandi jus illi erat. b) Verum eſt, ex defectu monumentorum Eccleſiaſticorum latere nomina Metropolitarum, qui ante Nicænum variis illis Alexandrinæ diœceſis provinciis

vinciis ſub Patriarcha præerant: conſtat tamen, *Meletium* Hypſelitanum primo, deinde Lycopolitanum Epiſcopum (S. Athanaſ. Apol. ad Conſtantium Imperat. in epigraphe Epiſt. Arſenii, & Meletii Breviario) Metropolitam tempore Petri Alexandrini fuiſſe: nam & *Archiepiſcopus* a Joanne Memphitano Epiſcopo in ſubſcriptione appellatur (Memphis Arcadiæ urbs una cum tota Arcadia Meletii temporibus nondum a Thebaidis provincia avulſa erat; cujus metropolis Lycus erat) & *S. Epiphanius* hæreſ. 68. perſecutionem Diocletiani referens, ait, eundem *ceteris Ægypti Epiſcopis* ſic *antecelluiſſe*, ut *ſecundum a Petro Alexandrino Epiſcopo dignitatis locum obtineret utpote illius adjutor, ſed eidem tamen ſubjectus, & ad ipſum de cauſſis Eccleſiaſticis referens.* Idem Epiphanius hæreſi 69. eundem Meletium *Thebaidis in Ægypta Archiepiſcopum, Alexandro ſubjectum*, iteràto appellat. c) Porro idem S. Epiphanius hæreſi 68. & Sozomenus L. I. c. 24 de eodem *Meletio* narrant, quod, dum *Petrus Epiſcopus Alexandriæ*, qui poſtea martyrium conſummavit, ob ſævientem tunc perſecutionem fugiſſet, *ordinationes ad illum pertinentes ſibi vendicaverit*, & contra ejus ſucceſſorem *Alexandrum* ſchiſma conflaverit: tum vero *Synodum Nicænam contra illum ſententiam tuliſſe, ut ſolo Epiſcopi nomine contextus in urbe Lyco degeret, nec deinceps ordinationem ullam faceret: hi vero, qui ab illo ordinati eſſent, communione quidem recepta miniſterium ſuum retinerent; reliquis tamen clericis per ſingulas Eccleſias & Parochias conſtitutis honore inferiores eſſent; ita tamen, ut in locum morientium per ordinem ſuccederent; dummodo plebis ſuffragio judicarentur idonei, Epiſcopo Alexandriæ electionem eorum nihilominus confirmante; ipſis autem ne liceret arbitrio ſuo eligere, quos vellent.* Quod ultimum quoque ex ipſa Synodica Nicæni ad Eccleſiam Alexandrinam Epiſtola referens Theodoretus L. I.

Hiſt.

Hiſt. c. 6. ſic exprimit: *quodſi quempiam eorum, qui in Eccleſia cenſentur, diem ſuum obire contigerit; tum in defuncti locum atque honorem provehantur ii, qui nuper adſciti ſunt, modo digni videantur, & modo populus eos eligat; ſuffragante nihilominus, plebisque judicium confirmante Alexandrinæ urbis Epiſcopo.*

4.) De Patriarchatu Romanæ Sedis denique idem patet ex ſequentibus. a) *In Concilio Arelatenſi* an. 314. in epiſtola Synodica Epiſcopi ex omnibus Europæ & Africæ provinciis, ſeu ex toto Occidente, congregati ſic ſcribunt ad *S. Sylveſtrum* Papam: *tu, qui majores Diœceſes tenes, ceteris Paſchæ diem per literas ſignificabis.* Jam vero conſtat ex Epiſt. Conſtantini Imperatoris de celebratione Paſchatis, tempore Nicæni Concilii ſcripta (apud Socrat. L. 1. c. 9. Valeſii), per *diœceſin* exprimi non provinciam unam, ſed plurium complexum, uti ex. gr. *diœceſin Aſiaticam* & *Ponticam*; quas ibi Conſtantinus tales appellat: ſimulque ex Notitia Imperii, ab Hadriano & Conſtantino Imperatoribus diviſi, certum eſt, Occidentem totum, prout ab Oriente diſtinguitur, in ſex diœceſes jam tum diviſum fuiſſe, videlicet in Africanam, Illyricam, Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, & Britannicam. Extra dubium ergo eſt, quod de his majoribus Diœceſibus locuti ſint Patres Arelatenſes ex eisdem congregati, dum ad S. Sylveſtrum ſcripſere: *qui majores tenes Diœceſes.* b) S. Hieronymus tempore Damaſi Papæ in Epiſt. ad Marcum ſcripſit: *hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc eſt, cum Damaſo, Petroque, condemnent.* Ecce! ut Hieronymus ſupponit, uti Petri Alexandrini Ægyptum, ſic Damaſi Epiſcopi Romani Diœceſin fuiſſe totum Occidentem. Similem in modum tres Patriarchatus in L. adverſus Vigilantium ſic memorat, ut Sedi Apoſtolicæ totum orbem reliquum occidentem tribuat: *quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Se-*

Sedis Apoſtolicæ? c) S. Augustinus, cum L. I. contra Julianum adduxiſſet teſtimonia S. Cypriani ex Africa; Irenæi, Reticii, Hilarii ex Gallia; Olympii ex Hiſpania; & Ambroſii ex Italia; cap. 2. ſic pergit: *An ideo contemnendos putas; quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec ullus in eis commemoratus eſt Orientis Epiſcopus? Quid ergo faciemus; cum illi Græci ſint, nos Latini? Puto, tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare: cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium ſi audire voluiſſes; jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.* Evidens eſt, Auguſtinum hic Romanum Papam ſpeciali modo toti Occidenti præpoſitum eſſe affirmare, cui Julianus ceu vero ſuperiori obedire debuiſſet. d) Innocentius I. ipſe Epiſt. ad Decentium Eugubinum, oſtenſurus, non modo univerſam ſub cœlo Eccleſiam Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjectam eſſe, ſed Occidentis præſertim Eccleſias ſingulari nomine ad eam de fidei quæſtionibus referre debere, ratione id ſequente probat: *præſertim cum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulasque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi aut quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes: aut legant, ſi in iis provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe. Quodſi non legunt, quia nuſquam inveniunt; oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit; a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt: ne, dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* e) Denique exercitæ in Galliæ Metropolitam a Romano Papa Patriarchalis poteſtatis exemplum jam medio Seculo tertio occurrit occaſione Martiani Arelatenſis Epiſcopi; de quo S. Cyprianus Epiſt. 67. ſic ad S. Stephanum Papam ſcribit: *Fauſtinus, Collega noſter, Lugduni conſiſtens,*

ſemel atque iterum mihi ſcripſit, ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio utique nuntiata tam ab eo, quam a ceteris Coëpiſcopis noſtris in eadem provincia conſtitutis; quod Martianus Arelate conſiſtens Novatiano ſe conjunxerit, & a Catholicæ Eccleſiæ unitate, atque corporis noſtri & Sacerdotii conſenſione diſceſſerit &c. Quapropter te facere oportet pleniſſimas litteras ad Coëpiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne ultra Martianum pervicacem Collegio noſtro inſultare patiantur. Et infra: *Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem a te literæ, quibus abſtento Martiano alius in locum ejus ſubſtituatur.* Ecce! ut in Metropolitam, nulli Galliæ Epiſcopo ſubjectum, ipſi Galliæ Epiſcopi per Cyprianum Africæ Primatem urgent Romanum Pontificem, ut altiore ſua juriſdictione in illum utatur, illum deponendo ab Epiſcopatu, & curando, ut alius ipſi ſubſtituatur.

* *Sed*, quo minus Patriarchatus Romani terminos tam amplos conſtituere pro Nicæni I. Concilii ætate liceat, *ajunt* obſtare ipſum Nicænum Canonem VI. ſupra n. 1. citatum, quem L. X. hiſt. c. 16. his verbis referat Ruffinus Aquilejenſis Presbyter, S. Hieronymo contemporaneus: *ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma, vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic* SUBURBICARIARUM ECCLESIARUM *ſollicitudinem gerat.* Hinc enim conſtare volunt, Romani Epiſcopi poteſtatem Ruffini temporibus, id eſt, circa an. 400, iis provinciis definitam fuiſſe, quæ *Suburbicariæ* dicebantur (id eſt, *Piceno agro*, *Tuſcia*, *Latio*, & *Valerio*) quod a juriſdictione Præfecti Urbis Romæ penderent, quæ ultra centeſimum ab Urbe lapidem non porrigebatur. Atque hoc quidem argumento Proteſtantes Galliæ & Germaniæ ad ipſum quoque Primatum Romani Pontificis impugnandum utuntur. *Reſponderunt* huic argumento ſummi viri Catholici cum Petro de Marca in Concord. L. I. C. 7. §. 6. *inprimis* falſum certo eſſe, Præfectum Urbis Romæ olim in provincias ſuburbicarias habuiſſe juriſdictionem,

Etenim antiquæ *Notitiæ Imperii*, ab Hadriano & Conſtantino Imperatoribus diviſi, docent, tredecim ſolum diœceſes ſub 4. Præfectis Prætorii fuiſſe inſtitutas, & inter illas nulla Præfecto Urbis aſſignatur; ſed nec aſſignari potuit: cum diœceſis plures provincias contineat, quæ intra 100. paſſuum millia exiſtere non potuere; ad quæ ſola Præfecti Urbis poteſtas ſeſe extendebat. *Suburbicariæ* ergo ad Vicarios Præfecti Prætorii pertinebant, quorum duo in Italia erant; primus quidem Vicarius Urbis Romæ, & alter Vicarius Italiæ: prioris ſedes Roma, alterius Mediolanum erat. Inter hosce duos Vicarios omnes Italiæ provinciæ diviſæ erant ita, ut quæ erant ſub Vicario Italiæ, præcipuo titulo *Italicæ Regiones & Provinciæ*, quæ vero ſub Vicario Urbis, *Urbicariæ* & *Suburbicariæ* appellarentur. Id quod Sirmondus ex Valentiniani Imperatoris Codice ejusque lege tertia oſtendit. Poſteriores iſtas *Notitia Imperii* indicat fuiſſe Campaniam, Tuſciam, Umbriam, Picenum, Siciliam, Apuliam, Calabriam, Brutios, Lucaniam, Samnium, Sardiniam, Corſicam, Valeriam. His ergo poſitis ſane multum ultra centeſimum ab Urbe lapidem jam Romani Pontificis Patriarchalis dignitas extendetur. Id quod omnino conſonat cum veteri illa *Vaticana Notitia*, quæ a Baronio ad an. 1057. refertur, & 69. Epiſcopatus, ex quibus Romana Provincia conflata erat; nobis exhibet, qui non ſolum Picenum, Tuſciam, Latium, & Valeriam complectebantur, ſed per multo remotiores ab Urbe provincias diſperſi erant; ex quibus omnibus Epiſcopos frequenter ad Synodos Romanas vocatos fuiſſe Baronius T. XI. ad an. cit. oſtendit. *Porro* his poſitis Petrus de Marca L. I. C. 3. §. 12. *ulterius reſpondet*, in Canone VI. Nicæni Alexandrini Epiſcopi poteſtatem cum Romano potiſſimum comparari ſecundum jus ordinationum, quod Meletius ante violaverat: extra dubium enim eſſe, earum provinciarum, quas Ruffinus *ſuburbicariarum* nomine expreſſit, quæve per Apuliam, Calabriam, Campaniam, uſque ad Siciliam extendebantur, & ordinationes, & Synodos, atque plenam ſuperiorem Patriarchicam adminiſtratio-

tionem, ad Romanos Epiſcopos pertinuiſſe. *Denique* recte Ruffinum comparationem his finibus ſuburbicariarum Eccleſiarum coërcuiſſe; quia ſcilicet in reliquo ampliore & altiore jure, quo Romanus Pontifex frueretur, dum ſcilicet *plures majoresque diœceſes tenet*, & principatum inſuper totius Eccleſiæ gerit, duos illos Alexandriæ & Antiochiæ Patriarchas cum Romano componi non poſſe cenſebat.

* * *Verum* monui jam ſupra hic n. 1., non ſolum jus ordinandi, ſed ex ejus a Meletio læſi occaſione univerſum jus Patriarchicum a Nicæno in illo Can. VI. ſtabiliri. Unde, ſiquidem Ruffinus in ea mente fuiſſet, quam Petrus de Marca aliique illi attribuunt, nec ejus interpretatio de prædicto Canone facta alium ſenſum admitteret a modo dicto, explodi profecto is meretur: cum certum ſit, jura Patriarchalia Romani Pontificis ultra omnes illas quascunque ſuburbicarias provincias Ruffini ætate ſe extendiſſe; etſi ejusdem Metropolitana jura in ordinandis per ſe ipſum & ad Synodum Romanam provincialem convocandis Epiſcopis vi conſuetudinis ſolum ad decem Romæ viciniores Italiæ provincias ſe extendebant. Et vero cum ſingularis mereque arbitratu facta ſit interpretatio Ruffini, & ab aliis omnibus diſſentanea, imo explicatio magis quam verſio: quid coget nos, homini tot nominibus ſuſpecto genua ſubmittere; cum genuinum Canonem præ manibus & oculis habeamus. De Ruffino certe S. Hieronymus in Ruffin. Apol. II. ait: *omne iter dictionis tuæ absque Palladis arte ſalebris & voraginibus vitiorum inciditur:* eundemque Joſephus Scaliger compertæ *inſcitiæ* hominem appellat. Quodſi tamen excuſare Ruffinum lubeat: dicam cum Valeſio (loc. ſupra n. 1. cit. cap. 7.) & Sirmondo (Differt. II. de Suburbicariis cap. 4.) *Suburbicarias Eccleſias* Ruffinum dixiſſe omnes Eccleſias, quæcunque per totum Occidentem ſubjacebant Epiſcopo urbis Romæ; ſicuti norat *ſuburbicarias provincias* appellari conſueviſſe, quæ erant ſub Vicario Urbis Romæ Præfecto. *At* ſuburbicariæ, *inquis*, regiones aut provinciæ tam late

non patebant. *Quid tum? Quam multa ſunt ejusmodi vocabula*, (reponit ad hæc Sirmondus) *quæ pro rei adjunctæ modo ſignificatum variant? Iidemne ſunt fines ac termini Orientis, cum comitem Orientis audimus, & cum Præfectum Prætorio Orientis? Eademne Aſiæ, cum Proconſul Aſiæ nominatur, & cum Vicarius diœceſis Aſianæ? Eademne Italia, quæ a Vicario Italiæ regitur, & quæ a Præfecto Prætorio Italiæ adminiſtratur? Quod his ergo & aliis ſexcentis uſus tulit; cur in ſuburbicariis, quæ dicuntur, idem non faciat, ut, quemadmodum ſuburbicariæ regiones dictæ ſunt, quæ Vicario Urbis parebant, ita ſuburbicariæ Eccleſiæ rite nominentur omnes, quæ in Urbis Epiſcopi ſint diœceſi ac poteſtate?*

197.

V. *Conſtantinopolis & Hieroſolymæ Epiſcopi non niſi poſt Seculum IV. ad Patriarcharum honores & jura evecti ſunt.* Et quidem

1°.) De Constantinopolitano Episcopo conſtat a) ex Socrate L. II. c. 41. & Sozomeno L. IV c. 23, non niſi an. Chriſti 359. extincto Proconſulatus officio primum Urbis Conſtantinopolitanæ Præfectum a Conſtantino M. conſtitutum, atque Urbium reginæ Romæ æquatam fuiſſe: b) inde vero cœpiſſe ejus Urbis Epiſcopos, qui antea Heracleenſi Metropolitæ teſte Theodoro Balſamone (in Comment. ad Can. 3. Concilii Conſtantinopolitani I.) & Zonara (in Scholio ad eundem Canonem) ſubjecti erant, majorem dignitatis honorem affectare, ac effeciſſe Nectarium an. 381. in Concilio Conſtantinopolitano I., ut ab Orientalibus Epiſcopis numero 150. Can. 3. ſuæ ſedi concederentur *priores honoris partes poſt Romanum Pontificem, eo quod ſit ipſa* (Conſtantinopolis) *nova Roma*: quo facto tamen Conſtantinopolis Epiſcopo æque parum jura alicujus Metropolitæ aut Patriarchæ collata ſunt, atque Jeroſolymæ Epiſcopo, cui idem Concilium

lium tribuit honoris prærogativam *ſalva*, ut loquuntur Patres, *propriæ Metropolis* (Cæſareæ videlicet) *dignitate*. c) Interim ab eo tempore exempla complura extant Epiſcoporum Conſtantinopolis ingerentium ſe in ordinationes atque etiam diſpoſitiones Epiſcoporum aliis Metropolitis vicinis, Ponti inprimis & Thraciæ, ſubjectorum; *ſeu* proprio privato arbitratu: *ſive* Romani Pontificis indultu aliquo id fecerint; quod de S. Joanne Chryſoſtomo Morinus (Exercit. 14. de origine Patriarch.) ſuſpicatur; *ſive* demum oblatam ſibi, ut in urbe Imperiali non modica apud Cæſares auctoritate pollentibus, ab ipſis minoris nominis Epiſcopis ac clero poteſtatem avide amplexi fuerint: cujus indicium in Act. XVI. Chalcedonenſi in iis extat, quæ Euſebius Ancyræ Galatiæ Metropolita teſtatur de Gangrenſis Epiſcopi ordinatione nunc ſibi, nunc Conſtantinopolis Epiſcopo, ab ipſo populo Gangrenſi delata. d) Ex eadem Act. XVI. Concilii Chalcedonenſis an. 451. celebrati conſtat, Epiſcopos trium Provinciarum ſponte profeſſos fuiſſe, ſe Conſtantinopolitano ſubjici exoptare, atque idcirco Patres illi Actioni præſentes denique ſtatuiſſe: *Ex his, quæ ab unoquoque depoſita ſunt, perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari: oportere autem Sanctiſſimum Archiepiſcopum regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ eisdem primatibus honoris & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinate Metropolitas in Aſiana, & Pontica, & Thracia diœceſibus, ſecundum hunc modum, ut decreto facto a Clericis uniuſcujusque Metropolis, & poſſeſſoribus, atque clariſſimis viris, ſuper hæc a Reverendiſſimis Epiſcopis Provinciæ omnibus, aut pluribus, eligatur is, quem præfati Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopi dignum eſſe probaverint. Referatur autem ab omnibus eligentibus SS. Archiepiſcopo regiæ Conſtantinopolis, ut penes eum ſit, ſi velit, huic, qui electus*

electus eſt, advenire, & hic ordinari, an ſecundum ejus permiſſionem in provincia Epiſcopatus mereri decretum : uniuscujusque tamen civitatis Sanctiſſimos Epiſcopos ordinari ab omnibus, aut pluribus provinciæ reverendiſſimis Epiſcopis ; poteſtatem habente Metropolitano ſecundum Patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus Sanctiſſimo Archiepiſcopo regiæ Conſtantinopolis. e) Verum contradixere continuo huic ſtatuto non modo plures Aſiæ Epiſcopi (uti probari poteſt ex Act. XI.), & ſedis Apoſtolicæ legati (Act. XVI.), ſed inprimis ipſe S. Leo Magnus Ep. 55. ad Pulcheriam Auguſtam ſcribens: *nimis ſuperbum eſſe & immoderatum, ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcata alienum jus velle præripere, atque ut unius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietisque provinciis, & olim S. Synodi Nicænæ moderatione diſpoſitis, bellum notæ perturbationis inferre.* Quam *Leonis M.* conſtantiam teſte *Gelaſio I.* in Ep. 13 ad Dardaniæ Epiſcopos ſummis laudibus extulit, atque ipſe *Anatolius*, qui tempore *Concilii I. Conſtantinopolitani* Eccleſiæ illius Urbis regiæ Epiſcopus erat, tam injuſtam eſſe agnovit, ut eodem teſte Gelaſio (loc. cit.) ſe eidem excuſarit, obtendens, *Clerum potius Conſtantinopolitanum, quam ſe talia tentaſſe ;* atque ſimul confitens, *in Apoſtolici Præſulis totum poſitum eſſe poteſtate.* Unde & ipſe *Gelaſius* in cit. epiſt. prorſus non ſolum priorem honorem præ ſede Alexandrina & Antiochena, ſed & omnia *Metropolitarum jura* Conſtantinopolitano Epiſcopo adhuc abjudicat, & cum eo *Gregorius M.*, *Nicolaus I.* aliique ipſo adeo ſeculo VIII. f) Interim Imperatorum auctoritate & auxilio ſuffultis Conſtantinopolis Epiſcopis (*Juſtinianus* quidem Imperator Novella 130. *ſecundum ab Apoſtolica veteris Romæ Sede locum* eisdem confirmavit) denique Alexandrinus ipſe & Antiochenus Patriarchæ primum locum ſeu neceſſitate, ſeu ultro etiam,

etiam, quod eorum interceſſione in Urbe Imperiali apud ſummos Principes ſæpe haberent opus, deinceps conceſſere. Illi ipſi vero etiam partem Romani Patriarchatus ambitione ſua invaſere, contradicentibus licet Romanis Pontificibus Illyricum Orientale ad ſe avellentes. Quæ quidem ambitio poſtmodum ſemper crevit, ita ut jam Seculo XII. teſte Nilo Doxapatrio (in Notitia de quinque Patriarchalibus thronis) in ipſam quoque Ruſſiam ſe extenderit.

2.) Hierosolymitana Ecclesia, a) etſi omnium Eccleſiarum mater extiterit, ab ipſo Chriſto Domino inſtituta, dignitatem tamen ſuam amiſit, cum poſt deſtructionem illius per Titum factam Metropoliticæ urbis honor a Romanis in Cæſaream translatus eſt; in qua Judææ provinciæ Procuratores jam antea ſedem ſuam fixerant. Poſtquam tamen ab Ælio Hadriano reſtaurata urbs illa fuit, nomen Æliæ inde ſortita, ejus Epiſcopus honorem priſtinum a Nicænæ Synodi Patribus repetiit, obtinuitque in Can. VII. his verbis: *Quia conſuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Epiſcopus honoretur; habeat honoris conſequentiam, ſalva Metropoli* (Cæſareæ videlicet) *propria dignitate.* b) Cum vero Cyrillus ejusdem Epiſcopus poſtmodum etiam Metropoliticam dignitatem, Joannes vero, de quo ſupra (196. n. 2.), immunitatem etiam a jure Patriarchæ Antiocheni prætendiſſet; ille quidem teſte Sozomeno (L. II. c. 24. Hiſt.) a Synodo Seleucienſi ideo omnino exauctoratus, hic vero a S. Hieronymo repreſſus eſt, ut ſupra dictum; ipſo etiam Concilio II. generali ſub Damaſo Can. 2. jura Antiocheni Patriarchæ vindicante: *Orientis Epiſcopi Orientem tantum gubernent, ſervatis privilegiis, quæ Nicænis Canonibus Eccleſiæ Antiochenæ tributa ſunt.* c.) Tempore vero Epheſini Concilii Oecumenici, id eſt an. 431., Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus

teſte S. Leone M. (Ep. 62. ad Maximum Antiochenum) ex occaſione indignationis communis Patrum adverſus Joannem Patriarcham Antiochenum Neſtorio amicum *ad obtinendum Palæſtinæ provinciæ principatum credidit* ſe poſſe pertingere: ſed a S. Cyrillo Alexandrino, operam huic navante S. Leone, tunc Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, conſtanter repreſſus eſt. Idem vero inſtaurans auſus ſuos in Concilio Chalcedonenſi, poſt multam Patrum oppoſitionem non niſi pacto quodam & ſtipulatione ab ipſo primum Antiocheno Patriarcha ſuo Maximo, deinde vero etiam conſenſu Patrum in Concilio præſentium, jus in tres Palæſtinas obtinuit in Act. VII.: cum ipſe viciſſim a petitione ſua & prætenſione priſtina in provincias Arabiæ & utriusque Phœniciæ deſiſteret. At enim S. Leo M. jam tunc ipſe Papa Romanus acta illa Concilii omnia in cit. Ep. reſcidit. d) Conſtat nihilominus, Juvenalem, Marciani Imperatoris fultum auctoritate, deinceps jura Patriarchæ in tres Palæſtinas contradicente licet ſede Apoſtolica exercuiſſe (teſte Evagrio Hiſt. L. II. c. 5. & Liberato Carthaginenſi Archidiacono in Breviario c. 13.): donec denique eadem ejus ſucceſſoribus in Concilio Generali V., quod an. 552. convocatum eſt, præſente Papa Vigilio fuere confirmata; id quod diſcimus tum ex inſcriptione reſcripti Synodici ad Joannem Conſtantinopolitanum miſſi, quod ita habet: *Joannes Dei miſeratione Epiſcopus Jeroſolymorum & S. Synodus trium Palæſtinarum;* tum ex Guillelmo Tyrenſi Archiepiſcopo in Notitia Patriarchatus Jeroſolymitani, quam hiſtoriæ ſuæ de bello ſacro ſubjecit: quamquam Synodicum decretum, de quo is ſcriptor meminit, nusquam extet.

198.

Metropolitas & Patriarchas primitus Apoſtoli ipſimet inſtituerunt. Docemur iſtud 1'.) EX SS. SCRI-

Scripturis; in quibus illuſtre de hoc extat exemplum in Ep. ad Titum I. 5. *Reliqui te Cretæ*, ſcribit Paulus ad Titum, *ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*: ubi conſtat ex ſupra dictis (173. n. 2.) per presbyteros intelligi Epiſcopos. Porro Menologium Græcorum ab Eminentiſſimo Cardinale Sirletò latine redditum, & editum ab Henrico Caniſio in Tom. II. Antiq. Lect., teſtatur ad diem 25. Auguſti, S. Titum Gortynenſis civitatis Epiſcopum fuiſſe; quod idem habent Menea Græcorum. Porro in ſecundo Chriſti Seculo Philippus Gortynenſium Epiſcopus pro præcipuo totius Cretæ Antiſtite habitus eſt; ut patet ex Epiſt. S. Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, qui teſte Euſebio IV. 23. *Eccleſiæ Gortynenſi & reliquis ſimul Eccleſiis Cretæ literas ſcribens, Epiſcopum ipſorum Philippum magnopere prædicat.* Ubi ſane Philippus inter omnes veluti præcipuus & veluti præpoſitus reliquorum prædicari haud alia ex cauſſa dici poteſt, niſi quod, ceu ſucceſſor S. Titi, Metropolitæ jure in ceteros illius inſulæ Epiſcopos gaviſus fuerit. *Aliud argumentum* ex inſcriptionibus Epiſtolarum Apoſtolicarum ſumitur, ad provincias civiles earumque Metropoles ſic directis, ut ipſas quoque Eccleſiarum ad formam Imperii Romani diſtributiones per provincias Eccleſiaſticas indicent, in quibus Metropolitani jam ab ipſis fuerint conſtituti, a quorum cura & ſolicitudine præcipue provinciarum cauſſæ dependebant. Sic S. Petrus Epiſtolam ſuam Canonicam ex Babylonia, id eſt, ex Urbe Roma, *fidelibus diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ inſcribit.* Sic S. Paulus ad cunctas Achajæ Eccleſias ſcribens, literas ſuas Metropolitanæ civitatis Eccleſiæ inſcribit: *Eccleſiæ Dei*, inquit II. Cor. I., *quæ eſt Corinthi, cum univerſa Achaja.* Ad quæ verba S. Chry-

Chryſoſtomus homil. 1. adnotat: *cur ad metropolin ſcribens, omnibus per eam ſcribat?* Quod idem notat in locum eundem S. Ambroſius; & conſtat alioquin ex Annæo Floro L. II. c. 16., Achajæ metropolin politicam Corinthum fuiſſe. 2°.) Enimvero argumenta iſta ex Scripturis petita ſe ſolis quidem tam convincentia non ſunt; quin ſuſpicari nihilominus quis poſſit, Eccleſias ſolum ita diſtinctas fuiſſe ab Apoſtolis propter diſtinctionem urbium & provinciarum politicam prius jam ab Imperatoribus Romanis factam. At enim ſi reflectamus jam inſuper ad Canones ſupra §. 195. allegatos, ex quibus diſciplina in tertio ſeculo jam inveterata, & *regula antiqua a Patribus conſtituta*, ut loquitur Concilium Antiochenum, dignoſcitur; ſi iſtam componamus cum facto S. Pauli, Titum Cretæ inſulæ præficientis, & cum modo Epiſtolas dirigendi ad Metropoles provinciarum Apoſtolis uſitato &c.; ſi denique neceſſitatem ipſam ſubordinationis alicujus Epiſcoporum in provinciis (cum utique ſupremus Chriſti Vicarius non ſolus ubique omnia etiam mediata poteſtate regere & ordinare in toto orbe terrarum poſſit) ac diviſionis ipſius provinciarum attendamus, cujus aliud initium neſcimus: enimvero his omnibus conſideratis veriſimillimum profecto fit, originem primam Metropoliticæ dignitatis ab ipſis SS. Apoſtolis exiſtere: & cum Patriarchæ non niſi Metropolitarum Metropolitæ, primæque & antiquiſſimæ Patriarchales ſedes eodem ipſæ ſint, quæ a S. Petro tum per ſe ipſum, uti Antiochena & Romana, tum per S. Marcum diſcipulum ſunt primitus fundatæ; idem de iſtarum origine omnino valet, quod de Metropoliticis Eccleſiis dictum eſt.

*** Nimirum Apoſtoli vel ipſimet primum in primariis provinciarum quarumvis Urbibus Evangelium prædicabant, ad quas populi ex ceteris minoribus concurrebant frequentius;**

tius; & in eisdem Epiſcopum conſtituebant, qui poſt ſuum ad alias provincias diſceſſum novellum gregem ſuſciperet paſcendum, atque Evangelium etiam in minora loca diffunderet, atque etiam Epiſcopos in his, cum conſultum videretur, inſtitueret; vel etiam ad quasdam Metropoles & provincias, ad quas omnes ipſi accedere non poterant, diſcipulos & minoris Ordinis Apoſtolos mittebant cum ſimili mandato. Metropoleon id genus Epiſcopi reſpectu aliorum, quos ipſi in reliquis provinciæ urbibus inſtituerant Epiſcopos, veluti Patres erant ſpirituales, quibus iſti per ſe ob inſtitutionem ab eis primitus acceptam reverentiam lege naturali hypothetica debebant. Suppoſita hac lege naturali Apoſtoli ejus executionem urgebant, & ad accepti beneficii memoriam, tum vero ob certam Eccleſiarum ipſarum neceſſitatem utilitatem, cui proſpicere tenebantur, minorum locorum Epiſcopos obedire in certis rebus Metropoleon Epiſcopis, & ab his ordinationem inſtitutionemque accipere in perpetuum juſſere: cui juſſui primæ illius Eccleſiæ Epiſcopi, nota caritate & modeſtia viri, etiam volentes paruere.

* * At enim alia gravior ſupereſt quæſtio: *qua videlicet poteſtate Metropolitis Apoſtoli ceteros Epiſcopos ſubjecerint; Metropolitis*, inquam: nam *Patriarchas* ſaltem *majores tres* ab ipſo S. Petro pro jure divino ſui Primatus ceteris & Metropolitis & Epiſcopis ſuis poteſtate delegata (34.) præponi potuiſſe, & actu fuiſſe præpoſitos, ex dictis extra controverſiam eſſe ultro dignoſcitur: ex adverſo æque indubitatum eſt, non omnes Metropolitas ab ipſo S. Petro per ſe immediate inſtitutos fuiſſe, ſed quam plurimos a ceteris Apoſtolis. *Sunt itaque, qui exiſtiment, non certa lege Apoſtolica, ſed* hortatu ſolum & paterna inſtitutione Epiſcopos minorum urbium Metropolitis ſubordinatos initio fuiſſe; ac *ſolum conſuetudine firmatam initio eam ſubordinationem; quin & præſcriptione Metropolitarum*, poteſtati ſuæ firmiter & cum vi legis inſiſtentium, roboratam fuiſſe; donec a Concilio Nicæno publica Eccleſiæ univerſalis lege de-

mum

mum fuerit confirmata. *Sunt alii, qui putent, Apoſtolos ſpeciali*, nec ad ſucceſſores ſuos quoslibet Epiſcopos transmittenda, *poteſtate ſibi divinitus ſingillatim conceſſa eam ſubordinationis legem inde ab Eccleſiæ exordiis edidiſſe.* Ego vero ita ſtatuo.

199.

Neceſſaria non fuit Apoſtolica ſpecialis poteſtas; divinitus ſingulari jure ſingulis Apoſtolis data, ad ſtabiliendos ſubordinationis gradus inter Epiſcopos a ſummo Pontifice & Chriſti ſupremo Vicario diverſos: &, cum non extet id genus ſpecialis divinæ conceſſionis veſtigium, non eſt aſſerenda. Poterant enim id totum negotii conficere collatis cum S Petro inde ab initio conſiliis, & delegata ab ipſo, ceu omnium ſuperiore ſupremo, poteſtate; & vero actu ſic absque ſpeciali cuiquam alteri hominum divinitus conceſſa id genus poteſtate, ſolo accedente conſenſu ſucceſſorum S. Petri, deinceps ſecutis temporibus novi Metropolitæ ſunt conſtituti; uti Cæſareenſis reſpectu ipſius Jeroſolymæ; poſtquam hæc a Tito Imperatore everſa, cum nomine honorem dignitatis priſtinæ amiſit: imo & novi Patriarchæ; uti Conſtantinopolitanus cui ſaltem ſeculo ſexto & ſequentibus honor iſte legitime a Romanis Pontificibus eſt confirmatus, vel permiſſus. Taceo alios, qui poſterioribus primum ſeculis auctoritate Romanorum Pontificum recens ſunt inſtituti: quos legitima poteſtate, præſertim conſenſu Eccleſiarum, quarum intererat, accedente, iſtud feciſſe, tum ſane extra dubium erit; ſi & de illorum jurisdictionis univerſali primatu, & de Patriarchatu Jeroſolymitano & Conſtantinopolitano non niſi per ipſos conſentientes denique legitime conſtitutis, mecum convenias. Certe conſtitui ſic potuiſſe legitime, extra dubium eſt. Ergo neceſſaria ad hoc neutiquam ſpecialis poteſtas, Apoſtolis ſingulis divinitus conceſſa:

ceſſa: *quod primum.* Porro nullum poſitivum argumentum iſtiusmodi divinæ conceſſionis extare, omnes conſentiunt; ſecus in explicanda iſta inſtitutione non tam in diverſas ſententias abituri. Cum econtra, communicato cum S. Petro conſilio omnia Apoſtolos inde ab initio feciſſe, tum ex Conciliis Apoſtolicis Jeroſolymæ celebratis, tum ex facto S. Pauli pro certo conſtet; qui, licet non ab homine, ſed ab ipſo Chriſto conſtitutus, & de omnibus dogmatis pleniſſime edoctus Apoſtolus, tamen Jeroſolymam acceſſit, cum Petro, & iis, qui videbantur aliquid eſſe, conſilia collaturus. *Aſcendi* (Jeroſolymam ait ad Galat. II. 2.) *ſecundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe; ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Quo ſane in loco monumentum aliquod illuſtre habemus illius ſtudii unitatis Epiſcopalis, quam vel ipſi ſummi Apoſtoli colebant. Itaque aſſerenda non eſt ſpecialis illa & propria Apoſtolorum omnium poteſtas: *quod alterum.*

* *Neque dicas*, conſtare de tali poteſtate Apoſtolorum in ſimili argumento, videlicet in inſtituendis ubivis locorum Epiſcopis; quæ tamen Epiſcopis ipſis illorum ſucceſſoribus communis non eſt. *Nam reſpondeo:* illa poteſtas eo ipſo divinitus Apoſtolis omnibus data eſt, cum ire in mundum univerſum, & inſtituere Eccleſias juxta ac muneris ſui Epiſcopalis ſucceſſores a Chriſto juſſi ſunt; & nihilominus eadem ipſa poteſtas erat ſupremo Primatui S. Petri itidem divino jure ſubordinata. Atqui ſubordinata iſta poteſtas etiam ad Epiſcopos eorum ſucceſſores transmittitur; quibus profecto nullo jure prohibitum eſt, imo ex caritatis officio incumbit, ſiquas diœceſibus ſuis vicinas infidelium regiones habeant, cum debita erga S. Petri Succeſſorem ſubordinatione novas in illis Eccleſias atque etiam Epiſcopos inſtituere; uti ſupra §. 194. not. n.5. aliquod iſtius rei exemplum de S. Joanne Chryſoſtomo retuli, in Scytharum regione

gione recens ad fidem converſa Unilam Epiſcopum ordinante, & inſtituente. Interim ex eo minime ſequitur, poſſe etiam Epiſcopos deſertis propriis Eccleſiis more Apoſtolorum per totum orbem circumvolare, & pro arbitrio infidelium converſioni & novis Eccleſiis ac Epiſcopis inſtituendis vacare: quia id cum propriarum damno Eccleſiarum, & contra ſupremi Chriſti Vicarii legem fieret, quo jure invito nec Apoſtolis tale aliquid licuiſſet.

200.

Si abſque lege Apoſtolica expreſſa, & ſola conſuetudine introducti ſunt gradus ſuordinationis Epiſcopalis erga Metropolitas, conſenſu aliquo ſupremi Chriſti Vicarii, tacito, vel expreſſo, ad eorum legitimam inſtitutionem & perdurationem opus fuit. Conſtat ex Jure naturæ Sociali, in omni ſocietate inæquali, cui jam aliquis legitimus princeps vi legis fundamentalis ſummo imperio præeſt, nullam conſuetudinem vim legis ſine iſtius conſenſu, tacito, vel expreſſo, obtinere; multo vero minus ſine id genus conſenſu per quemcunque conſenſum ipſorum ſubditorum alteri cuicunque perſonæ immediatam in ipſos jurisdictionem cum præjudicio ſummi principis, fundamentali lege conſtituti, transmitti poſſe. Quodſi hoc evidens plane eſt de ſocietate mere voluntaria inæquali; qualis eſt respublica quævis humana & civilis non mere democratico ſub regimine inſtituta; profecto idem a fortiori valet de Societate Eccleſiaſtica Chriſtiana; cujus ſupremum imperium lege fundamentali, non humana, ſed divina, ac proinde per nullum arbitrium & quemcunque conſenſum humanum ſolorum ſubditorum mutabili, uni ſupremo Chriſti in terris Vicario commiſſum, & confirmatum eſt.

201.

201.

Etſi hypotheſin hanc aſſumas, quod Apoſtoli, poteſtate ſpeciali ſingulis divinitus conceſſa, Metropolitas primitus inſtituerint: tamen evidens eſt, id aliter ab eis factum non eſſe, quam ſalvo omni ſupremo principatu S. Petri divinitus jam inſtituto, & cum certa ac perpetua Metropolitarum pari, atque ipſorum ſimplicium Epiſcoporum, erga ſupremam illius poteſtatem ſubordinatione. Evidens enim eſt, poteſtatem Apoſtolis quocunque modo divinitus conceſſam ſe non extendiſſe ad mutandam legem fundamentalem regiminis Eccleſiaſtici antehac ab ipſo Chriſto divinitus conſtitutam. Atqui tali lege fundamentali divina inſtituta eſt ſuprema S. Petri in omnes reliquos Apoſtolos ad horum quoslibet ſucceſſores Epiſcopos immediata jurisdictio, iſtorumque ſubordinatio ad illam. Ergo &c.

202.

I. *Veriſimile non eſt, alia quam delegata a S. Petro poteſtate Apoſtolos Metropolitas cum jurisdictione ſuperiore in ceteros ejusdem provinciæ Epiſcopos inſtituiſſe.* Patet ex §. 199. Cujus quoque grave indicium eſt, quod primæ ſedes Patriarchales non niſi in Eccleſiis a S Petro fundatis inde ab Apoſtolorum tempore conſtitutæ, eisque omnes ceteræ Eccleſiæ, etiam ab Apoſtolis ceteris fundatæ ſubjectæ fuerint.

II. *Certum eſt omnem Metropoliticam & Patriarchalem poteſtatem ſupremæ poteſtati S. Petri, ejusque ſucceſſorum, perinde atque jurisdictionem omnibus Epiſcopis communem, ſubordinatam eſſe* (200. 201.)

III. *Æque certum eſt, inſtitutionem Metropoliticæ & Patriarchalis poteſtatis quocunque modo factam non poſſe præjudicare ſupremæ S. Petri ejusque ſucceſſorum poteſtati immediatæ in omnes Epiſcopos; quo minus illi, neceſſitate Eccleſiæ ita exigente, immediate Epi-*

ſcopos quosvis judicare, atque etiam quæcunque humanitus, etiam per Apoſtolos, circa illorum ſubordinationem, vel reſtrictionem quamcunque Epiſcopalis poteſtatis conſtituta, abſolute mutare, atque alia ratione ordinare poſſint; modo non deſpotice, ſed ſalvis regulis ſupra Cap. VI. conſtitutis, id faciant.

IV. *Veriſimile non eſt, Metropoliticam & Patriarchalem poteſtatem eſſe diverſam a delegata ipſius S. Petri ac Succeſſorem illius poteſtate.* Sequitur ex Cor. I. hic.

V. *Metropolitis nulla in ſubditos Epiſcoporum immediata competit poteſtas, ſed tantum mediata; quatenus immediata poteſtate delegata in caſibus a ſummo Chriſti Vicario determinatis ſubjectos ſibi Epiſcopos judicare poſſunt.* Immediata enim in Chriſtianos quoslibet juriſdictio Epiſcopis illorum jure divino convenit (181.); nec S. Petrus, ſeu per ſe, ſeu per SS. Apoſtolos, Metropolitis qua talibus aliam in ſubditos Epiſcoporum ſibi ſubjectorum poteſtatem niſi mediatam delegare potuit; quam ſolam ſcilicet ipſe habuit (18. IV.).

* *Quid S. Petri in Primatu ſucceſſor in inſtituendis Metropoliticis dignitatibus poſſet*, facto ipſo oſtendit *S. Innocentius I.*, non ſolum cum jura Patriarchalia in ep. ad Alexandrum Antiochenum pro ſumma poteſtate authentice declararet (196. n. 2. ſub lit. c.) ſed etiam in prohibenda diviſione diœceſis Metropoliticæ Cæſareenſis. Cum enim Imperator Valens, ut Baſilii Cæſareenſis minueret auctoritatem, Cappadociam in duas diviſiſſet (vide S. Gregor. Nazianz. Orat. XV.), & Tyanam ſecundæ Cappadociæ caput conſtituiſſet; Anthymus ejus Epiſcopus Baſilio ſubeſſe renuerat, ac Metropolitica jura ſibi vendicaverat. Hoc novitatis genus damnans Innocentius, continuo ad eundem Alexandrum Antiochenum Patriarcham, cui Cæſarea Cappadociæ ſuberat, reſcripſit in hunc modum: *Quod ſciſcitaris, utrum diviſis* *impe-*

imperiali judicio provinciis, ut duæ Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari; non eſſe e rè viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoresque aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſſis faciendas duxerit Imperator. Ergo ſecundum priſtinum Provinciarum morem Metropolitanos Epiſcopos convenit numerari. Notum quoque eſt, quid SS. Pontifices *Zoſimus*, *Bonifacius I.* & *S. Leo M.* in cauſſa Metropoliticæ dignitatis controverſæ inter *Arelatenſem*, *Viennenſem*, & *Narbonenſem* in Galliis Eccleſias ſeculo quinto decreverint.

CAPUT IX.

DE EXTENSIONE UNIVERSÆ POTESTATIS ECCLESIASTICÆ, LEGE POSITIVA A CHRISTO DOMINO INSTITUTÆ.

203.

Extenſio poteſtatis cujuslibet eſt multitudo diverſorum effectuum, quibus determinandis illa ſufficiens eſt.

204.

Quoniam alia eſt poteſtas ordinis ſacri in Eccleſia, alia poteſtas legislatrix & jurisdictio (31. 34. 168.): *ut tota extenſio Eccleſiaſticæ poteſtatis a Chriſto inſtitutæ oſtendatur, tam poteſtas ordinis, quam jurisdictionis ſacræ; quo usque ſe extendant exponi debet;* cum de alia poteſtate & eodem inſtituta non conſtet.

205.

Poteſtas ordinis ſacri ad conficienda Sacramenta a Chriſto inſtituta, & ad ordinationem ipſam, ſeu actionem externe ſenſibilem, qua ordo ſacer certis perſo-

perſonis confertur, *ſe univerſe extendit. Primum* ex ipſa definitione ordinis ſacri conſtat (168.): *alterum* ex eo patet, quod per dicta §. 174. diverſus ſit gradus ordinis Epiſcopalis & ſimplicis presbyteri; quin ſit aliud utriusque diſcrimen, quam quod Epiſcopi ordinare alios presbyteros & Epiſcopos poſſint, non item presbyteri. *Denique* de alia virtute poteſtatis ordinis, quatenus hæc ex divina inſtitutione eſt, nuſpiam quid extat.

206.

Ut extenſio jurisdictionis & poteſtatis legislatricis Eccleſiaſticæ a Chriſto lege poſitiva inſtitutæ univerſe exponatur, oſtendi debet 1'.) *quid valeat jurisdictio ſacra circa declarationem, & executionem legum divinarum, tam naturalium, quam poſitivarum;* quatenus nempe jurisdictio a poteſtate legislatrice ſeorſim ſeſe exſerere poteſt (33.): 2'.) *quid valeat poteſtas legislatrix Eccleſiaſtica in ferendis etiam legibus mere humanis;* quæ legibus divinis ſola ipſius emphaſi ſuperaddantur: 3'.) *quo usque poteſtati prædictæ legislatrici ſubjaceat uſus quiscunque ipſius poteſtatis ordinis, ſeu Epiſcopalis, ſeu presbyterii.* Cum enim uſus iſte per ſe capax ſit, ut legibus regatur; extet vero a Chriſto inſtituta poteſtas legislatrix, tum in Epiſcopis immediata, tum mediata in ſupremo Chriſti Vicario; cui omnis adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum ſubjecta ſit; evidens eſt, uſum quoque cujuscunque poteſtatis ordinis poteſtati legislatrici Eccleſiaſticæ ſubjacere.

ARTI-

ARTICULUS I.

DE AUCTORITATE ECCLESIÆ INFALLIBILI IN DECLARANDIS LEGIBUS DIVINIS FIDEI ET MORUM.

207.

Eccleſiæ jurisdictio, ſi ex præſcripto legis fundamentalis a Chriſto conſtitutæ exerceatur, ad quasvis leges divinas, ſeu naturales, ſeu poſitivas, ſeu fidei, ſeu morum, infallibili authentico judicio declarandas ſe extendit. Conceſſit enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ rectoribus, Apoſtolis videlicet, eorumque in omne ævum ſucceſſoribus, infallibilem poteſtatem docendi (119.), id eſt, declarandi authentice (28.) omnes leges divinas; qua ſi ex præſcripto legis fundamentalis a ſe conſtitutæ rite uterentur, ipſe ita eis eſſet in omne tempus per S. Spiritum aſfuturus, ut nunquam inferni portæ ſint contra Eccleſiam, petræ, id eſt, capiti ſuo, inædificatam prævalituræ. Atqui prævalerent ſane inferorum portæ adverſus Eccleſiam, id eſt, gravis ruina Eccleſiæ abeſſe non poſſet; ſi Eccleſiæ rectores quicunque in nomine Chriſti congregati, id eſt, cum ſuo Capite ſupremo viſibili conjuncti, ac proinde poteſtate docendi divinitus ſibi conceſſa legitime utentes, in declarandis legibus quibuscunque divinis a vero aberrare poſſent. Cum enim *leges divinæ* omnes, ſeu ex neceſſitate ſumma, ſi *naturales* ſint, ſeu certe ob prævisam majorem ſalutem communem & utilitatem ſine illis non obtinendam, *ſi poſitivæ ſint*, unice ferantur (Ethic. Univ. Chriſt. §§. 357. 399.): ſi in illis authentice declarandis erraretur; aut ruina poſitiva, aut majoris certe ſalutis jactura abeſſe non poſſet. Jam vero ſicuti univerſa mundi iſtius per divinam providentiam diſpoſitio, ita etiam omnis Eccleſiaſticæ jurisdictionis inſtitutio ad maximam totius hu-

mani generis communem ſalutem, ceu ad finem ultimum omnium poſſibilium optimum, certiſſime collimat, eidemque conformiter a divina Chriſti ſapientia ordinatur.. *Denique* ſi errare Eccleſia in authentica id genus declaratione & judicio poſſet; profecto non poſſent Chriſtiani omnes lege divina ad credendum eidem graviter obligari: atqui obligantur (120.); ergo &c. &c.

* *Dices* 1'.), ſufficere, ſi Eccleſia in iis non erret, quæ ad ſalutem omnibus ſcitu abſolute neceſſaria ſunt (quos Proteſtantes vocant *articulos fidei fundamentales*; & quos falſo plerique Catholici Scriptores dixere diſcerni non poſſe): 2'.) ignorantia & error ipſe ſubinde per accidens prodeſſe poſſunt ad majorem ſalutem communem, eo ipſo, quod idcirco Deus etiam errorem & ignorantiam juris naturæ in non neceſſariis abſolute ad ſalutem ſæpiſſime permittat. Sed *reſp. ad* 1. ſufficere hoc ad abſolutam moralem poſſibilitatem ſalutis omnium, *concedo*; ad maximam ſalutem communem; qui neceſſarius eſt finis uti creationis, ita inſtitutionis omnis poſitivæ; *nego*. Ad hunc enim finem ſicuti notitia certa omnium legum divinarum, ceu totidem mediorum, ita certa promulgatione & authentico Eccleſiæ magiſterio eſt opus. *Ad* 2 ajo, errorem particularem unius & alterius individui, vel etiam multorum, quidem reſpectu particularium prodeſſe poſſe; at non errorem communem relate ad communem maximam ſalutem (vide dicta in Ethica Univ. Chriſt. §. 592.): ſecus leges illæ divinæ carerent hoc ipſo ratione ſufficiente, nec proinde actu ferri potuiſſent: cum lex communiter non prumalgata hoc ipſo exiſtentia deſtituatur. Enimvero Chriſtus, cum ad docendum omnes gentes mitteret Apoſtolos ſuos, diſcrimen non fecit inter dogmata abſolute neceſſaria, & alia poſitivæ legis: ſed univerſe dixit: *docentes eos ſervare omnia, quæcunque dixi vobis*: & S. Paulus Apoſtolus ne in una quidem lege, ex. gr. de circumciſione non neceſſaria ad ſalutem, errorem communem in ſuis Galatis permiſit;

fit; ad quos ſcripſit V. 2.: *ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis prodeſt.*

* * Atque hoc ſenſu idem S. Paulus 1. Timoth. 15. *Eccleſiam* vocat *columnam & firmamentum veritatis* ſimpliciter, nimirum non ſolum illius, de qua mox ſubdit mentionem verſu ſequente, dicens: *& manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod eſt manifeſtatum in carne, juſtificatum in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumtum eſt in gloria;* id eſt, myſterii Incarnationis; uti voluit Calvinus. Nam evidens eſt ex tota œconomia miſſionis divinæ Jeſu Chriſti ut *Magiſtri*, veritatem myſterii Incarnationis ſolum ſe habere inſtar medii, finem autem ejusdem unum ex præcipuis fuiſſe, ut divinus Magiſter, viſibili ſpecie præſens, in *omnibus* veritatibus ad religionem veram, internam, & externam pertinentibus, atque utilibus ad ſalutem, nos quam pleniſſime inſtrueret. Inde erat illud ejusdem ſtudium & aſſiduitas in Apoſtolis erudiendis, atque ipſa S. Spiritus in vicem ſuam poſt aſcenſum ad cœlos ſubſtitutio; qui illos de *omnibus* denuo *edoceret*, ac tempori commoneret, *quæcunque* ipſe illis præſens *dixiſſet.* Enimvero ſi poſt Apoſtolorum deceſſum Eccleſia ejusque rectores rurſum errori in omnibus ceteris doctrinis a Chriſto acceptis obnoxii ſunt; quid prodeſt ſola certitudo erroris expers de veritate Incarnationis? imo quid ipſum profuit nobis *Magiſterium* Jeſu Chriſti? quid miſſio S. Spiritus poſteriorum temporum Eccleſiæ prodeſt? Fruſtra *urget Calvinus*, de Eccleſia tantum particulari Apoſtolo ſermonem eſſe; cui ſcilicet Timotheus ab ipſo fuerat præfectus, & quæ nec ſecundum Catholicos infallibilitatis dono potiatur. Fallitur enim inprimis in eo, quod aſſumit: quia Epiſcopus etiam particularis, qualis erat Timotheus, *in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, converſans* (ut Paulus loquitur) non ſolum ſuæ Eccleſiæ vivit, ſed univerſæ fidelium Societati tanquam publica perſona, unitati fidei, & communi nexui ſociali cum omnibus mediante eodem capite conſervando ex officio invigilans. Præterea errat Calvinus, ſi

exiſtimat, etiam ſimplicem Epiſcopum errare poſſe, ſi doceat conſentiens cum capite Eccleſiæ, id eſt, ſi jurisdictione ſua utatur ſecundum legem fundamentalem a Chriſto conſtitutam. Unde ajo ulterius:

208.

Sive cum paucis, ſive cum multis Epiſcopis, ceu immediatis Eccleſiarum particularium rectoribus, judicet de divinis legibus, naturalibus; aut poſitivis, ſupremus Chriſti Vicarius authentica, id eſt, publica & ad omnem Eccleſiam directa, earum qua talium declaratione; omne id genus judicium erroris expers eſt. Ubi enim & quoties Chriſtus ipſe in medio eſt inter vicarios ſuos miniſtros, miniſterio ſuo actu fungentes; ibi & toties error in declaratione legum ejusdem quarumcunque locum habere non poteſt. Atque in medio eorum toties virtute ſua præſens eſt; quoties in ejus nomine, id eſt, conformiter legi fundamentali a ſe conſtitutæ, ſuo miniſterio funguntur; ſive quoties cum capite Eccleſiæ ac ſupremo ſuo Vicario conjuncti ſunt; ſeu multi ſint, ſeu pauci, etiam duo, vel tres ſolummodo (130. 131. 135. ſeq.)

* Dixi, *in publica declaratione Legum divinarum* errare ſupremum Chriſti Vicarium cum Epiſcopis ſibi conſentientibus non poſſe; per quam videlicet talem intelligimus, quæ publicæ promulgationis, reſpectu totius Eccleſiæ per ſe ſufficientis, rationem habeat, & qua proinde legem divinam toti Eccleſiæ applicet. Unde ab errore neutiquam eximitur perſona ſummi Pontificis in ſententiis privatis.

** *At enim* recuſant plurimi ex Chriſtianis id genus judicium Eccleſiæ, & cum celeberrimo Lockio (Le Chriſtianiſme Raiſonnable Chapitre IV. V. VI.) propugnant, ut quis Chriſtianus ſit, non eum obligari ad aliud credendum, niſi, *Deum exiſtere,* & *Jeſum Chriſtum fuiſſe Meſſiam*: quod utrumque ſi credat, oblato ipſi divino Scripturarum

codi-

codice illum relinqui debere *privato ſuo judicio* (vel *ſpiritui*, ut loquuntur) ita, ut, quod rite cognoſcit ex SS. Scripturis fuiſſe a Chriſto aut revelatum, aut præceptum, id quidem credere, & facere, porro obligetur; id vero, quod ipſe in Scripturis revelatum, aut præceptum eſſe, certo detegere non poſſit, nihil ad ipſum veluti pertinere; atque ita, quidquid ſuo privato judicio ex Scripturarum lectione de ceteris dogmatis ſentiat, etſi erret in plurimis, vel in paucis, reſpectu ſalutis ipſius æternæ indifferenter ſe habere; modo id credat, atque exequatur, quod revelatum, ac præceptum a Chriſto fuiſſe, ipſe ex Scripturarum lectione ac certa interpretatione dignoſcit. His præmiſſis Lockius rectiſſime & cum plena evidentia urget *univerſos Proteſtantes*, qui omnes Eccleſiæ infallibilitatem negant; affirmans, non poſſe quamlibet ipſorum factionem obligare alteram, ut credant alii dogmata, quæ una illorum pars putat ſe in Scripturis expreſſa invenire. Quodſi enim ſola Scriptura & interpretatio ex mei unius ſpiritus privati judicio facta mihi unica credendi regula eſt; cur alterius potius credam interpretationi, quam meæ propriæ? Evidens ergo eſt, cogi Proteſtantes omnes, ut promiſcue invicem ſe tolerent, ac ceſſent nomina factionum Lutheri, Calvini, Zwinglii &c. &c. *Catholici* econtra, inquit, infallibilitatem judicii in rebus fidei ac morum Eccleſiæ tribuentes, dum alias ſectas tolerare nolunt, eo principio ſemel ſuppoſito magis ex conſequentia loquuntur. At enim principium illud ſine ratione ſufficiente aſſumitur ab illis. Quodſi enim verum id eſſet, ac fundamentalem fidei articulum conficeret, tam clare in Scripturis Apoſtolicis expreſſum eſſe deberet, atque illud, quod *Chriſtus Meſſias fuerit*, ut ſcilicet a nemine, Scripturas legente, non poſſet non facillime cum omni certitudine intelligi. Atqui, pergit ille, hoc nuſpiam invenire eſt in Scripturis, adeo, ut de locis atque textibus, ex quibus eruere id Catholici conantur, ipſimet litigent, quo

pacto intelligendi ſint, & inter ſe diſceptent; cuinam perſonæ Chriſtus donum illud infallibilis judicii contulerit: an ſummo Pontifici? an Conciliis, ſic ut iſta Papa ſuperiores auctoritate ſint? an ſimul Conciliis cum Pontifice? Denique, ait, cum Catholici ipſimet fateantur, ſe non niſi ex SS. Scripturis probare poſſe hoc infallibilitatis donum a Chriſto Eccleſiæ conceſſum; quidſi ego, aut quiscunque alius, dogma hoc expreſſum actu in Scripturis non intelligamus; quidſi locis pro eo allegari ſolitis longe aliud ab illo exprimi nobis plane videatur; quo pacto obligabimur illud credere? an quia Catholica ſic intelligit Eccleſia? Atqui ſic non id credam Jeſu Chriſto, ſed hominibus; & pari jure quævis alia Eccleſia infallibilem profiteri ſe quoque poterit. Interim (concludit ille) etſi quædam Scripturæ loca non intelligam eodem modo cum Eccleſia Catholica, aut etiam omnino non intelligam: cum confitendo, Chriſtum Meſſiam eſſe, & ejus revelationibus ac præceptis aliis, quæ in Scripturis detego, fideliter credendo & obediendo, certo nihilominus Chriſtianus ſim; quo jure Catholici anathemate me feriendo dæmonibus devovent?

* * * Huic profundi Lockii ratiocinio quam parum *Proteſtantes quicunque* ſectæ ſuæ ſtudioſiores reſpondere aliquid ſolidi poſſunt; tam magnam vim addunt (niſi me omnia fallunt, etiam *ii Catholici*, qui in eis ipſis textibus Scripturæ, ex quibus præcipue dogma infallibilitatis Eccleſiæ ipſimet probari conſentiunt, eam ineſſe obſcuritatem concedunt, ut non niſi ſecundum ſenſus maxime tortos, & literali vocum ſignificatui ac conſtructionis ſyntaxi prorſus adverſos intelligi debere propugnent. Enimvero ſi Matth. XVI. tam obſcure locutus eſt Chriſtus, ut dubium ſit, an ſoli Petro, an toti Eccleſiæ loqueretur; an ipſe ſeſe, an Petrum Eccleſiæ fundamentum ædificii iſtius dixerit &c. &c.; profecto Proteſtantibus vitio vertere nemo poterit; ſi haud omnino ibi ſermo aliquis eſſe de immunitate ab errore in dogmatis fidei eisdem videatur. *Nec prodeſt* quidquam, quod Catholici Docto-

Doctores omnes conſentiant, ibidem exprimi infallibilitatis privilegium ſimpliciter Eccleſiæ conceſſum; etſi obſcurum ſit, cui perſonæ illius exercitium ſit commiſſum. *Nam*, præterquam quod talis ejus concedendi modus ſapientiæ divini Legislatoris oppido male conveniat (114. 115.): ſiquidem ſemel ſerio concedas, obſcure declaratam a Chriſto fuiſſe *perſonam*, per quam, & *modum*, quo judicium falli neſcium ferri in Eccleſia debeat; profecto non jam probare poteris, majori claritate ipſam ſubſtantiam conceſſi ibidem privilegii expreſſam eſſe. Quapropter ſincere fatendum exiſtimo, Syncretiſtis æque ac Proteſtantibus univerſis arma periculoſa miniſtrata a Catholicis fuiſſe; cum moderandæ immodicæ Pontificiæ auctoritatis ſtudio textus S. Scripturæ præcipuos, quibus lex fundamentalis totius regiminis a Chriſto conſtitutæ exprimitur, obſcuris & tortis explicationibus involvere laborarunt: ſiquidem conſequentia doctrinæ aperte evertitur, ſi defendas, inæqualitatem aliquam ac regimen a democratia diverſum a Chriſto in Eccleſia fuiſſe per concepta quædam verba inſtitutum, ſimulque propugnes, formam ac modum regiminis iisdem obſcure ſolummodo expreſſum fuiſſe. *At enim* videbimus ſuo loco, perquam facile ſequelis immoderatæ Pontificiæ auctoritatis obviam iri, easque præverti poſſe; etſi auctoritatem ipſam & rationem viſibilis & nulli ruinæ obnoxii fundamenti eidem prorſus intactam relinquamus: cui quippe propoſito vel ſola applicatio regularum Cap. VI. traditarum, & doctrina de immediata Epiſcoporum in particulares Eccleſias, & ſolum mediata Vicarii Chriſti in easdem jurisdictione (§§. 181. 182.) propoſita abunde ſufficiet. His præmiſſis

**** *Equidem Lockio ſic reſpondeo.* 1.) Lockius, ac quivis alius Syncretiſta, nullum ex illis factis, ex quibus Cap. III. inæqualitatem in Societate Chriſtiana Eccleſiaſtica a Chriſto inſtitutam fuiſſe oſtendi, ullo probabili argumento in dubium vocare, nec proinde inficias ire poteſt; quin & Apoſtoli, ceu totidem rectores Eccleſiæ, ſuperiore poteſtate inſtru-

inſtructi, omnia plane religionis dogmata a Chriſto accepta Chriſtianis primis prædicarint; & ad omnia credenda ſingillatim, quæ illis prædicaverint, graviter obligarint; ac denique, qui vel uni ſolum certa fide recipiendo poſt certam declarationem ab ipſis factam refractarios ſeſe exhibuerint, illos nequaquam pro veris Chriſtianis, id eſt, veræ Chriſti Eccleſiæ membris habuerint (144. 145.). Quorſum enim alias dixiſſet *Galatis* S. Paulus: *ſi circumcidamini; Chriſtus nihil vobis proderit?* cur doctrinas ſuis contrarias docentibus I. 7 comminatur: *ſiquis vobis evangelizaverit præter id, quod accepiſtis; anathema ſit.* Itaque ſub initium Eccleſia ſic eſt a Chriſto inſtituta, ut inæqualitas eſſet membrorum, aliis regentibus, aliis regi ſe ut paterentur, & ut fidem eis ceu magiſtris falli neſciis adhiberent, non in uno ſolum alterove primario dogmate, ſed in omnibus, quæ docerent, obligatis. Nulli igitur Syncretiſmo, nulli ſpiritui privato in Scripturis exponendis locus primis in Chriſtianis erat; maxime quod nec Scripturæ novi teſtamenti per annos primos pæne quatuordecim ab aſcenſione Chriſti in cœlos uſpiam extarent; ſed omnia, quæ Apoſtoli ceu a Chriſto tradita ſibi & revelata *oretenus* proponebant, certa fide credere tenerentur omnes, qui pro veris recipi Chriſtianis exoptabant. Inde factum, ut Samaritani quidam, qui, ignari licet, baptiſmum Joannis ſolum receperant, continuo baptiſmo Chriſti ablui ab Apoſtolo juberentur Act. XIX. 4. Idcirco idem Paulum Titum (III. 10.) monet, ut *hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devitet.* 2.) Quodſi initio ſic ædificata eſt Eccleſia a Chriſto, ut certæ fidei omnium dogmatum per doctores viſibiles ac viva voce inſtituentes proſpiceretur, & cuncti ſingula credere obligarentur; dubium non eſt, quin idem ædificium, eidem petræ ceu fundamento innixum, eodem modo hodiedum perduret (128.). 3.) Porro ſi inæqualitas eadem, ſi idem diſcrimen paſtorum & ovium, vi divinæ inſtitutionis in omne ævum perduret; etiam officia eadem, & obligatio credendi doctoribus doctrina ſua paſcentibus, perdurent neceſſe

ceſſe eſt. Si obligatio perdurat credendi in ovibus; enimvero infallibilitas doctrinæ itidem debet perdurare; ſine cujus ſecuritate fides certa locum non haberet. 4.) Quodſi regimen cum obligatione activa conjunctum in perpetuum a Chriſto conſtitutum eſt; etiam modus regiminis illius exercendi & forma certa fundamentali quadam lege conſtituta ut ab eodem ſit, neceſſe eſt; & quidem lege clara, nec ulli obſcuræ interpretationi obnoxia. Hanc in citato loco Matth. XVI. & Joan. XXI. proponi extra dubium eſt: ergo in ſenſu obvio, in quo ſemper ab Eccleſia intellecta ſunt, verba illa Chriſti ſupremi Legislatoris intelligenda ſunt (134. ſeq. 150. 151.). 5.) Quodſi tamen cuicunque, non præjudicio quodam & prava mentis obſtinatione ducto, ſed ſincere rem examinanti, errore mentis prorſus innocuo verba illa Chriſti aliud longe innuere videantur: fatemur, talem, ſi cetera fundamentalia dogmata, ad ſalutem prorſus ſcitu neceſſaria rite credat, & Dei mandata a ſe cognita chriſtianis ex motivis obſervet, & Chriſtianum ſimpliciter eſſe (112. IV.) mente, & voluntate, atque etiam pervenire ad ſalutem poſſe; etſi in vera Chriſti Eccleſia non ſit (142. I.). Falſum enim eſt, Catholicos Theologos unquam defendiſſe, ſeu notitiam, ſeu fidem, de inſtituto a Chriſto Eccleſiaſtico magiſterio infallibili & regimine, ad media ſalutis abſolute neceſſaria pertinere: etſi docuerint, eos, qui, ſcientes iſtam Chriſti inſtitutionem, mera tamen ex pertinacia voluntatis regimini Eccleſiæ ſe ſubjicere noluerint, uti rebelles Chriſto & Eccleſiæ ſunt (cit. II.), & utriusque legibus refractarii, ita ſalute certo privandos; etſi nomen Chriſtiani ſimpliciter talis non amittant; cui quippe conſervando ſola obligatio, illos Eccleſiæ adnectens (112. I. II. VI.), ſufficit. Certe, cum quæ *dogmata fundamentalia* ſint in ſtatu morali præſente Chriſtiano, in mea Ethica univ. Chriſt. §§. 522. 523. 529. definirem; nihil mihi inciderat in mentem de dogmate infallibilis auctoritatis veræ Chriſti Eccleſiæ eisdem accenſendo. 6.) Interim negare nemo Acatholicorum poteſt, ſi revera a Chriſto inſtitutum regimen & poteſtas Eccleſia-

cleſiaſtica eſt, infallibili auctoritate inſtructa ad definiendas omnes fidei controverſias, quemadmodum ea medium ſaluberrimum eſt tum ad unitatem fidei juxta ac animorum pacem, tum inprimis ad univerſum religioſarum doctrinarum & ad ſalutem communiter utilium depoſitum ſalvum ſemper atque integrum conſervandum; ita hoc ipſo ſumme noxios eſſe univerſæ Chriſtianæ Societati eos, qui, ſive ſcientes, ſive ignorantia & errore inducti, eam inficiantur, ac voce ſcriptove publice impugnant. Itaque evidens eſt, vel ipſo ex jure naturali, veræ Chriſti Eccleſiæ (quæ certa eſt, ſumma illa docendi & regendi poteſtate ſe a Chriſto inſtructam eſſe) & rectoribus ejus a Chriſto reipſa inſtitutis, non modo poteſtatem moralem, ſed certam obligationem incumbere, ut veros omnes Chriſtianos ab id genus noxiis hominibus, & adverſus damna ab eis imminentia, mediis per ſe licitis, & ab ipſo Chriſto ſubminiſtratis, defendere ſatagant; ſive ſcientes illi, ſive ignari, gregi ſuo noceant: ſicuti non modo principibus politicis, ſed etiam privato cuique jus certum ac naturale defendendi ſe ſuosque ab omni noxa, etiam ab hominibus mente captis impendente, ſine omni controverſia conceditur. Videndum ergo ſolummodo, quænam media illa juſtæ defenſionis Eccleſiæ veræ rectoribus ſint ab ipſo Chriſto ſuppeditata: qua de re Artic. ſeq. diſputabimus. Et vero, quemadmodum longiſſime totaque mente abſum a condemnandis vulgo Acatholicis etiam profunde doctis (cum certus ſim, ob veras completasque demonſtrationes a Catholicis Theologis ex methodi ignorantia rariſſime propoſitas, etiam doctos innocenter errare poſſe) ita anticipato moneo, eam menti meæ intime inſitam ſententiam hærere, quod, cum raro certitudo haberi poſſit, vincibili, an invincibili errore quiscunque Catholicæ doctrinæ adverſarius erret (nunc inprimis, cum adverſæ doctrinæ præjudicia provincias integras ampliſſimasque actu occupent), non niſi mitiſſima remedia prodeſſe queant; nec duriora, præterquam neceſſitas cogat, unquam adhiberi debeant.

***** *Di-*

* * * * * *Dices* vero præterea 1.) explicari non poſſe, an Epiſcopi, cum Capite Eccleſiæ exercentes judicium falli neſcium, libertate polleant, nec ne. Quodſi enim pollerent illa; etiam errare poſſent: ſi non pollere libertate dicas; gratis & contra experientiam id aſſumere videris; cum conſtet, vota ſæpe in Conciliis etiam Oecumenicis variaſſe. 2.) An immunitas iſta ab errore ex Scriptura probatur? aſt unde de Scripturarum divinitate conſtat? an ex auctoritate Eccleſiæ? hem circulum vitioſum! *Reſp. ad* 1. poſſe Deum tum ſalva libertate ope præſcientiæ ſuæ infinitæ prævidere media inclinandi intellectum & voluntatem rectorum Eccleſiæ, & inprimis Capitis ejusdem; tum vero etiam, ſi neceſſe ſit, erepta libertate divina ſua oracula per ora illorum edere, ſicuti per Caipham prophetantem illis verbis, *expedit vobis, ut unus homo moriatur prô populo &c.*, quin ipſe illud ſciret. *Ad* 2. Monui initio §. 80. ſeqq., me Scripturas novi teſtamenti haud ut divinas ex integro in tota iſta demonſtratione aſſumere, ſed ſolum ut ſumma fide humana authenticas; ac proinde ceu plurima Chriſti Dei Hominis verba concepta & formalia continentes: in quibus nulla obſcuritas ineſſe queat; cum de lege fundamentali conſtituenda illi ſermo fuit.

ARTICULUS II.

DE POTESTATE COACTIVA ECCLESIÆ CHRISTI IN EXIGENDA OBEDIENTIA ERGA LEGES DIVINAS A SE AUTHENTICE DECLARATAS: UBI AGITUR DE TOLERANTIA IN MATERIA RELIGIONIS.

209.

Excommunicatio eſt actio qua cuicunque alicujus Eccleſiæ membro actuali ob culpam aliquam admiſſam aufertur jus utendi ſpiritualibus emolumentis

tis ſeu bonis ejusdem Eccleſiæ, quod prius habebat. *Non communicare in rebus ſacris ſeu Eccleſiaſticis cum aliquo* eſt communem uſum rerum ſacrarum cum eo non facere, eas ab illo non recipere, nec eidem eas miniſtrare. *Excludere a communione Eccleſiaſtica aliquem* eſt vi coactiva obligare ſubditos, ut ei non communicent.

* Nimirum *excommunicatio* in Societate Eccleſiaſtica ſe habet inſtar proſcriptionis in Societate politica.

210.

I. *Excommunicatio ex natura ſua eſt pœna Eccleſiaſtica.* Eſt enim mali phyſici ob culpam illatio, id eſt, excluſio a bonis ſpiritualibus Eccleſiæ.

II. *Excommunicatio ex natura ſua eſt actio propria ſuperioris Eccleſiaſtici*: quia non niſi is punire poteſt, qui poteſt obligare, & poteſtate pollet in libertatem perſonæ, quam obligat, & punit (24.); item in eas perſonas, quibus prohibet vera lege, ne cum reo in ſacris communicent.

III. *Ut quis ſalva morali rectitudine præciſe non communicet in rebus ſacris cum aliquo, poteſtate in perſonam iſtius opus non habet; ſed ſufficit, quod ad communicandum non obligetur, & non communicandi prudentes habeat rationes.* Non communicando enim præciſe nec juris aliquid illi aufert, nec obligationis aliquid ei imponit, nec mali quid infert.

IV. *Ut quis aliquem communione alicujus Eccleſiæ excludat, cujus communionis jure is nondum gaudet; poteſtate ſuperiore illi opus eſt quidem in Eccleſiæ ejusdem membra; non item in illum, quem excludit.* Modo enim illa obligare pro poteſtate poſſit, ne communicent, jam excludit iſtum a communione.

V. Ex-

V. *Excommunicare ergo neminem quis poteſt, cujus ſuperior Eccleſiaſticus non eſt; bene tamen a communione excludere* (IV.).

* Sunt autem *bona & emolumenta ſpiritualia in Catholica Eccleſia* 1.) uſus ſeu receptio Sacramentorum (166), 2.) eorundem adminiſtratio ex poteſtate ordinis ſacri (168.), 3.) participatio fructus ſpiritualis ex publicis functionibus religionis, tum ratione præſentiæ ad easdem, tum ratione virtutis impetrandi aliquid a Deo; quam habent ex conjunctis Eccleſiæ totius meritis, in cujus communi nomine per legitimos Eccleſiæ miniſtros peraguntur.

211.

Datur in Eccleſia vera Chriſti poteſtas moralis cogendi pœnis ſpiritualibus illos; qui ejus vera membra ſunt (145.), *ad leges quasvis divinas, ſemel authentice ab Eccleſia declaratas, rite & fideliter obſervandas*; nimirum *in foro interno* ſubtrahendo gratiam remiſſionis *peccatorum* in Sacramento pœnitentiæ, eamque *remiſſionem* ita *retinendo*, ut ne in Dei quidem foro remittatur; donec Eccleſiæ rectoribus ſatisfecerint (121. 167.); *& in foro externo* etiam *excommunicando*, id eſt, ſubtrahendo uſum Sacramentorum ex. gr. Euchariſtiæ, uſum ordinis ſacri in Sacramentis adminiſtrandis; & excludendo a fructu ac præſentia in publicis Eccleſiæ functionibus, ac precibus, ab ejus miniſtris peragi ſolitis. Etenim tam poteſtas ordinis, Epiſcopis & Presbyteris competens (174. 176.), quam ipſa Epiſcoporum jurisdictio, ſupremæ jurisdictioni ſummi Pontificis veræ Chriſti Eccleſiæ ſubordinatur, & ſubjicitur vi divinæ inſtitutionis, æque ac omnia alia membra veræ Chriſti Eccleſiæ (142. 202.); Presbyteris vero nec jurisdictio propria competit, ſed ſolum delegata ab Epiſcopis (185.), nec poteſtas alia ordinis ad ſacramenta adminiſtranda, niſi Epiſcoporum immediatæ jurisdictioni ſubordinata (181. 182. I.). Ita-

que, ſiqui ex veræ Eccleſiæ ſociis culpa gravi id genus pœnam, ſeu paternam, & ad correctionem propriam, ſeu exemplarem, & ad exemplum aliorum neceſſariam, promereantur; poteſtas divinitus inſtituta in Eccleſiæ rectoribus, Epiſcopis & ſupremo Chriſti Vicario, extat, tum ſubtrahendi illis ſacramentorum pœnitentiæ & Euchariſtiæ licitum uſum, tum prohibendi illorum Sacramentorum miniſtros, ne poteſtate ordinis ſui in iis adminiſtrandis reſpectu illorum licite uti poſſint; item obligandi ceteros Chriſtianos, veræ Eccleſiæ ſubditos, ne in religioſis functionibus cum eis communicent, aut ne miniſtri Eccleſiæ, publico munere fungentes, preces pro eis fundant ad Deum, intentatione videlicet ſimilium pœnarum; ſi Eccleſiæ rectorum præceptis non obediant. Atqui merentur id genus pœnam, & culpæ gravis ſeſe reos faciunt, quicunque rectorum veræ Eccleſiæ Chriſti publica profeſſione poteſtatem ac jurisdictionem in divinis legibus authentice declarandis ceu divinitus inſtitutam agnoſcunt, & nihilominus illorum auctoritati contumacius repugnant in iisdem legibus certa fide recipiendis, vel paternæ correptioni in exequendis illis pertinacius obluctantur. Ergo &c. &c.

* Expreſſit hanc vim poteſtatis Eccleſiæ ſuæ rectoribus a ſe concedendæ Jeſus Chriſtus Matth. XVIII. 17. illis verbis: *qui Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, id eſt, inſtar hominis extranei a ſocietate Eccleſiæ meæ. Cur autem hoc? *Amen dico vobis*, ſubdit, *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*; id eſt, quemcunque exutum a jure participandi emolumenta ſpiritualis ſocietatis Eccleſiaſticæ a me inſtituendæ declaraveritis, a me ipſo pro tali habebitur. Vide jam dicta §. 121.

** Antiquiſſimum uſum iſtius coactivæ poteſtatis in Eccleſia conteſtatur omnis pœnitentiæ publicæ diſciplina, tertio

tertio & quarto ſeculo uſitata. Præ omnibus juvat adducere S. Augustini testimonium; etſi paullo prolixius ſit; ea maxime ex cauſſa, quod ſimul ſummi momenti *regulas* ſuggerat, *quo pacto & quam exquiſita moderatione id genus pœnis ultimis Eccleſiaſticis uti pios ac ſapientes Eccleſiæ rectores ex mente ac ſpiritu Chriſti oporteat.* Itaque L. III. contra Epiſt. Parmen. c. 2. commentans in textum Apoſtoli (I. Cor. V. 9. dicentis: *ſcripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi; alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut maledicus; cum ejusmodi nec cibum ſumere*) ſequentes regulas circa uſum excommunicationis ſuggerit, 1'.) Negant, Apoſtolum velle, ut omnium impiorum fugiamus convictum: *cum opus noſtrum in hoc mundo illud ſit, ut peccatores Chriſto ad ſalutem lucremur; quod fieri non poterit, ſi eorum colloquia & convictum fugiamus.* 2'.) Ait, certum eſſe, Apoſtolum l. cit. *de ſeparatione etiam corporali* agere (non tantum de ſpirituali, quæ *cordis* ab eorum peccatis alienatione fieri omnium malorum reſpectu debet) & quidem *non ab iis malis, qui Chriſtiani non ſunt; ſed ab eis, qui Chriſtiani ſunt;* cum dicat mox v. 12. ibid.: *quid enim mihi de his, qui foris ſunt, judicare? nonne de his, qui intus ſunt* (id eſt, in Eccleſia) *vos judicatis? nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.* 3'.) Subdit poſt hæc regulam hanc generalem: *ſiquis Chriſtianorum, id eſt, in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, ob aliquod peccatum anathemate dignus habeatur*, tunc eo feriendum eſſe; *ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt, atque id cum ea dilectione, de qua ipſe Apoſtolus dicit II. ad Theſſal. V., ut inimicum eum non exiſtimetis; ſed corripite ut fratrem. Non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Cum enim Dominus dixit ſervis volentibus zizania colligere Matth. XIII.: ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem; præmittendo cauſſam hanc: ne forte, cum vultis colligere zizania, eradicetis ſimul & triticum; ſatis oſtendit: cum metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de*

 frumen-

frumentorum ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt, cum ita crimen notum eſt omnibus & execrabile, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere; non debere dormire ſeveritatem diſciplinæ. Tunc enim ille timore percutitur, & pudore ſanatur; cum ab univerſa Eccleſia ſe anathematizatum videns, ſociam turbam, quacum in delicto ſuo gaudeat, & bonis inſultet, non poteſt invenire. 4.) Pergit vero: *cum vero idem morbus plures occupaverit, nihil aliud bonis reſtat, quam dolor & gemitus, quo ad eum, qui errare non poteſt, clament: ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam. Pſalm. XXV.: ne cum voluerint colligere zizania, eradicent ſimul & triticum. Si enim peccati contagio multitudinem invaſerit; divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt, & flagellum aliquod Domini; quo illi corripiantur, qui jam propter multitudinem non poſſunt ita corripi, ut ab eorum conjunctione ſe ceteri continerent, & eos erubeſcere facerent. Nam* CONSILIA SEPARATIONIS ET INANIA SUNT, ET PERNITIOSA, ATQUE SACRILEGA, QUIN ET IMPIA ET SUPERBA, *& plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animoſos malos.* 5) *Turba iniquorum*, inquit ulterius, *cum facultas eſt in templis promendi ſermonem, generali objurgatione ferienda eſt; & maxime, ſi occaſionem atque opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellum deſuper, quo eos appareat pro ſuis meritis vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendanti calamitas auditorum, faciliusque in gemitum confitendi, quam in murmura reſiſtendi afflicta corda compellit. - - Quamquam & ſi nulla calamitas tribulationis premat; cum facultas datur utiliter corripitur in multitudine multitudo. Nam ſicut ſeparata ſævire, ſic in ipſa congregatione objurgata gemere conſuevit. Quam ob rem illud præceptum Apoſtoli nullo modo negligendum eſt, ut a congregatione bonorum malus ſeparetur; cum ſine periculo pacis fieri poteſt: & ejusdem illud præcipue attendendum eſt, ut ſufferentes invicem ſtudeamus ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Poteſt enim utrumque fieri ab eis, quibus dictum eſt: beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur.*

buntur. 6.) Denique illud ſapientiſſime addit ibid. Cap. 5.: *Nulli boni ab Eccleſia ſine ſchiſmatis ſacrilegio ſe ipſos poſſunt dividere, eo quod malos in ea juxta ſe boni patiantur: quia tali modo vexationi frumentorum non parcitur, uſurpantibus ſibi hominibus ante meſſem, quod angeli in meſſe facturi ſunt. Per totam enim iſtam Eccleſiæ civitatem, toto orbe diffuſam, quæ abſcondi non poteſt, quia ſupra montem conſtituta eſt, juſti gemunt, & mœrent ob iniquitates, quæ ſunt in medio eorum. Non ergo quærat quis ſeparatos juſtos: ſed cum ipſis potius in malorum temporali commixtione concorditer gemat.* Ecce! admirabilis ſapientiæ & caritatis regulas, Auguſtini corde paterno & ingenio dignas! O quot quantave Eccleſiæ mala nunquam vidiſſet Chriſtianus orbis; ſi iſtas regulas attendiſſent rectores gregis Chriſti, priusquam cum virga venirent ad hunc. Quid diceret Auguſtinus, ſi multitudinem excommunicationum *ipſo facto* incurrendarum & Cenſurarum Catalogos legeret; ſi audiiſſet de interdictis regnorum, Anathematis in principes & regna latis? Nonne illud? heu! quanta cum ſtrage frumenti optimi zizania, o miniſtri Jeſu Chriſti, eradicatis ante meſſem!

212.

Qui veræ Eccleſiæ Chriſti membra ſe non profitentur (145.), ſed Eccleſiæ rectorum divinitus inſtitutam poteſtatem inficiantur; quin tamen errorem ſuum publice doceant, vel ſeducendis veris Eccleſiæ membris intendant; illi Eccleſiæ pœnis cogendi non ſunt; ut ſe ſubjiciant. Vel enim errore invincibili laborant (quod fieri poſſe nemo niſi rerum inexpertus negaverit) & potius cum omni caritate edocendi veritatem ſunt, non intempeſtiva ſeveritate irritandi; quam nulla culpa ſua promerentur: vel ſcientes auctoritatem Eccleſiæ contemnunt? & his contemta auctoritas ſeveritate nulla inſinuabit ſui æſtimationem, ſed contumaciam augebit. Non ergo ſpes correctionis id genus ovium errantium paternam, nec periculum bonarum ovium

 judi-

judicialem & exemplarem pœnam (per hypotheſin) eo in caſu provocat; nec proinde ſine utilitate, multo minus cum periculo majoris mali ex irritatione forſan extituri, vexandi a boni Paſtoris vicariis miniſtris ſunt.

* Aliter ſe res habet circa excluſionem a certis officiis; quorum adminiſtratio id genus hominibus tam parum committi prudenter poteſt, quam parum in ſocietate civili prudenter ex. gr. munus docendi jus civile committeretur homini principiis ſtatui civili noxiis imbuto. Unde ſapienter a talium officiorum adminiſtris fidei catholicæ profeſſio publica requiritur.

213.

Quodſi tamen alieni a vera Eccleſia homines errores publice docendo inter veræ Eccleſiæ membra propagare, atque iſta ſeducere velint: jure defenſionis naturalis tum ipſis veræ Eccleſiæ membris obligatio incumbit eorum conſortia fugiendi, tum veræ Eccleſiæ rectoribus interdicendi ſub pœnis paternis Eccleſiaſticis, ne illorum conſortio ſe miſceant. Nulla enim eſt ſocietas, in qua non membris omnibus, atque inprimis principibus ejusdem, obligatio incumbat, ut mediis omnibus, quibus ſalva rectitudine morali poſſunt, ſe totamque ſocietatem a noxiis infeſtationibus omnium ab eadem extraneorum defendant. Atqui medium & per ſe honeſtum, & omnium maxime neceſſarium eſt, ut hoſtium conſortia vitentur.

214.

Si tamen vitari etiam id genus hominum (præc.) *conſortia ob eorum multitudinem, vel alia locorum atque temporum adjuncta moraliter non poſſunt; ſufficiet ſalubri inſtructione præmunire gregem, ac de cetero humanitatis & caritatis chriſtianæ officiis adverſos animos demulcere.* Neque enim mala mino-

ra

ra per pejora remedia removenda, neque ad zizania eradicanda ipſum frumentum evellendum eſt.

* Profecto cum id genus hominibus in tali caſu eadem ſaltem moderatio adhibenda eſt, qualem S. Paulus & S. Auguſtinus obſervandam Chriſtianis reſpectu ipſorum gentilium commendarunt (211. not. 2. n. 1.). Qui ſeveriores canones de modo agendi cum hominibus Acatholicis præſcribunt; meminerint, ſe idem jus Acatholicis ſocietatibus civilibus ipſo facto abjudicare pari modo cum Catholicis agendi; quamdiu illi bona fide judicant, Catholicos a recta fidei regula aberrare. Sed neque exiſtimet quis, novas eſſe *Chriſtianæ tolerantiæ regulas*, quas hic propoſui. Nequaquam: ſed ab omni ſapiente Catholico omni tempore ſunt receptæ. Nemo enim doctus Catholicus condemnavit unquam Acatholicum, qui innocuo errore & bona fide Eccleſiæ inæqualitatem, & rectorum ejus poteſtatem a Chriſto inſtitutam ignoraverit. Ipſa Eccleſia Catholica ſuos quidem intentatis cenſuris & pœnis paternis a conſortiis perverſa docentium, eorumque noxiis libris legendis abſterret; atque eos etiam, qui ſe illius filios ipſi profitentur, ſimilibus pœnis prohibet, ne quid ſuis authenticis divinarum legum declarationibus adverſum doceant: ſed anathemata ſua ad illos non extendit, qui ipſam Eccleſiæ auctoritatem divinitus inſtitutam ſe ignorare profitentur. Cum enim de internis mentium cogitationibus judicare niſi ex ſignificatione earundem externa non poſſit Eccleſia: quid poteſt demum in ſubjiciendis id genus hominibus; niſi ut eos de veritate ſuæ poteſtatis ſolide inſtruat, atque ut inſtrui ſe patiantur, caritatis & manſuetudinis Chriſti ſuavitate demulceat. Neque enim ſine poteſtatis legiſlatricis certa cognitione leges ipſæ ſuperioris cujuscunque in ſubditi animo locum habent (19. n. 2.) Unde nec *hæreticum* alium Catholici appellant, niſi qui cognitæ veritati ſciens reſiſtit. Quodſi quis ſciens inſtitutionem Chriſti, tamen auctoritatem Eccleſiæ ſe ignorare externe mentitur; is a viſibili veræ Eccleſiæ ſocietate ſe

 ipſum

ipſum ſegregat (145.); quin excommunicatione ejusdem Eccleſiæ aut opus habeat, aut offendi poſſit; ſi erroris ſui venenum latius ſpargere in bonas Eccleſiæ oves non vereatur.

** *Neque dicas:* ſi homines Acatholici Catholicis permixti in eadem civitate vivant, periculum Catholicis creari. *Nam* falſum eſt, majus eſſe Catholicorum periculum, qui publicis Doctoribus & libero externo religionis exercitio gaudent, quam ſpem converſionis Acatholicorum, ad internam ſolum religionem ſuam reſtrictorum. Certe experentia contrarium docet, etiam ubi geminæ religionis liberum exercitium viget.

*** Scio, acerbius ſubinde de hoc argumento alios Catholicos Doctores ſenſiſſe videri poſſe, eo quod *diſtincte* expoſitas & perſpectas iſtas regulas moderationis Chriſtianæ non habuerint; in confuſione vero idearum & notionum intellectus non rite diſtinguentis ea, quæ reipſa multum diverſa ſunt, raro voluntatis error abeſſe ſoleat. Sed nullus tamen dubito, poſt diſtinctam expoſitionem illarum ab omni moderato Doctore Catholico libentiſſime recipiendas eſſe: ſicuti & pauci hodie erunt ex doctioribus Catholicis, qui ferro & igne cogendum quempiam ad abjurandos errores in materia fidei etiam publice docendo ſparſos exiſtiment; cum ad cavenda ſocietatis damna id genus noxiorum hominum proſcriptio ſufficiat.

ARTICULUS III.

DE POTESTATE LEGISLATRICE ECCLESIÆ SE EXTENDENTE AD LEGES NOVAS MERE HUMANAS ET ECCLESIASTICAS FERENDAS.

215.

Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis, ceu veris Eccleſiæ ſuæ rectoribus ac principibus (126. 24.), *dedit poteſtatem legislatricem minime reſtrictam ad ſolas leges*

ges jam a ſe divinitus latas authentice declarandas, & executione urgendas, ſed extenſam ad lege propria præcipienda & vetanda omnia, quæcunque ipſis pro communi majore bono Eccleſiæ utiliter præcipienda & vetanda viderentur. Promiſit enim & Petro Matth. XVI. & omnibus Apoſtolis Matth. XVIII. poteſtatem univerſalem ligandi quodcunque; *quodcunque ligaveris, quodcunque ligaveritis;* miſit item eosdem Joan. XX. ſicut ipſe miſſus eſt a Patre: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Cum itaque certum ſit, quod cum poteſtate legislatrice miſerit; certum idem erit, quod non ad alias conditiones eam poteſtatem reſtrinxerit, niſi ad eas, quæ omni poteſtati legislatrici lege naturæ præſcriptæ ſunt, videlicet, ut non niſi utilia ad finem ultimum ſocietatis, nec ſub graviore, quam neceſſe eſt, obligatione præcipiantur; de quibus dixi §. 161. 2.) Unde iſtam poteſtatem APOSTOLI continuo exercuere in Concilio Jeroſolymitano congregati, præcipiendo, ut Chriſtiani omnes primis illis Eccleſiæ temporibus, etiam lege Judaica jam abrogata, porro abſtinerent a ſanguine & ſuffocato, dicentes Act. XV. 28.: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato &c.* Sic & S. Paulus 1. Timoth. III. 2. præcepit, ut ne bigamus ad Epiſcopatum admittatur: *oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum,* 3.) PRIMI PATRES ECCLESIÆ idcirco chriſtianos continuo ad obediendum Epiſcopis ſuis in omnibus hortantur, ut ipſi Chriſto Domino. Teſtimonia *SS. Ignatii* ex ep. ad Smyrnenſes §. 149. n. 2. & ex ep. ad Trallianos §. 180. n. 2. & *Irenæi* §. 149. n. 4. ex L. IV. c. 43. recenſui. Similia prorſus habet *S. Clemens* Papa Romanus in ep. ad Corinthios. 4.) Denique IIDEM PATRES ECCLESIÆ primis ſeculis agnoverunt omnes legi-

 timam

timam poteſtatem Eccleſiæ inſtituentis diem Dominicam loco Sabbati pro feſtivo Dei cultu, celebrationem Paſchatis eodem die a Nicæno I. Concilio confirmatam, pluraque alia: de quibus ſapientiſſime S. AUGUSTINUS in Ep. 118. ad Januar. c. 1. ait: *illa, quæ non ſcripta* (in divinis ſcripturis) *ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri; ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniverſaria celebritate celebrantur: & ſiquid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit Eccleſia. Alia vero, quæ per loca terrarum regioneſque variantur; ſicuti eſt, quod alii jejunant ſabbato, alii non; . . totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes.*

* Quæ quidem S. Auguſtini utraque epiſtola, uti & ſequens 119, de eodem argumento ſcripta tum ſenſum Eccleſiæ illius temporis de iſta poteſtate legislatrice Eccleſiaſtica, tum neceſſariam illius moderationem, aptiſſime declarat: cum in eo videlicet totam ſuavitatem divini jugi & & novæ legis reponit S. Pater, quod *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit* (ep. 118. c. 1.) atque ab iis innumeris obſervantiis nos liberarit, *quæ ſervitutem populi veteris pro congruentia cordis eorum & prophetici temporis onerabant.* Id quod ſane documento eſſe debet rectoribus quibusque Eccleſiæ Chriſtianæ: ſicut univerſe multitudo *legum mere poſitivarum* nullam gubernationem publicam valde commendat (aliud intellige, de legibus ſolum jus naturale explicantibus) ſed illius onus aggravat; ita proprium eſſe Chriſtiano regimini debere, ut quam pauciſſimis legibus poſitivis graviter obligantibus conſcientias univerſas oneret, nec niſi tum; cum vel neceſſarium, vel tam ſumme utile

eſt

eſt ad communem ſalutem, quod præcipitur, ut ſimul facile obſervetur.

216.

I. *Poteſtas Eccleſiæ legislatrix ſe extendit ad determinandos lege* Eccleſiaſtica leges eas naturales, & poſitivas divinas, quarum obligatio per ſe indeterminata eſt ratione temporis, loci, modi &c.* Sic ex. gr. cum lege naturali jubeamur certum tempus impendere cultui divino, etiam externo, & lege divina poſitiva nobis perceptio myſterii SS. Euchariſtia præcepta ſit (103. n. 4.); quin tamen certum tempus, locus, modus &c., nobis in his legibus divinis præſcribatur: potuit Eccleſia diem Dominicum, vel etiam alios accedentibus ſufficientibus rationibus (161.) determinare. Item cum alioquin lege divina teneamur audire inſtructionem ſacram, qua erudiamur in legibus divinis; recipere pœnitentiæ Sacramentum, quod diligens examen, otiumque ab aliis negotiis, & collectionem mentis requirit: potuit Eccleſia præter cultum divinum diebus illis feſtis præcipere ceſſationem a certis laboribus, magis diſtrahentibus, & effundentibus animum in rerum temporalium curam &c. &c. In id genus enim legibus poſitivis ferendis manifeſte ſuppetit ratio ſufficiens requiſita, nimirum ſumma *utilitas*; quæ in eo eſt, ut leges divinæ alioquin jam pro indeterminato tempore ſub gravi obligatione obligantes, certius obſerventur; ut ipſa uniformitas in tota Eccleſia, conventus Chriſtianorum communis in templis, & commune exemplum, religionis externæ fervorem promoveant &c.: nec tamen gravior juſto obligatio legis humanæ imponitur; quippe quæ in ſubſtantia a divina obligatione parum differt. Ergo &c. &c.

* Ceterum, uti nullus dubito, quin obligatio celebrandi cultu publico divino diem dominicum jam ſit ab ipſis

Apo-

Apoſtolis impoſita; ita lex ceſſandi a lobore ſervili tempore S. Auguſtini nondum univerſe in Eccleſia obtinuiſſe videtur: cum is Ep. 119. Cap. 12. expreſſe dicat: *inter omnia decem præcepta* (quæ Deus Judæis per Moſen tradidit) *ſolum illud, quod de Sabbato poſitum eſt, figurate obſervandum præcipitur: quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam ſuſcepimus. - - Obſervare diem Sabbati non ad literam* (nos Chriſtiani) *jubemur ſecundum otium ab opere corporali; ſicut obſervant Judæi.* Idem pro ætate Conſtantini Magni evincit *lex de feriis* tertia ab eo lata; qua ceſſationem quidem a cauſſis forenſibus pro die Dominico præcipit, ſed labores agriculturæ ruriculis liberos eſſe vult. Ceterum de modo diem Dominicum celebrandi, in prima Eccleſia uſitato, lege ſis S. Juſtinum M. Apol. 2.

217.

II. *Eadem poteſtas legislatrix Eccleſiæ ſe extendit ad pias conſuetudines generales populi Chriſtiani legis Eccleſiaſticæ obligatione firmandas.* Sic generalem conſuetudinem jejunandi certis diebus, in primis Eccleſiæ initiis continuo introductam (quo tempore veriſimilius lege jejunium nondum præſcriptum erat) potuit Eccleſia ſecutis temporibus lege ſua firmare; quia nec iſthic ſapientes deerant rationes; eo quod ea ſemel tam univerſe ex pio fidelium fervore jam introducta conſuetudine, pravo exemplo paucorum repugnantia non caruiſſet; quod recte amoliri lege lata eccleſia potuit; neque gravior juſta eſt obligatio legis etiam gravis impoſitæ; cum leviter ſolum obligans pro materiæ iſtius qualitate ad obtinendam obſervantiam haud prudenter ſufficere credebatur (161.). Adde: naturalis legis obligationem alioquin omnibus hominibus, qui plura in dies peccata committere tum gravia, tum levia, ſolent; ut voluntaria ſui caſtigatione Deo ſatisfaciant, & peccati habituales reliquias extinguant:

guant: id quod in Ethica Univ. Chriſt. §. 255. & ſeqq. demonſtravi.

* Ad hoc principium quoque lex penſi Canonici per horas canonicas perſolvendi omnibus Sacerdotibus, aliisque Clericis, impoſita revocari debet.

218.

III. *Eadem poteſtas Eccleſiæ ſe extendit ad leges præſcribendas ſacras cerimonias in cultu divino publico univerſe a Miniſtris Sacramentorum & Eccleſiæ conſtanter adhibendas*, tales videlicet, quæ vi ſua ſignificativa, tum naturali, tum legali, idoneæ ſint ad religionem internam communiter promovendam, ex. gr. ad graviſſimas religionis internæ veritates & officia in memoriam revocanda, & veluti oculis repræſentanda; ad ſignificandam ope religionis externæ actualem executionem publicam, & communi fidelium nomine per miniſtros Eccleſiæ factam, præcipuorum eorundem officiorum religionis internæ; ad quos fines revocantur omnes pæne cerimoniæ Eccleſiæ Catholicæ genuina auctoritate inſtitutæ (94. n. 4.). Vide Ethic. Univerſ. Chriſt. §. 694. ſeqq.

* Enimvero mirandum, quod ex Proteſtantibus tot inſiſtant in incuſandis *cerimoniis ſacris* in Eccleſia Catholica uſitatis. Si eas ſolum ſuperſtitionis incuſarent, quæ Eccleſiæ legitima approbatione juxta ac inſtitutione carent, ac ſæpe a rudibus vel etiam malis hominibus ad quæſtum obtruduntur ſimplici populo; ſane magnopere conſentientem me ſibi haberent. Aſt, quæ legitima Eccleſiæ auctoritate probantur, & uſurpantur a prudentibus Catholicis, has ſumme ſalutares eſſe cœtui fidelium ita evidens ratio & experientia evincit, ut vel ſapientiores ipſi ex Proteſtantibus majorem illarum uſum in ſuis Eccleſiis ſummopere deſiderent.

219.

IV. *Poteſtas Eccleſiæ itidem ſe extendit ad certas conditiones iis lege præſcribendas, qui ad miniſterium ſacrum, & ad ordines Presbyterii & Epiſcopatus admittendi ſunt;* tales nimirum, ſine quibus ad illius miniſterii & ordinis officia minus idonei, vel etiam pravo exemplo futuri eſſet; vel quibuscum multo majore fructu & meliore exemplo univerſe in eis ſunt miniſtraturi. Profecto enim vel in ipſo ſtatu religionis mere naturalis in Societate civili mere voluntaria rationes ſufficientes Principi, ſummo imperio fungenti, ſuppeterent, ut in miniſtris religionis publicis a ſe, vel a populo deligendis, certa ac ſtabili lege requireret certam ætatem, ſcientiam, honeſtatem civilem, decentem corporis habitum, bonam famam &c. Quippeni ergo in ſtatu religionis ſupernaturalis rectores veræ Chriſtianæ Eccleſiæ, poteſtate legislatrice generali ſimpliciter a Chriſto inſtructi, in iis, quibus ordinis ſacri & ſpiritualis jurisdictionis poteſtatem, a Chriſto primitus acceptam, transmiſſuri ſint, certa lege requirere ſimiles conditiones poſſint? idque eo amplius, quo gravior obligatio in lege gratiæ a Jeſu Chriſto impoſita eſt hisce miniſtris ſuis in paſcendis ovibus tum verbo veritatis, tum exemplo.

220.

V. *Eadem poteſtas Eccleſiæ ſimiles conditiones lege ſtata præſcribere poteſt iis, qui Sacramenta a Chriſto inſtituta recipere exoptant;* tales nempe, quæ & religionem internam & fructum ex illis percipiendum univerſe in cœtu fidelium promoveant, nec ſua difficultate relate ad fructum, quem afferunt, multum onerent (161.).

221.

221.

Non tamen Eccleſiæ poteſtas legislatrix ſe extendit ad quæcunque officia virtutum, & quæ ſpectata lege divina conſilii ſolum ſunt, univerſe aut communiter Chriſtianis lege humana Eccleſiaſtica, ſeu graviter, ſeu leviter obligante, præſcribenda. Omnes enim leges, uti eſſe ſapientes, & ad commune ſocietatis bonum idoneæ, ita rationes ſufficientes habere debent, ex quibus idoneæ ad illum finem fore dignoſcantur (161.). Atqui tam parum legislatori humano id genus rationes ſufficientes ad omnia conſilia virtutum in leges vertenda ſuppetere poſſunt, quam ipſi Deo; quod in Ethic. Univ. Chriſt. §. 360. & ſeq. demonſtravi. Et vero cum Chriſtus ipſe Dominus jugum omne legis ſuæ & onus ſuave ac leve eſſe ſe velle palam fuerit proteſtatus; non eſt veriſimile, quod miniſtris ſuis, quos *dominari* more regum gentilium conceptis verbis prohibuit, poteſtatem dederit legum humanarum multitudine immodica ac minus utili idem jugum ultra modum aggravandi.

* **Ad principia hoc Articulo toto tradita omnes leges Eccleſiaſticæ expendi, priusquam ferantur, & ex eisdem defendi debent, quæ actu latæ ſunt; quin hic locus ſit de iis agendi ſingillatim.**

222.

Obligatio in conſcientia, ſeu *in foro Dei*, eſt obligatio, ſeu neceſſitas moralis obediendi voluntati alterius, aliquid jubentis, orta ex pœnis a Deo intentatis, niſi obediatur.

223.

Leges Eccleſiæ etiam obligant in conſcientia ad id, ad quod Eccleſia legitime vult ſubditos ſuos in conſcientia obligatos. Chriſtus enim conceptis verbis

talem

talem poteſtatem ligandi libertatem Chriſtianorum Apoſtolis horumque ſucceſſoribus conceſſit (121. 128.); vi cujus, ſiqua in re obligarent illos, & quomodo vellent obligatos, in eadem re & eodem modo ipſe in cœlis eos vellet eſſe obligatos. Ergo ſi rectores Eccleſiæ velint ſubditos ſuos Chriſtianos aliqua in re in ipſo Dei foro obligatos, erunt reipſa in eo foro obligati. *Rurſum:* Chriſtus S. Petro ejusque ſucceſſoribus tradidit *claves regni cœlorum;* quorum virtute cœlum & aperire, & claudere poſſent. Itaque ſi ſub interminatione, quod ſecus clauſum tenere cœlum velint, quid lege vetent, aut jubeant; Deus quoque non aperiet cœlum; donec Eccleſiæ ſummis rectoribus fuerit ſatisfactum; ac proinde etiam Deus pœnam excluſionis a cœlo & vita æterna talibus intentat, id eſt, obligat in conſcientia.

* Nullius momenti eſt illa objectio in argumento iſto, quod inferior nihil poſſit in foro ſuperioris; & quod nemo poſſit obligare ſub pœna, quam ipſe infligere non poteſt. *Primum* tunc ſolum valet; ſi ipſe ſuperior fidem ſuam non interponat, quod volente inferiore ipſe quoque obligare velit. *Alterum* illud probat ſolummodo; quod legislator Eccleſiaſticus non ſit principalis cauſſa efficiens obligationem divinam, ſed ſolum conditionem ponat; qua poſita Deus ſuo quoque in foro obliget.

224.

Poteſtas legislatrix Eccleſiæ per ſe extendit ſe ad actus internos immediate præcipiendos & prohibendos. Finis enim hujus poteſtatis, uti & totius ſocietatis eccleſiaſticæ (107. 109), eſt ſalus æterna per merita bona moralia obtinenda; ad quæ merita promovenda immediate ordinatur. Atqui merita moralia non ſunt actus præciſe externi, ſed ſolum interni, ceu ſolum immediate perficientes mentem (Ethic. Univ. Chriſt. §. 420. not.). Ergo actus inter-

interni ſunt finis poteſtatis legislatricis immediate per eam obtinendus. *Præterea* poteſtas iſta vi pollet coactiva ſufficiente ad imponendam neceſſitatem moralem ad actus non ſolum externos ſed etiam internos conformiter legi ipſius exigendos. Poteſt enim negare remiſſionem peccatorum in foro etiam interno iis, qui non ei obediunt, retentione eorundem vim in ipſo Dei foro habente (præc.).

* *Neque dicas*: Eccleſiam carere poteſtate inquirendi, & judicandi, an leges actus mere internos ordinantes obſerventur, nec ne; ac proin carere poteſtate exequendi id genus leges ſuas, adeoque hoc ipſo evaneſcere poteſtatem legislatricem reſpectu talium actuum. *Nam inprimis* ſuppoſito dogmate de neceſſitate diſtinctæ confeſſionis peccatorum, quod Catholica declarat Eccleſia pro poteſtate infallibili (207.), utique competit Eccleſiæ in foro interno poteſtas inquirendi & judicandi etiam de actibus internis: *deinde* modo ſub conditione voluntatis obligandi in conſcientia, quam Eccleſia habet, Deus obliget; jam poterit Eccleſia facere, ut ad actus internos immediate ſimpliciter obligemur.

** Unde ſine dubio Eccleſia declarans leges divinas fidei & morum, facit, ut obligemur in conſcientia ad actus internos illis legibus conformandis: apponendo vero ex. gr. pœnam excommunicationis in refractarios caſuræ, etiam obligat nos ad eosdem in foro proprio ſaltem interno. Rurſus determinando leges divinas indeterminatas ad certum tempus (216.) obligat in conſcientia & in foro interno Eccleſiaſtico, ut eodem præſcripto tempore non ſolum externi, ſed etiam interni actus, lege divina jam pro indeterminato tempore præſcripti, peragantur &c. &c.

ARTICULUS IV.

QUID POSSIT ECCLESIA POTESTATE A CHRISTO ACCEPTA IN MATERIIS LEGIS NATURÆ PROPRIIS: UBI DE DISPENSATIONE IN VOTIS.

225.

Eccleſia non poteſt mutare leges naturæ. Sunt enim per ſe & ex natura ſua immutabiles, nec a Deo quidem auferri poſſunt (Ethic. Univ. Chriſt. §§. 357. 358. 359. 416. 597. 598.).

226.

Eccleſia non poteſt tollere per ſe loquendo ullam legem divinam poſitivam a Chriſto pro Eccleſia ſua conſtitutam. Tametſi enim Chriſtus dixerit Apoſtolis, *quæcunque ſolveritis &c.*; tamen hiſce verbis ſe non dediſſe poteſtatem mutandi aliquid in ſuis legibus ſatis declaravit dicens Matth. ult. *euntes docete eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Itaque verbis prioribus quidem dedit poteſtatem ſolvendi ſeu relaxandi reatum peccati; ſed non obligationem ullius legis a ſe latæ.

227.

Diſpenſatio eſt ſublatio legis, ſeu obligationis ejusdem, reſpectu aliquorum eidem per ſe ſubjectorum.

228.

Eccleſia non poteſt diſpenſare in legibus divinis, ſeu naturalibus, ſeu poſitivis. Patet ex §§. 225. 226.

229.

Votum eſt juris precarii libertatis, quod homo a Deo habet ad rem aliquam faciendam & omitten-

tendam, quæ ſolius conſilii naturalis eſt (Eth. Chriſt. §§. 359. 360.), voluntaria reſtitutio Deo facta ex honoratione directa Dominii & poteſtatis legislatricis divinæ ad eam faciendam, vel omittendam, in hypotheſi emiſſi voti obligaturæ (Ethic. Univ. Chriſt. §. 697. not. 1.

230.

I. *Ad materiam voti requiritur materia, quæ ſpectat ad conſilium naturale*, id eſt, quam facere (vel omittere) melius ſit, quam non facere, vel non omittere.

II. *Ad vovendum requiritur deliberatio mentis ſufficiens ad diſcernendum quale jus abdicetur:* ſecus plene voluntarium non erit, nec ex pleno conſenſu.

III. *Ubi nullum jus precarium libertatis, ibi nullum votum habere locum poteſt.*

231.

Votum valere, id eſt, effectum, quem vovens deſiderat, obtinere dicitur, ſi Deus obligationem legis ſuæ circa voti materiam imponendo reſtitutionem juris precarii ſibi in ea factam acceptet. Iſtud enim eſt, quod vovens vovendo exoptat.

232.

Deus acceptat votum; id eſt, obligationem legis ſuæ materiæ voti convenienter voluntati voventis apponit; quatenus revera melius eſt voventem obligari, quam jure precario libertatis in eadem materia frui. Niſi enim Deus bonam voluntatem, majoris perfectionis & conſiliorum ejusdem actu ſtudioſam, legis ſuæ motivo, ceu adminiculo, quod ipſe homo ſibi a Deo exoptat, in ea hypotheſi fulciret; minore efficacia ipſe vellet promovere ejus in perfectione progreſſum, quam ipſe homo vovens; & univerſe

 omnia

omnia id genus magis ſeria perfectionis propoſita inter homines, nulla divina lege ſuffulta, facile denuo evaneſcerent, ac proinde ſine certo majoris boni communis detrimento omittere voti acceptationem Deus non poſſet. Sicut porro Deus lege poſitiva obligat ad ea omnia, graviter, vel leviter, quorum obligationem poſitivam, gravem, vel levem, per ſcientiam mediam, ſeu contingentium liberorum conditionate futurorum, cognoſcit fore utilem ad majus commune ſalutis æternæ bonum; ita & obligat etiam lege, gravi, vel levi, eaque ſub voti hypotheſi neceſſaria, ad ea obſervanda, quæ per ſe conſilii ſolum ſunt; poſtquam homo ipſe per votum conceptum ſe tali lege obligari ſemel exoptavit; eo quod per ſe major perfectio univerſe, ac proin etiam majus commune bonum, magis promoveatur, ſi in ea hypotheſi Deus homini, id ipſum expetenti, legem imponat, quam ſi non imponeret.

233.

Qui univerſæ libertatis ſuæ poteſtatem vi legis alicujus divinæ non habet, ſed alteri ſubjectus eſt, aut ſaltem circa eam actionem quam vovere vult, ab alterius poteſtate morali pendet: ejus in ea re votum Deus non acceptat; niſi ſub conditione, ſi & quatenus alter conſentiat, cui ſubjicitur, vel cujus intereſt. Hoc ipſo enim, quod lege divina alteri vel univerſe, vel in materia voti, ſubjecta ſit libertas vovere volentis, Deus vult prævalere diſpoſitionem ſuperioris de libertate voventis diſpoſitioni, quam de propria libertate facere intendit ipſe vovens, nec iſtam aliter ſortiri effectum, quam fieri ſine ſuperioris præjudicio poteſt.

234.

234.

Eccleſia irritare, id eſt, invalida, ſeu effectus expertia reddere poteſt vota Chriſtianorum ſibi ſubditorum, ſi ea præjudicent poteſtati ſuæ legislatrici, qua in eos omnes univerſe pollet (præc.): ut ſi quis Presbyter, vel Epiſcopus, officio ſpirituali adſtrictus voveret obedientiam religioſam alteri etiam in rebus officii ſui exhibendam, in quibus ſuperiori Eccleſiaſtico lege divina jam ſubeſt.

235.

Eccleſia declarare poteſt, in quocunque caſu Deus vota Chriſtianorum non acceptet, id eſt, ad ea ſervanda non obliget; eo quod ob rerum individua adjuncta non ſint de bono meliore ad conſilium naturale per ſe ſpectante. Eccleſia enim univerſe poteſtate pollet declarandi leges divinas, naturales, & poſitivas (207.).

236.

Eccleſia proprie diſpenſare in votis in caſu, quo & pro quo actu per ſe obligant, non poteſt. Diſpenſaret enim in lege divina (232.); quod non poteſt (228.).

ARTICULUS V.

DE EXTENSIONE POTESTATIS ECCLESIASTICÆ RATIONE SUBDITORUM.

237.

Poteſtati Eccleſiæ legislatrici, de qua Art. præc., ſubjecti ſunt omnes & ſinguli, qui ſe veræ Chriſti Eccleſiæ membra mente ſaltem profitentur; ſeu *qui ejus poteſtatem a Chriſto inſtitutam certo cognoſcunt.* Nam Chriſtus Dominus S. Petro omnes oves ſuas paſcendas tradidit. Quisquis ergo ovis eſt Chriſti, id eſt,

 quis-

quisquis Chriſtum ceu auctorem divinum & ſupremum Chriſtianæ Eccleſiaſticæ Societatis principem agnoſcit, ac ſimul certus eſt, ab eo ſuo ſupremo Vicario ac ceteris Apoſtolis, horumque ſucceſſoribus, legislatricem poteſtatem ſpiritualem in omnes oves datam fuiſſe; is certus eſt, ſe quoque ab eis obligari poſſe, ac proinde illorum ſubditum eſſe (24. 25.). *Nimirum* ſocietas chriſtiana legalis eſt, non mere voluntaria (112. VIII.); ac proinde quisquis legi divinæ Jeſu Chriſti ſubjicitur, & legem Chriſti de ſubjectione Eccleſiæ ſuæ rectoribus exhibenda cognitam habet, hoc ipſo etiam Eccleſiæ poteſtati ſubjectus eſt. *Præterea* Eccleſiæ poteſtas coactiva ad omnes, qui iſtius a Chriſto factam inſtitutionem reipſa agnoſcunt, virtute ſua ſeſe extendit. Omnes enim veræ Eccleſiæ filii emolumentis ſpiritualibus ſocietatis iſtius Eccleſiaſticæ, id eſt, Sacramentis a Chriſto inſtitutis, vi ipſius legis a Chriſto latæ, ita indigent, ut ſine illis nec peccatorum remiſſionem, ſi hæc ab Eccleſia illis retineatur, nec ſalutem, obtinere poſſint (121. 167.). Ergo omnes excommunicationis, ceu pœnæ gravis Eccleſiaſticæ interminatione, denique cogi ad obediendum juſtis Eccleſiæ legibus poſſunt (211.).

238.

Territorium eſt ſpatium locorum, in quo rector quiscunque ſocietatis alicujus in ejus membra ceu ſubditos poteſtatem ſuam legislatricem. exercere poteſt.

239.

Territorium veræ Eccleſiæ Chriſti univerſalis eſt orbis terrarum univerſus. Chriſtus enim dixit Apoſtolis: *euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*

vobis: & S. Petro: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, omnem ſcilicet; quin *claves*, quas illi dedit, ad certum locum reſtringeret.

240.

I. *Veræ Chriſti Eccleſiæ membra, ubi ubi locorum ſint, etiam inter infideles, legibus Eccleſiæ, quæ ibidem obſervatu moraliter poſſibiles ſunt, obligantur.*

II. *A legibus Eccleſiæ principes politici chriſtiani exemti non ſunt.* Poteſtas enim politici imperii non niſi civium conſenſu ab his immediate in certas perſonas transfertur, quas principes vocamus. Atqui, ſeu cives ſint chriſtiani, ſeu non ſint, a lege Chriſti, qua omnes Chriſtiani tenentur ſubjici Eccleſiæ rectoribus, eximere eos non potuere, quibus ipſi imperium politicum detulere.

III. *Probi & improbi manent Eccleſiæ rectoribus ſubjecti.* Sunt enim utrique per ſe capaces, ut legibus Eccleſiæ regantur, & illius gubernatione promoveantur ad ſalutem ſeu finem ultimum, nec eſt ratio ulla; cur ſeu illi ob præſentem probitatem, ſeu iſti ob improbitatem, eximantur ab Eccleſiæ poteſtate: cum & improbi Eccleſiæ correptione & pœnis corrigi, & probi earundem metu in probitate conſervari utiliter poſſint.

IV. *Rectores Eccleſiæ, etſi improbi evadant, non amittunt ſuam poteſtatem.* Poteſtas enim legislatrix certis perſonis a Chriſto collata eſt in bonum commune ſubditorum fidelium. Atqui obeſſet vel maxime ſaluti communi, ſi eo ipſo rectores Eccleſiæ amitterent poteſtatem paſcendi oves, id eſt, ſana doctrina ſine erroris periculo inſtruendi, veris Sacramentis reficiendi, piis legibus regendi &c.; quoties in ſcelera occulte ruerent. Certe edocere nos de tali eventu ac lege ſua Chriſtus aperte debuiſſet,

ſet, vel ipſa ſaltem Eccleſia. Atqui hoc nuſquam factum eſt.

241.

Legislator Eccleſiaſticus non obligatur propriis legibus qua talibus, id eſt obligatione humana; attamen obligatur lege divina ad easdem obſervandas; quoties earum transgreſſio pravo exemplo, vel ſpirituali damno, ſubditis ſuis fidelibus cedere poſſet. Primum ex eo patet; quia deeſt vis coactiva ſuperioris; qualis idem homo reſpectu ſui ipſius eſſe non poteſt. *Alterum* inde manifeſtum eſt, quod rector Eccleſiaſticus ex officio & lege Chriſti, uti docere, & lege etiam obligare ſubditos Chriſtianos debet in eis, quæ ad promovendam eorum ſalutem, ceu finem ſpiritualis ſocietatis, neceſſaria ſunt, ita ſine dubio a fortiori obligetur, ut ne pravo exemplo eisdem noceat.

242.

Legibus Eccleſiaſticis ſupremi Chriſti Vicarii auctoritate & poteſtate firmatis etiam Epiſcopi, ſeu rectores Eccleſiarum immediati, obligantur. Vere enim iſti eidem ſubjiciuntur vi inſtitutionis divinæ, ceu oves Chriſti, omnes a S. Petro paſcendæ (133. 142.). Itaque ſi leges illæ ratione materiæ quadrent iſtorum charakteri, eos ſine dubio obligant.

CAPUT

CAPUT X.

DE PROPRIIS PRÆROGATIVIS PRIMATUS ECCLESIÆ PRO SIMPLICI EPISCOPATU.

ARTICULUS I.

DE FINE INSTITUTI A CHRISTO PRIMATUS ÆQUE AC EPISCOPATUS, QUI EST UNITAS ECCLESIÆ.

243.

Societas quævis ſemper una eademque eſt, ſi leges ab inſtituentibus Societatem in ipſa ejus inſtitutione ceu invariabiliter latæ ſemper perdurent. Nexus enim omnis ſocietatis in communi ac ſtabili obligatione exiſtit, & qui nexum iſtum communem ejusque ſpeciem primo determinant ad exiſtendum, ſocietatem talem inſtituere dicuntur (92. 40. II.) Quamdiu ergo idem nexus, id eſt, eædem communes ſtabiles obligationes, ſeu leges, exiſtunt, quas inſtitutione ipſa prima ejus auctores determinarunt; tamdiu una eademque ſocietas, qualis primitus inſtituta in ſpecie eſt, perdurant.

* Nimirum ad eſſentiam rei cujusque ſolum notæ ſtabiles ac per ſe invariabiles pertinere poſſunt. Sic & ad ſpeciem ſeu eſſentiam Societatis non omnes leges, quæ in ea communiter vi poteſtatis legiſlatricis perpetuæ feruntur, & iterum ab eadem abrogari pro adjunctorum & emolumenti publici diverſitate poſſunt, ſed illæ ſolum pertinent, quæ ſic latæ ſunt, ut aboleri vi ipſius primæ inſtitutionis Societatis non poſſint.

244.

I. *Societas voluntaria ſemper eadem perdurat, ſi leges fundamentales ſemper eædem perdurent* (70.).

 II. *So-*

II. *Societas legalis ſemper una eademque eſt, ſi leges quæcunque a ſuperiore ſocietatem inſtituente ſemel invariabiliter pro eadem latæ conſtanter perdurent.* Sic ex. gr. Societas Judaicæ Eccleſiæ eadem fuit, quamdiu obtinebant leges omnes a Moſe, ſive a Deo per Moſen, latæ.

245.

Societas Eccleſiæ Chriſtianæ nexu invariabili legum naturalium, ſeu ſocietatis naturalis ſimul, & legum poſitivarum ſpecialium divinarum a Chriſto latarum, colligata eſt in ipſa ſua inſtitutione. Naturales enim leges de novo promulgatas (101.) Chriſtus Dominus poſitiva obligatione ſuperaddita confirmavit (102.), & ſimul novas leges poſitivas tulit pro omnibus Chriſtianis (103 111.); idemque diſcedens a viſibili regimine Eccleſiæ nullam reliquit poteſtatem Apoſtolis ac miniſtris ſuis, qua lex ulla ex prædictis poſſet aboleri (228.); quin potius juſſit eoſdem *docere omnes gentes ſervare omnia, quæcunque* ipſis *mandaſſet* (Matth. ult.). Ergo &c. &c.

246.

Eccleſia ergo Chriſti una eademque eſt tum ubique locorum, ubi Chriſtiani ſunt, tum in omni tempore; ſi ubique & ſemper una eademque perdurat vel certitudo ſufficiens & notitia actualis omnium legum naturalium & poſitivarum a Chriſto communiter latarum, vel una eademque poteſtas aliqua authentice easdem declarandi (præc. 244. II. 112. VIII.).

247.

Chriſtus Dominus voluit Eccleſiam a ſe inſtitutam eſſe unam eandemque ubivis locorum, & unam eandemque perdurare in omne tempus usque ad finem mundi; atque eo ipſo fine inſtituit & Epiſcopatum & Primatum S. Petri in eadem Eccleſia. Chriſtus enim in primis Eccleſiam ſuam Matth. XVI. ſe proſi-

profitetur inſtituere inſtar ædificii tam firmi, ut nunquam *inferorum portæ adverſus illam* ulla in parte ſint *prævaliture;* atque idcirco Matth. ult. v. ult. promiſit ſe Eccleſiam ſuam protecturum *usque ad conſummationem ſeculi*: ſimul vero mandatum dedit Apoſtolis, ut omnes leges a ſe traditas *docerent omnes gentes, docentes eos ſervare omnia, quæcunque dixi vobis*, promittens ſimul ipſis, & actu mittens S. Spiritum, qui *doceret* eos *omnia*, & *ſuggereret omnia*, quæcunque ipſe coram eos docuerat. Itaque voluit Chriſtus omnes leges ac doctrinas a ſe traditas in Eccleſia ſua ubivis locorum & temporum easdem conſervari, ſeu Eccleſiam ſuam ubivis & omni tempore unam eandemque eſſe, & conſervari (244. II.): *quod primum.* Porro hoc fine miſit Apoſtolos ſingulos, atque horum ſucceſſores Epiſcopos (128. 181.), cum poteſtate ligandi & ſolvendi, id eſt, cum vera jurisdictione (123. 124.), quo ipſe venerat, videlicet ut ſalutem æternam omnium communiter hominum *per eadem media*, id eſt, per conſervationem & promulgationem continuam earundem legum, quas ipſe inſtituerat, promovere in omne tempus & ubivis locorum pergerent (107. I. II.): SICUT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS. *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt.* Jo. XX. 21. (118. 121.). Hoc eodem fine obligavit chriſtianos omnes, ut Apoſtolis & rectoribus Eccleſiarum quarumvis particularium docentibus illos omnia, quæ ipſe mandaverat, crederent, & obedirent; quibus quippe daturus eſſet talem poteſtatem ligandi, ut, ſiquis eos non audiret, inſtar alieni a tota ſocietate Eccleſiæ ſuæ ſit futurus. Matth. XVIII. *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt & ligata in cœlis* (120.): *quod erat alterum.*

rum. Denique eodem fine S. Petrum conſtituit Eccleſiæ ſuæ veluti immobile *fundamentum;* cujus quippe fundamenti reſpectu ædificii cujuslibet alius plane finis haud eſt, niſi conſervatio totius ædificii & omnium ejus partium. Eodem haud dubie fine *paſcere* illum juſſit omnes *oves*, etiam ipſos paſtores inferiores, atque iſtos *confirmare*, id eſt, iſtos dedocere errorem, ſiquem forte docendo ipſi committerent. Hoc demum ipſo fine dedit illi *claves* totius *regni cœlorum*, quod eſt Eccleſia, id eſt, poteſtatem ſolvendi ſuperiorem ceteris Apoſtolis, ut, quascunque leges ſuas alii rectores inferiores male ſolviſſent, ipſe poteſtate ſuperiore iterum adſtringere, & quas illi falſa docendo, aut abutendo ſua jurisdictione, male adſtrinxiſſent, ipſe ſolvere poſſet. *Quod erat ultimum.*

* Enimvero idem finis neceſſario eſt omnis inſtitutoris alicujus ſocietatis, qui ipſe certas leges ſtabiles illi præſcribit. Neque enim vel mediocriter ſapiens tam indifferenti animo erit, ut aut maximam partem inſtitutionis ſuæ atque legum a ſe præſcriptarum brevi denuo aboleri, aut nulla adverſus id genus perniciem remedia, aut non ſufficientia, providere velit. Tametſi enim univerſarum legum ſuarum notitiam ad ſingulorum ſubditorum ſuorum ſalutem abſolute neceſſaria haud eſſe non ignoret: tamen cum non ſoli abſolute neceſſitati, ſed etiam majori emolumento, in perpetuum conſulturus leges illas primitus inſtituerit; eodem majoris boni pio ſtudio incenſus, utique etiam conſervandis legibus ſuis tam ſalutaribus ſufficientia media procurare non omittet.

* * Porro, quod hic *de fine Epiſcopatus* dixi, id de univerſi miniſterii Eccleſiaſtici inſtitutione, & diſpenſatione donorum facta a Deo & Chriſto Domino in Eccleſia ſua, S. Paulus ad Epheſ. IV. affirmat, alloquens omnem Epheſiorum Eccleſiam v. 1. *obſecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, - - ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in*

vinculo

vinculo pacis : id eſt, ut junctis viribus ad eundem finem per eadem media conſectandum collimetis, ad quem finem a Chriſto vocati, & quibus mediis omnes ad eum conſequendum inſtructi eſtis. *Unum corpus, & unus ſpiritus; ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium - - - Unicuique autem data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti - - - Et ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti; donec omnes occurramus in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:* ubi non de reſurrectione corporum beatorum hominum ſermo eſt; ut quidam ſine fundamento & inepte intellexere, ſed de perfecta cognitione totius legis Chriſtianæ, & perfectione virtutis ex ejusdem executione integra conſequenda. Pergit enim continuo Apoſtolus : *ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem errorum. Veritatem autem facientes in caritate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus &c.*

* * * *Primatus vero in ſpecie inſtituti* hunc præcipuum *finem* fuiſſe, ut unitas in Eccleſia ſemper & ubivis terrarum conſervaretur, abſolute affirmat S. Cyprianus L. de Unit. Eccleſ. dicens : *quamvis Apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, - - tamen ut unitatem manifeſtaret, Unitatis originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* Affirmat S. Optatus Milevitanus ſupra §. 155. n. 5. citatus; S. Pacianus Barcinonensis Ep. 3. in locum Matth. XVI. dicens : *ad unum Petrum ideo locutus eſt Dominus, ut unitatem formaret ex uno, mox id ipſum in commune reſpiciens;* id eſt, mox eandem ligandi & ſolvendi poteſtatem Joann. XX. 21. omnibus ſimul Apoſtolis communicaturus. Inde denique afferta illa ab omnibus SS. Patribus

neceſſi

neceſſitas communicandi in fide cum ſupremo Chriſti Vicario ; de qua diximus §. 155.

ARTICULUS II.

DE PRIMA PRÆROGATIVA PRIMATUS ECCLESIÆ SUPRA EPISCOPATUM, QUOD VIDELICET ILLIUS POTESTAS ET JURISDICTIO IN EPISCOPOS CETEROS UNIVERSOS, CEU SUPERIOR, SE EXTENDAT : ITEM DE EFFECTIBUS HUJUS PRÆROGATIVÆ.

248.

S. Petrus, ceu ſupremus Chriſti Vicarius, veram poteſtatem ſuperiorem jurisdictionis in ceteros quosvis Apoſtolos, ejusque in eo ſupremo Vicariatu ſucceſſores, Romani nimirum Pontifices, in omnes omnino particularium Eccleſiarum Epiſcopos, ceu Apoſtolorum ſucceſſores, a Chriſto lege perpetua obtinuère. Oſtenſa hæc theſis jam ſupra eſt §§. 134. 138. 151. 155. 180. n. 2. b. Hic ex ſuppoſito Primatus alicujus S. Petri ſupra omnes Epiſcopos a Chriſto certiſſime inſtituti ſubjungo *argumentum* manifeſtum *ex ratione & fine petitum ;* cujus cauſſa Chriſtus Primatum præcipue inſtituit. Eſt enim finis iſte unitas Eccleſiæ perpetuo & ubique conſervauda (præc.). Atqui ad hoc, ut unitas iſta inter omnes Epiſcopos conſervetur, æque neceſſaria eſt poteſtas quædam ſuperior & jurisdictio proprie talis, quæ Primati competat in Epiſcopos; atque neceſſaria eſt aliqua vera jurisdictio ipſis Epiſcopis in omnes Eccleſiæ ſuæ Presbyteros ac ceteros Chriſtianos, ut unitatem fidei in his ipſi conſervent. Cum enim æque ſinguli Epiſcopi docendo, & regendo ſubditos particularis Eccleſiæ ſuæ, ab unitate fidei & legis divinæ Jeſu Chriſti aberrare poſſint ; atque ipſi eorum ſubditi credendo & ſentiendo : æque opus eſt aliquo rectore Epiſcopis ſuperiore, qui Epiſcopis

pis in unitate conſervandis, atque per iſtos, veluti columnas, toti reliquo ædificio in prima conſtructione ſolidando, fundamenti inſtar immobilis inſerviat. Jam vero Chriſtus ſine dubio talem poteſtatem ſuo ſupremo Vicario dedit; qualem fini inſtituti a ſe Primatus neceſſariam eſſe pro ſua ſapientia intellexit.

* Breviter ac diſtincte hoc ipſum enuntiavit S. Hieronymus in Dial. adv. Lucif. n. 9. *Eccleſiæ ſalus*, inquit, *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet; cui ſi non exſors quædam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes.*

249.

Poteſtas & jurisdictio ſuperior Primatis Eccleſiæ in omnes Epiſcopos ad ea omnia ſe extendit, quæ fini inſtitutionis ejusdem, id eſt, unitati Eccleſiæ ubivis & in omne tempus conſervandæ (247.), *neceſſaria ſunt.* Neque enim de ſapientiſſimo ac divino inſtitutore totius ædificii Eccleſiæ Chriſtianæ, cujus æque poteſtas ac ſapientia infinita eſt, ſupponendum eſt, quod media fini conſequendo inſufficientia, & fundamentum firmando ædificio univerſo non ſatis idoneum & robuſtum, adhibuerit.

250.

Ad unitatem Eccleſiæ cujuslibet particularis conſervandam, ſuppoſita divina inſtitutione Epiſcoporum pro Eccleſiis particularibus regendis (181.), *neceſſarius eſt Epiſcopus certus, non niſi unus, ſupremo Chriſti Vicario ceu fundamento in omni doctrina fidei conſentiens, atque in omnibus, quæ is recte vi ſuperioris ſuæ poteſtatis imperat, obediens.* Niſi enim *certus* ſit Epiſcopus, ſed incertum, quis ex pluribus dubiis verus ſit; neſcient ſubditi Chriſtiani; cui oporteat præ altero, & poſſint tuto credere & obedire in doctrina fidei & morum, ut habeant unitatem fidei

cum

cum reliqua vera Chriſti Eccleſia. Niſi ſit *unus;* inter plures imperantes, quorum neuter alteri eſt ſubordinatus, diſſenſio doctrinæ & imperii oriri poterit; quin duobus ſimul tunc obedire, aut ſcire ſubditi poſſint, cui præ altero obedire debeant. *Niſi ſit ſupremo Chriſti Vicario fide & obedientia conjunctus;* errare ipſe in doctrina & imperando ſubditis fidelibus, ac proin diviſionem a reliqua Eccleſia univerſali inducere in particularem ſuam Eccleſiam poterit. Itaque &c. &c.

251.

I. *Ad Primatis ergo poteſtatem ſuperiorem in Epiſcopos ſpectat, ut ipſe ab electione ad Epiſcopatus particularium Eccleſiarum repellere poſſit perſonas Eccleſiis ob hæreſin, ſchiſma* (144. not. 1. 146.), *vel aliud ſcandali genus, certo noxæ futuras; atque in eo ſenſu Primati poteſtas confirmandi, vel reſcindendi, electionem Epiſcoporum jure divino competit in univerſa Eccleſia.* Jure enim ſolo divino ſpectato pares ſunt omnes Epiſcopi: nec proin vel unus alterum judicare, vel de dignitate perſonæ alicujus ad Epiſcopatum eligendæ præ aliis Coëpiſcopis judicandi potiorem poteſtatem aut jus habere poteſt. Ex adverſo Primati jure divino poteſtas omnis in ipſos Epiſcopos competit, quæ ad unitatem Eccleſiæ conſervandam neceſſaria eſt (249.). Ergo per §. præc. &c. &c.

252.

II. *Si dubia ſit electio, aut duo ſimul Epiſcopi pro eadem Eccleſia electi fuerint; Primati per ſe & ſpectato ſolo jure divino poteſtas competit de eo judicandi, quis ex duobus potiore electionis jure gaudeat,* ob eandem videlicet rationem, quæ §. præced. data eſt.

253.

253.

III. *Spectato ſolo jure divino ad Primatem ſpectat limites territorii Epiſcopalis ſeu Eccleſiæ cujuslibet particularis determinare: ac proin novas diœceſes erigere, aut priores dividere.* Si enim omnium Epiſcoporum poteſtas jurisdictionis relinqueretur non reſtricta, ſed extenſa ad univerſos Chriſtianos; *vel* ad omne ejus exercitium validum requireretur omnium conſenſus, ſicuti in Societate quavis prorſus æquali; donec ipſorummet univerſis concurrentibus votis alius modus decidendi conſtitueretur (60.); quod nunquam huc uſque factum fuiſſe conſtat; vel plures, imo tot, quot ſunt in tota Eccleſia Epiſcopi, eſſent in eadem qualibet particulari Eccleſia imperantes ſine ſubordinatione; quod unitati obeſſet (250.). Ergo per rationem §. 251. jam allatam jure divino ad Primatem ſpectat &c. &c.

254.

Attamen extra caſus quosdam ſpecialis neceſſitatis nequaquam ad Primatis qua talis officium ex intentione Chriſti, ſupremi Eccleſiæ ſuæ Principis, veluti per ſe ſpectat electio ipſa perſonarum ad Epiſcopatus particularium Eccleſiarum; ita quidem, ut perſonas idoneas ac dignas, atque ſecundum conſuetudinem in particulari quavis Eccleſia rite introductam legitime ad Epiſcopatum delectas, jure repellere nequaquam poſſit. Neque enim Primas uſpiam ipſe conſtitutus a Chriſto eſt, ut ipſe omnes inferiores paſtores conſtituat, ſed ut eos jam conſtitutos a Deo poſt electionem cum ſuo conſenſu peractam ceu fratres ſuos *confirmet* (Luc. XXII.): neque jurisdictionem illi in ſuas Eccleſias ab ipſo, ſed immediate a Chriſto accipiunt, ſi rite electi fuerint (182. III. IV.) perinde atque ipſe Primas ſemel rite electus: adeoque divina inſtitutione Epiſcopi miniſtri ſunt Chriſti ipſius, non ejus Vicarii ſupremi; ac proinde per ſe & ex ipſa natura of-

ficii Epiſcopalis nulla eſt neceſſitas; ut ab ipſo Primate eligantur. *Sed neque* unitas Eccleſiæ id requirit: quippe ad quam conſervandam ſufficit, ſi Primati competat *jus confirmandi* rite electos, id eſt, declarandi, non obſtare ullam indignitatem, quo minus eligi potuerint, & permittendi, vel etiam jubendi, ut actu pro tali particulari Eccleſia ſacro Epiſcopatus ordine initientur. *Denique* cum Chriſtus expreſſe illi dominatum in Eccleſia interdixerit (163.); nequaquam vero utile ſit Eccleſiis, ingratos, ignotos, vel ab ipſiſmet propriis ovibus non probatos paſtores præ iis, quos ipſæ exoptant, obtrudi: manifeſtum eſt, ex intentione Chriſti hanc electionem ad officium Primatis neutiquam ſpectare; eo quod imperia & leges ſine neceſſitate & utilitate latæ certo deſpotiſmum ſapiant (160. III. 38.).

* Dixi *extra caſus quosdam ſpecialis neceſſitatis*; qualis eſt ex. gr. cum ad gentem adhuc infidelem primum convertendam Epiſcopus mittendus eſt: neque enim ex ipſa, aut ab ipſa, Epiſcopus neophytus bene ac prudenter eligendus expectari poſſet. Porro caſus iſte univerſe exiſtebat; cum Apoſtoli in Eccleſiis primos Epiſcopos ſingulari ac tunc temporis neceſſaria poteſtate inſtituerent.

* * Et vero non ſuppetunt in omni veteri diſciplina Eccleſiæ exempla, quod Romani Pontifices ſibi ipſum *jus ordinarium eligendi* Epiſcopos in Eccleſia tota arrogarint: etſi Patriarchis & Metropolitis, atque hoc ipſo etiam ſibi ut Patriarchis Occidentis, reſpectu ſuarum provinciarum ſubditarum *jus confirmandi Epiſcopos* a populo & clero electos, & eosdem *ordinandi*, integrum eſſe voluerint; uti patet ex Ep. S. Innocentii I. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum citata §. 196. n. 2. lit. c. item ex S. Hieronymi ep. ad Evangel. citata §. 173. n. 3. ſub lit. c. teſtantis, in Eccleſia Alexandrina *inde a S. Marco uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos ſemper a Presbyteris ejus Eccleſiæ fuiſſe electos.*

255.

Supremus Chriſti Vicarius in judicio, quod pro poteſtate ſibi propria fert tum de dignitate perſonæ ad Epiſcopatum aliquem electæ; tum de jure potiore unius præ alio in dubia electione, aut de utilitate figendi limites uni diœceſi &c., nullo pacto erroris expers eſt. Neque enim quæſtio, de qua in id genus cauſſis pro poteſtate judicat (251. ſeqq.), ullo pacto ad materiam legum fidei a Chriſto latarum, in qua unitas Eccleſiæ ſemper conſervari debet, nec ejus deciſio a Dei revelatione, ſeu verbo divino, pendet; ſed ceu quæſtio vel meri facti, vel ex adjunctis locorum, temporum, & perſonarum pendens, ex teſtimoniis mere humanis inſtar aliarum quæſtionum facti, vel ad prudentiam humanam ſpectantium, decidenda eſt. Atqui in id genus quæſtionibus nullo argumento uſquam immunitas ab errore ſummo Chriſti Vicario divinitus promiſſa fuiſſe probatur. Ergo &c.

256.

I. Quoniam itaque in judicio ferendo de dignitate perſonæ ad Epiſcopatum, de valore electionis alicujus dubiæ, de ſufficiente cauſſa figendi aut mutandi limites diœceſium, quod per ſe mere humana prudentia ferri debet, & errori ſimpliciter obnoxium eſt, longe minori errandi periculo obnoxii ſunt, qui rerum, de quibus quæſtio talis eſt, adjuncta cominus inſpiciunt propriis auribus & oculis; nec Eccleſiis ipſis utile eſt, ſi ob lites in remotiſſimo Romanæ Urbis tribunali actitandas, vel ob confirmationem ibi petendam, earum rectores recens electi, vel etiam jam veterani, cum longorum itinerum moleſtia & expenſis maximis, diu a proprio grege abeſſe cogantur: enimvero *moderatio Eccleſiaſtici imperii, & omnis dominatus fuga, tantopere a Chriſto ſupremo ſuo Vicario commendata* (163.), *requirit, ut,* quemadmo-

admodum inſtitutionem Metropolitarum, & Patriarcharum, alioquin utilitates maxime inde in Eccleſiam redundantes, & inprimis facilitas major notitiam de quarumvis Eccleſiarum particularium bono, vel malo regimine obtinendi, jam ipſis Apoſtolorum temporibus perſuaſere (198.), idque veriſimilius ipſo S. Petro ejusque in Primatu ſucceſſoribus auctoribus (202 I.) effectui datum eſt; ita ob easdem rationes etiam *id genus cauſſæ Epiſcoporum, non immediate Romæ, ſed ab Metropolitis, vel ab Epiſcopis provinciæ, de qua Epiſcopus quisque eſt, poteſtate ordinaria in locis ipſis judicentur, in quibus exortæ ſunt; ita tamen, ut Epiſcopo, vel parti litiganti, appellatio ad ipſum ſummum Primatem libera relinquatur; ad quem ſemper ultimi ac ſupremi judicii poteſtas pertinet, & cujus delegata ſolum poteſtate ceteri illi judices, in provincia conſtituti, utentur* (202. IV.).

257.

II. Ob eandem rationem, quod nempe erroris expers non ſit in cauſſis §. præc. memoratis etiam Primatis totius Eccleſiæ judicium; *licebit cuique Epiſcopo, ſi ipſe Primas immediate per ſe Romæ judicarit, & ille ſe læſum tali erroneo judicio judicarit*, licebit, inquam, *a judicio Primatis male informati appellare ad eundem melius informandum, ac petere judices in propria provincia; qui eundem de vero cauſſæ ſuæ ſtatu melius informent.* 2.) *Ipſi quoque Metropolitæ obligabuntur*, tum ex caritate erga læſum Epiſcopum fratrem ſuum, tum ex officio delegatæ ſibi ab ipſo Primate Metropoliticæ poteſtatis, *in caſu judicii ob falſam informationem manifeſte erronei a Primate lati iſtum de errore commonere, & ſalva debita ſuperiori ſuo reverentia fraterne corrigere.* 3) Porro *quæ de judiciis in cauſſis Epiſcoporum ſimplicium inde a §. 255. dicta ſunt, perinde valent de cauſſis Metropolitarum, quæ iſtos ſeu qua tales, ſeu ut ad ſimplices*

Epi-

Epiſcopos afficiunt: niſi quod iſtis cum poteſtate ordinaria ſaltem delegata præſint inferioribus Epiſcopis, *non Epiſcopi ſubditi, ſed vel alii Metropolitæ, vel Patriarcha, cui ſubſunt, pro judicibus immediatis a ſummo Primate in prima ſaltem inſtantia, uti loquimur, pro moderatione ſuavis Chriſti regiminis concedendi ſint.* 4.) *Patriarchis liberum eſſe debet, ut ſuis in cauſſis pro prima inſtantiâ vel immediate a Primate per judices a ſuo latere, ut ajunt, delegatos, vel in ipſa Romana urbe, ſi eo accedere propriis impenſis malit, a Primate ipſo judicentur; ſalva tamen ſemper provinciarum Patriarchæ ſubditarum Metropolitis & Epiſcopis, forte a Patriarcha læſis, appellatione ab erroneo quocunque Primatis judicio ad eundem melius informandum.*

258.

III. *Quodſi ſemel in id genus cauſſis Epiſcopalibus ob rationes ſapientiſſimas,* §§. 255. 256. enumeratas, *ex votis omnium Epiſcoporum integræ nationis Chriſtianæ, ſeu in Concilio congregatorum, ſeu extra Concilium id petentium, id genus ordo aliquis judiciorum, cum Primatis Eccleſiæ juſtiſſimo conſenſu introductus, vigeat; quamdiu eædem rationes ſubſiſtunt; non poteſt Primas Eccleſiæ illum ordinem evertere, aut tranſilire;* quin ſpecie quadam indecentis dominatus contra regulam a Chriſto Domino ſibi tam graphice præſcriptam peccet: *principes gentium dominantur eorum; vos autem non ſic: ſed qui major eſt inter vos, fiat ſicut minor.*

259.

Facta *tum diſciplinam Eccleſiæ primorum ſeculorum in Epiſcoporum electione, tum uſum Pontificiæ poteſtatis in confirmatione Epiſcoporum electorum repræſentantia.* I. Primis ſeculis electio Epiſcoporum fiebat concurrente populo & Clero Eccleſiæ vacan-

 tis,

Digitized by Google

tis, & Epiſcopis provinciæ in Synodum convenientibus vel in civitate, ubi vacabat ſedes epiſcopalis, vel in urbe Metropolitæ. *Populus* proponebat *deſiderium* ſuum de certa perſona; *Clerus* ferebat *teſtimonium* de vita ac dignitate ejusdem, atque etiam eligebat; *Metropolita* vel *Patriarcha* confirmabat electionem; & tunc vel ab omnibus, ſi congregari poterant, vel a tribus ſaltem ejusdem provinciæ Epiſcopis (extra caſum neceſſitatis aliud exigentis) ordinabatur Epiſcopus. Patet id partim ex *Canone IV. Nicæno* ſupra §. 195. n. 2. citato, partim ex S. Leonis M. Ep. 167. ad Ruſticum Narbonenſem ſcribentis: *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati.* Quibus adde *S. Innocentii I.* Epiſtolam ad Alexandrum Antiochenum ſupra §. 196. n. 2. ſub lit. c. recitatam, & his omnibus multo antiquius diſciplinæ Eccleſiaſticæ iſtius deſcriptæ documentum, nempe S. Cypriani Epiſt. 68. alias Lib. I. ep. 4.

II. Omiſſis poſtea Synodis provincialibus, vacante aliqua Eccleſia Metropolita mittebat Epiſcopum Viſitatorem, qui Clerum & populum admonebat, ut concordi voluntate & omiſſo partium ſtudio convenirent in poſtulanda pro ſuo paſtore perſona aliqua digna ad miniſterium epiſcopale: & convenientibus illis in poſtulatione, formabatur decretum, cui ab omnibus ſubſcribendum erat præſente Epiſcopo Viſitatore; quod dein cum atteſtatione iſtius mittebatur ad Metropolitam; quo idem confirmante nominatus in illo decreto ordinabatur Epiſcopus, vel ab ipſo Metropolita & duobus aliis, vel a tribus provincialibus Epiſcopis a Metropolita deputatis. *Metropolitæ* vero a *Patriarcha* confirmabantur, & ordinabantur. Si in partes ſe eligentium vota dividerent, ejusdem erat

erat judicare, quis majoribus ſtudiis & meritis juvaretur, cui electionis confirmatio vulgo competebat. Sic ſtatuit Arelatenſe II. Concilium Can. V. *Epiſcopum ſine Metropolitano, vel Epiſtola Metropolitani, vel tribus Conprovincialibus, non liceat ordinare*: & Aurelianenſe IV. Can. III.: *licet melius eſſet in ſua Eccleſia fieri, tamen aut ſub præſentia Metropolitani, aut certe cum ejus auctoritate intra provinciam omnino a Conprovincialibus ordinetur.* Judicium dubiæ electionis ad Metropolitam pertinere ſcribit *Hincmarus Rhemenſis* in Opuſc. cap. 6. contra Hincmarum Laudunenſem.

III. Quod ad *Primatis* ſeu *ſummi Romani Pontificis officium hac in parte* attinet; inprimis exploratum eſt, *Orientalium Epiſcoporum* confirmationem Metropolitis, *Metropolitarum* vero Patriarchis dimiſſam a Romanis Pontificibus fuiſſe: *Patriarchas* tamen ab eisdem Romanis Præſulibus confirmationem expectaſſe, multis conſtat ex apertiſſimis documentis Nam a) a Theodoſio Imperatore an. 382. per legatos petitam a *Damaſo Papa* fuiſſe *Nectarii* Conſtantinopolitani confirmationem, ex Epiſtola 15. *Bonifacii I.* ad Rufum aliosque Illyrici Epiſcopos conſtat apud Conſtantium col. 1043. b) *S. Leo M.* a. 449. *Anatolii* Conſtantinopolitani electionem in literis ad Marcianum datis c. IV. Ballerin. edit. col. 1147. confirmans, hæc ſcribit: *Nos veſtræ fidei interventionis habentes intuitum, cum ſecundum ſuæ conſecrationis auctores ejus initia titubarent, benigniores circa ipſum quam juſtiores eſſe voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus. -- Satis ſit prædicto, quod veſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ urbis obtinuit.* c) Idem *S. Leo M.* an. 452. *Epiſcopatum ſancti ac venerabilis Maximi Epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ* CONFIRMAVIT; quæ verba ſunt formalia

Chalcedonenſis Concilii Act. X. d) An. 482. *S. Simplicius Papa* ſuper electione *Joannis Talajæ Alexandrini Epiſcopi* ſic ſcribit ep. 17. ad Acacium: *Nuper ab Ægyptia Synodo, quæ & numero plurima, & fidei Catholicæ eſſet communione ſuffulta; atque ab ipſo omni propemodum Clero Alexandrinæ ſedis ad nos* EX MORE *relatio miſſa patefecit, in* (Timothei defuncti Epiſcopi) *vicem conſona fidelium voluntate Joannem, cui ad Sacerdotium conſtare crederentur omnia, ſubrogatum, & nihil omnino reſtare videbatur, niſi ut Apoſtolicæ quoque moderationis aſſenſu votivam ſumeret* FIRMITATEM: *cum ecce* SECUNDUM CONSUETUDINEM MIHI TALIA DISPONENTI *tranquilliſſimi Principis ſcripta ſunt reddita; quibus memoratum tanquam perjurii reum* SACERDOTIO PERHIBERET INDIGNUM. *Illico retraxi pedem, & meam* REVOCAVI SUPER EJUS CONFIRMATIONE SENTENTIAM, *ne quid contra tantum ac tale teſtimonium præpropere feciſſe judicarer.*

IV. *Erga occidentales cujuslibet gradus Epiſcopos* Papam Romanum uſum fuiſſe juribus iisdem cum ceteris Patriarchis, manifeſtiſſime patet tum ex eo, quod *S. Innocentius I.* conceſſit iſtis in Ep. ad Alexand. Antiochenum (§. 196. n. 2. ſub lit c. allegata); tum exinde, quod *Nicænum I.* Can. VI. (citato ſupra §. 196. n. 1.) talia jura ceteris Patriarchis confirmans, eadem ad Romani unius Patriarchæ normam exegerit. Sicut ergo Orientis & Ægypti Epiſcopi nulli (teſte *S. Innocentio* in cit. ep.) poterant *ſine ſui Patriarchæ permiſſu conſcientiaque procreari;* ita nec occidentales ulli ſine conſenſu Papæ Romani. Hujus rei patheticum inprimis exemplum ſuppeditat Epiſtola *Siricii Papæ* ad *Aniſium*, & *S. Leonis M. ad Anaſtaſium*, Theſſalonicenſes Epiſcopos, & ſedis Apoſtolicæ per Illyricum Vicarios. *De Martiano Arelatenſi in Gallia* Epiſcopo jam tempore S. Cypriani analogum huic

mate-

materiæ Pontificiæ poteſtatis exercendæ exemplum ſupra retuli §. 196. n. 4. ſub lit. e.

V. Quamvis *hæc electionum forma* per plura ſecula paſſim uſurparetur in Eccleſiis; tamen *ſucceſſu temporum varie fuit immutata.* Ac 1'.) quidem cum in id genus electionibus Eccleſia ad exemplum, quo ſeptem Diaconi Act. VI. 2. ſeqq. coram *omni multitudine diſcipulorum*, & ad præſentationem iſtius, conſtituti ab Apoſtolis ſunt, multum inde ab initio conceſſiſſet populo, nobilibus, & Magiſtratibus; æquum erat, ut revolutione Imperii per Conſtantinum M. aliorumque regnorum ad Chriſtianam religionem converſione facta, tum Imperatoribus, tum Regibus, aliisque ſummis quibusque provinciarum principibus, omni tempore multum in eo negotio deferret; quippe qui & populi vices cum cetera regiminis poteſtate, & curam religionis, per bonorum paſtorum doctorumque delectum promovendæ, ex officio gererent. Vide infra §. 342. Urgebant hoc jus ſuum ſummi quidam Principes eo graviori nomine; poſtquam Epiſcopatibus feuda locupletiſſima & grandia jura temporalia, vel ipſorum, vel Anteceſſorum ſuorum Principum liberalitate, fuerant annexa. Atque ita factum, ut, cum alioquin turbæ, tumultus, & variæ inordinatæ partialitates, populi electiones bonas ſæpiſſime impedirent, populus denique a ſuffragio plane excluſus; principum vero ſummorum conſenſus tum quæſitus, tum vero etiam requiſitus fuerit; poteſtate tamen ſumma confirmandi & conſecrandi a clero cum conſenſu Principis electum ſemper manente penes Metropolitas, Patriarchas, aut Romanos Pontifices. Seculo tamen XI. cœpere Reges & Imperatores in Germania liberas Epiſcoporum electiones a clero faciendas prorſus opprimere; quin (quod a vitio gravi excuſari non poteſt) pro pecunia nundinari Epi-

ſcopatus, & ſolius pecuniæ ratione habita Præſules Eccleſiæ per vim obtrudere, ſacro Miniſterio prorſus impares, nec expectata ſeu Metropolitarum, ſeu Pontificum confirmatione, per baculum & annulum inveſtire, id eſt, in poſſeſſione Eccleſiæ conſtituere. Qua de re Principes Germaniæ graviter ipſimet ſæpius apud ſummos Pontifices ſunt conqueſti (Hemold. Chron, Slavor. L. I. c. 28. & 32.). Inde etiam contigit, ut plures Epiſcopi Galliæ & Germaniæ (teſte Ivone Carnotenſi Ep. 238.) conſcientia ducti, baculos paſtorales, a terrenis Principibus acceptos, in manus Papæ reſignarent, eosdemque ab eodem denuo, ceu a Chriſti Vicario, reciperent. Ita vero ſenſim aſſueſcebant Epiſcopi a Papa Epiſcopatus accipere, & ſummi Pontifices eosdem dare Epiſcopis: ſicuti antea reges, electis & confirmatis Epiſcopis dono dando res temporales & feuda Eccleſiarum ſuarum, inſueſcebant dare ipſos Epiſcopatus. Ceſſationi tamen Synodorum provincialium inprimis adſcribendus frequentior Romam recurſus pro confirmatione Epiſcoporum. Ceterum inveſtiturarum abuſibus Gregorius VII. ejusque ſucceſſores ſe invicta quidem conſtantia oppoſuere; ſed, cum, veluti repreſſaliis uſuri, defenſionem jurium Eccleſiæ usque ad everſionem jurium temporalium & ipſorum regentium promoverunt; neſcio, an præciſe ut manſuetiſſimi ſervatoris miniſtros ſeſe geſſerint, atque regulas Eccleſiaſticæ correptionis ex S. Auguſtino ſupra §. 211. not. 2. memoratas, ſemper præ oculis habuerint. Sæpius tentata concordia non niſi poſt medium Seculi XIII. durante illo diuturno Interregno Imperii poſt mortem Friderici II. obtenta, plenaque electionibus libertas tunc quidem reſtituta eſt. 2.) A medio itaque Seculi XIII. ſtatuente id potiſſimum Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. an. 1215., ſubmoto ab Epiſcopo-

ſcoporum electionibus populo & Epiſcopis provinciæ, libera electio Canonicis Eccleſiarum Epiſcopalium, ſeu Cathedralium, relicta eſt; qui quidem jam inde ab exeunte Seculo X. eam ad ſe ſolos trahere, excluſis primo Comprovincialibus Epiſcopis, & poſtea etiam ipſis Metropolitis, conati ſunt, ordinatione ſejuncta a confirmatione, & confirmatione ſolius Romani Pontificis expetita: quæ diſciplina, cum poſtmodum ab ipſis Romanis Pontificibus per varias reſervationes labefactari cœpiſſet, Imperatoribus jam mutato clypeo libertatem Eccleſiarum defendentibus, denique novo robore confirmata eſt in Germania an. 1448. ex Concordatis Germaniæ inter Nicolaum V. Papam & inter Fridericum III. Imperatorem; atque in eadem Germania hodiedum perdurat; quin ſine cauſſa urgentiſſima publicæ utilitatis, aut neceſſitatis, mutari etiam ab Romanis Pontificibus poſſit (258). Vide Thomaſſinum de diſcipl. Eccleſ. P. II. L. II. cap. 33. 42. & 43. 3'.) Specialia concordata cum Franciſco I. Rege Galliæ an. 1516. iniit Leo X. pro univerſo Galliæ regno, in quibus abolita ſanctione pragmatica Bituricenſi, Pontifex Regibus Galliæ jus privativum nominandi perſonas dignas ad Epiſcopatus, excluſa Capitulorum electione, in perpetuum addixit, ſibi vero una cum Annatis jus confirmandi poſt examen meritorum perſonæ nominatæ reſervavit. Similia Concordata poſtmodum cum aliis quoque Regibus inita fuiſſe ſequentibus ſeculis conſtat 4'.) Ut vero ſublatum Epiſcoporum Comprovincialium officium in negotio hoc conſtituendi Epiſcopos ex parte ſuppleatur, Romanus Pontifex Romæ in Conſiſtorio Cardinalium, quod vices Synodi Provincialis quodammodo ſupplet, & ex pluribus Cardinalibus Epiſcopali gradu inſignibus componi ſolet, merita & requiſita perſonæ, ſeu a Capitulis Cathedralibus, ſeu a Regi-

Regibus præſentatæ, examinare, ac tum primum confirmare, vel rejicere ſolet. Pariter pro Eccleſiis Italiæ, etſi libere & ſine alia electione vel nominatione prævia, ſoli Pontifices Romani diſponant, tamen iterum non niſi in Concilio Cardinalium, & perſonæ meritis, quin & doctrina in *ſpeciali* examine, coram ipſo Pontifice ſubeundo, rite ponderatis, id facere conſueverunt. Interim inter illa Papæ Conſiſtoria & Synodos provinciales id diſcriminis intereſt; quod in illis Cardinales etiam Epiſcopi non niſi conſiliarii ſint, nec voto deciſivo, ut Judices Epiſcopi in Synodis, gaudeant.

260.

I. *Patet itaque ex univerſa huc usque obſervata diſciplina Eccleſiæ, ad delectum Perſonæ pro Epiſcopatu, ut Deo ad accipiendam ab eo immediate jurisdictionem rite & cum effectu certo præſentetur* (182. III. IV.), *requiri judicium de ejus dignitate & conſenſum Primatis Eccleſiæ, ab eo editum ſeu per ſe ipſum immediate* (*III. IV. V. præc.*) *ſeu per Metropolitas, aut Patriarchas, poteſtate ipſius delegata ordinaria vi ſuæ inſtitutionis & conſentientibus ipſis Primatibus Eccleſiæ ad hoc inſtructis* (202. præc. I. II. III.).

II. *Quod cetera requiſita electionis iſtius attinet, variabilia illa ſpectato jure divino per ſe ſunt, eo ſolo excepto, quod ipſius Eccleſiæ, cui Paſtor præficitur, quisquam repræſentans moralem perſonam* (44.), *ſeu populus ſit ipſe, ſeu clerus, ſeu princeps, iſtius cauſſam fideliter agere, atque præſumta fidelium vota ſummo Eccleſiarum paſtori* (*immediate, vel mediate per Metropolitam & Epiſcopos provinciales*) *præſentare debeat; qui ea vel probata offerat Deo, vel, improbata ex cauſſis legitimis, corrigat; atque hoc pacto veluti cura ſuprema Eccleſiæ proſpiciat; ne inidoneus paſtor in ovile irrepat.*

III. *Ex*

III. *Ex hoc ipſo autem facile obligationem eorum colligere, qui in perſona ad Epiſcopatum ſeu eligenda, ſeu nominanda, non niſi negotium totius Eccleſiæ gerunt, non autem arbitrio proprio agere poſſunt.*

261.

Facta *diſciplinam Eccleſiæ inde a primis ſeculis repræſentantia in tranſlatione Epiſcoporum ab una ad aliam ſedem Epiſcopalem.* I. Promiſcuas id genus translationes ſemper prohibuit Eccleſia; uti hoc conſtat ex Can. XV. Concilii Nicæni, ex Can. XXI. Antiocheni Concilii, ex Can. I. Concilii Sardicenſis; quibus omnibus edendis anſam dedit arrogantia Arianorum Seculo IV. ad propagandos ſuos errores continuo novis & dignioribus ſedibus inhiantium. His adde Canonem XXVII. Concilii Carthaginenſis IV. an. 398. celebrati.

II. In caſu tamen legitimæ cauſſæ, neceſſitatis, vel magnæ utilitatis Eccleſiæ, conceſſum erat fieri id genus translationes a Conciliis Provincialibus; uti conſtat ex modo citato Canone Concilii Carthaginenſis IV. (C. 37. VII. q. 1.) item ex Can. XII. Synodi Toletanæ XVI. & Capitularibus Caroli M. Idem vero fieri in iisdem caſibus etiam potuiſſe permiſſu Sedis Apoſtolicæ, imo nec ſine iſtius permiſſu tacito, vel expreſſo, per Metropolitas, poteſtate delegata ad hoc inſtructos (202.), in Synodis Provincialibus eas translationes conceſſas fuiſſe, ſequentia exempla probare omnino videntur. 1°.) Cum Seculo IV. in defuncti *Maximiani Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopi* locum *Theodoſius* Imperator *Proclum Cyzicenorum Epiſcopum* ſuffici juſſiſſet; Conſtantinopolitani autem translationi huic repugnarent: Imperator exhibitis *Cæleſtini Papæ* Romani literis eam concedentis continuo omnem obicem removit, teſte Socrate L. VII. c. 40.

c. 40. Similem tamen recurſum ad Papam in translatione *orientalis* Epiſcopi, Metropolita inferioris, extra Europam vix leges; quippe quod in oriente translatio inferiorum Epiſcoporum auctoritate ſolius Metropolitæ & Synodi Provincialis fieri conſueviſſet. Ejus rei exemplum in translatione *Euphronii* Colonienſis in Armenia Epiſcopi ad ſedem Nicopolitanam occurrit; quæ auctoritate *S. Baſilii* Metropolitæ Cæſareenſis in Synodo provinciali facta fuit; uti in Epiſt. 227. & 228. *S. Baſilii* (edit. Benedictin.) legere eſt. Similes translationes de *S. Athanaſio* in epiſt. 67. Syneſii, item de *Attico* Conſtantinopolitano, pluresque alias apud Socratem L. VII. c. 36. legere eſt. Unde patet, in oriente eandem fuiſſe Translationum atque Electionum Epiſcopalium faciendarum rationem (259. III.). 2°.) Eodem Seculo IV. *Corinthii* a *Bonifacio* Papa cujus in Illyricum jus Patriarchale in hoc reverebantur, flagitarunt, ut *Perigenes*, quem in Synodo *Patrenſibus* jam antea Epiſcopum præfecerant, ſibi Epiſcopus concederetur, ut conſtat ex Ep: IV. & XV. *Bonifacii* Papæ prædicti. 3°.) Eodem IV Seculo *Patres Tarraconenſis Concilii* ad ſedem Apoſtolicam recurrerunt, ut ſibi liceret ad Barcinonenſem Eccleſiam *Irenæum* cujusdam Municipii ad eam diœceſin ſpectantis Epiſcopum transferre: quem tamen *Hilarus* Papa Romanus mox ab Eccleſia Barcinonenſi removeri, ac priſtinæ ſuæ reſtitui Eccleſiæ juſſit. 4°.) Seculo IX. *Sueſſionenſis* in Gallia *Concilii Patres*, cui *Hincmarus Rhemenſis* intererat, *Actardum Nanneticæ* antea urbis Epiſcopum, ſed a Nordmannis & Britonibus, qui urbem illam incendio funditus diruerant, in eremum ſecedere compulſum, alteri Eccleſiæ præfici exoptabant. Ad *Nicolaum* ergo I. literas dant, ut *vacantis ſedis conſtitueretur in cathedra.* Vide Ep. Concilii Sueſſ. ad Nic. I. in Tom. II. oper. edit. Sirmondi

mondi pag. 744. 5'.) Eodem Seculo IX. *Frotarius* quoque, ut a Burdigalenſi ad Bituricenſem Eccleſiam transferretur, a *Joanne VIII. teſtimonio* tamen *accedente comprovincialium Epiſcoporum*, licentiam impetravit. 6'.) Id ipſum eodem Sec. IX. teſtatur ipſe *Hincmarus Rhemenſis* cit. loc. apud Sirmondum, dicens: *ſi autem cauſſa certa neceſſitatis, vel utilitatis exegerit, ut quilibet Epiſcopus de civitate, in qua ordinatus eſt, transferatur ad aliam civitatem; Synodali diſpoſitione, vel Apoſtolicæ Sedis conſenſione, apertiſſima ratione manifeſtum fieri debet.* Ubi particulam illam *vel* ab Hincmaro adhibitam, non tam disjunctive, quam copulative intelligendam eſſe, ut conſenſus Papæ ſimul neceſſarius aſſeratur; ipſum Sueſſionenſis Concilii exemplum abunde probare videtur. 7'.) Seculo X. *Auxilius*, Formoſi Papæ a Portuenſi ad Romanam Eccleſiam translati defenſionem ſuſcipiens, in Proëmio lib. de Ordinat. Formoſi poſt plura allata translationum exempla, concludit, *quod, ſi Epiſcopus a propria ſede fuerit pulſus, certa imminente neceſſitate vel utilitate, in alia Eccleſia, quæ Præſulem non habet, intronizzari poſſit, non tamen abſque auctoritate duntaxat Romani Pontificis.* 8'.) Seculo XI. *Paſchalis II.* Papa in literis, quibus Roffenſis Epiſcopi ad Cantuarienſem ſedem translationi aſſentiebatur, diſerte ſcribit: *vos præter auctoritatem noſtram Epiſcoporum quoque mutationes præſumitis; quod ſine Romanæ Sedis auctoritate ac licentia fieri novimus omnino prohibitum.* 9'.) Eodem Seculo IX. *Ivo Carnotenſis*, Paſchali II. æqualis, Epiſt. 181. ſcribit: *translationes Epiſcoporum neceſſitate urgente Metropolitani auctoritate, & ſummi Pontificis diſpenſatione fieri oportet.* Et *S. Anſelmus* ejusdem ſeculi piiſſimus Præſul Cantuarienſis L. III. ep. 136. *qui*, inquit, *ſacratus eſt Epiſcopus, non poteſt conſtitui in alia provincia Epiſcopus canonice, ſine conſilio & aſſenſu Archiepiſcopi &*

Epi-

Epiſcoporum ejusdem provinciæ, cum auctoritate Apoſtolica. 10'.) Extant nihilominus dubia quædam exempla Translationum ejusmodi factarum, de quibus poſitive probari non poteſt, easdem cum conſenſu Papæ Romani ſic factas eſſe, ut is neceſſarius ad eas ſecundum canones & legitime faciendas crederetur. Sic *Cantuarienſem* ad *Eccleſiam* fere ſemper Epiſcopi ex alia ſede, quam jam prius tenuerant ante annum Chriſti millesimum transferri ſolebant; quin ulla apud ſcriptores illius vel ſequentis ætatis aſſentientis Romani Papæ fiat mentio. Sic *Ven. Beda* in Hiſt. Anglor. L. II. c. 5. ſeq. refert, in Anglia jam ante ſua tempora pridem varias Epiſcoporum factas fuiſſe translationes ſive ad declinandas barbarorum hoſtium incurſiones, ſive ad fidem inter idololatras conſervandam. Interim aliis haud veriſimile videtur, in Anglia ſola exceptionem a communi reliquarum Eccleſiarum regula exceptionem fuiſſe admiſſam: & quod Cantuarienſem Eccleſiam attinet, id potius inter ſpecialia ejus Eccleſiæ privilegia referendum putant, a Pontificibus Romanis ſpeciatim conceſſa; præſertim cum id genus translationes his ignotas fuiſſe veriſimile nullo pacto eſſe poſſit; quippe quorum ſpeciali conceſſione conſtat Cathedrales Anglorum Eccleſias, & Cantuarienſem inprimis, per ea tempora a Monachis fuiſſe adminiſtratas, fatente id ipſo Jacobo Uſſerio Lib. de Antiq. Britannic. Eccl. c. 27. De exemplis ex Ven. Beda ſumtis ipſa neceſſitas mutandi ſedem a rigore juris communis obſervando poterat excuſare. Ceterum ſolum ſilentium ſcriptorum de petita ſedis Apoſtolicæ licentia ſufficere ad probandum aliis non videtur, quod Synodis provincialibus circa translationes Epiſcoporum faciendas ſua præciſe auctoritate licuerit in legibus Conciliorum generalium (Nicæni & Sardicenſis) diſpenſare, quibus translationes illæ ſimpliciter

citer vetabantur. 11'.) Poſt hæc omnia denique *Innocentius III.* Papa in Concilio Lateranenſi IV. Oecumenico An. 1215. in Cap. 1. 2. 3. de Translat. translationes Epiſcoporum prohibuit *ſine judicio Papæ nec a Metropolitanis, nec a Patriarcha quidem faciendas*, nixus auctoritate, ut quidam volunt, falſarum Decretalium Iſidori Mercatoris, & interpolata *Anteri* Papæ Epiſtola; cujus fragmentum legitur c. 34. VII. q. 1. quod ex ratione colligunt, quam ipſe allegat cit. Cap. 1. de Translat. dicens: *cum ex illo generali privilegio, quod B. Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit, Canonica poſtmodum manaverint inſtituta, continentia, majores Eccleſiæ cauſſas ad Sedem Apoſtolicam perferendas, ac per hoc translationes Epiſcoporum - - - ad ſummum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem de jure pertineant &c. &c.*

262.

I. *Suppoſito ſemel certo principio, quod confirmatio electæ perſonæ ad Epiſcopatum aliquo pacto vi juris divini Primatus ad ſupremum Pontificem pertineat* (260. 251.); *extra dubium videtur, ejus conſenſum, tacitum, vel expreſſum, ſingillatim, vel approbatione alicujus ſtabilis diſciplinæ in hac parte introducendæ univerſe ab eo datum, ad translationes Epiſcoporum quoque legitime faciendas requiri.*

II. *Etſi ergo vi Canonum Concilii Carthaginenſis IV. & Toletani XVI.* §. *præc. n. II. citatorum alicubi Translationes Epiſcoporum a ſola Synodo Provinciali factæ fuiſſent, non requiſito ſingulari conceſſione Papæ Romani: id tamen juri iſtius obſtare non poterat;* quia id permittere ipſi, quamdiu abuſus non interveniret, prohibitum non erat; maxime cum Metropolitis delegare etiam ad hoc ſuam poteſtatem potuerit.

* Ceterum tamen de tranſlationum iſtarum judicio & conceſſione Pontificia omnia valent, quæ de cauſſis electionum Epiſcopalium monui a §. 255. uſque ad §. 258. Unde, cum in primis Eccleſiæ ſeculis teſtimonia ſaltem Synodi provincialis & Metropolitæ de ſuppetente legitima tranſlationis cauſſa requiri ſolerent ante Papæ conſenſum; ut videlicet ipſe Papa ſecuriore conſcientia conſenſum præbere poſſet: enimvero nec modo tam facile antiquo illo more ſuperſedendum videtur, etiam ea de cauſſa, ne ad tranſlationes etiam ſine cauſſa legitima faciendas cogi facile Romani Pontifices poſſint.

263.

Ex principiis huc usque ſtabilitis etiam per ſe conſequitur, ſolius ſummi Primatis Eccleſiæ conſenſu & ſententia quemcunque Epiſcopum, Eccleſiæ facto vel exemplo noxium, deponi poſſe: 2.) etſi ad tale inprimis ſuperioris poteſtatis ſuæ exercitium haud progredi unquam Primas debeat, niſi cauſſa in Synodo provinciali probe prius examinata, aut ex ſententia ejusdem Synodi. Primum ſic oſtendo. Epiſcopi, excepto Primate, *vi juris ſolius divini* omnes dignitate & jurisdictione pares ſunt, nec cuiquam alteri ſubjecti præterquam Primati; ne quidem Conciliis ullis Epiſcoporum; niſi hiſce Primas Eccleſiæ poteſtatem ſuam delegarit. Nullo enim argumento Scripturæ oſtendi poteſt, quod Chriſtus ſingulos Apoſtolos alteri quam Petro, vel etiam certo cuidam numero reliquorum Apoſtolorum ſubjecerit: ſunt vero Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum (180. n. 2. lit. b.). Porro *jure humano* ſubjecti quidem ſunt Metropolitis ſuis ac Patriarchis, horumque Synodis; ſed veriſimilius ſolum ut poteſtate delegata Succeſſorum S. Petri in Primatu inſtructis; vi cujus poteſtatis delegatæ Metropolitæ & Patriarchæ judicium & conſenſus ad firmitatem omnium requiritur, quæ in provincia, vel majore

majore diœceſi. patriarchica, communiter geruntur (195. n. 2. Canone IV. Nicæno): certe nihil ea Metropolitarum & Patriarcharum inſtitutio divinitus inſtitutæ S. Petri ſuperiori poteſtati in omnes Epiſcopos præjudicare potuit; ſed huic omnis etiam Metropolitarum & Patriarcharum poteſtas ſubordinata manet (202. I. II. III.). Jam vero antecedenter ad eam Metropolitarum & Patriarcharum inſtitutionem, cum jure divino Epiſcopi ſoli Primati ſubjicerentur, ſine dubio ſolius Primatis ſententia deponi poterant; ergo nec aliter deponi poſſunt nunc etiam poſt inſtitutam mere humanitus Metropoliticam & Patriarchicam poteſtatem. Sive enim delegatam dicas a S. Petro Metropoliticam & Patriarchicam poteſtatem (202.); & tunc in delegatione generali cauſſæ graviſſimæ ſpeciatim non expreſſæ in ea haud continentur; vel certe quovis tempore reſervari a delegante poſſunt: ſive ſpeciali poteſtate divinitus conceſſa eandem ab Apoſtolis inſtitutam confingas (199.); vel conſuetudine introductam (200.); neutro in caſu ad caſus ſupremi momenti ſe extendere poterit cum præjudicio poteſtatis ſupremæ Primatis, quæ certo & immediate divinitus inſtituta eſt (202. II. III.)

Alterum porro inde evincitur: quod, cum judicium Primatis etiam in tam gravi cauſſa, ubi de accuſatione tam gravi perſonæ tam in Eccleſia eminentis agitur, non niſi ex humanis pendeat indiciis, ac proinde errori plane obnoxium ſit; profecto non deceat ſane tali erroris periculo nec ſententiam ſuam, nec ſalutem Eccleſiæ, de cujus Epiſcopo agitur, nec ipſius denique dignitatem Epiſcopi exponere, ſed vias probationum & examinis ſecuriſſimas inire. Decet præterea ſententiæ id genus graviores acerbitatem facilitatemque omnem ſupremum Eccleſiæ paſtorem in inferiorum præcipue paſtorum judiciis criminalibus amolliri;

liri; ne ipſum pondus & eminentia poteſtatis illis odioſum reddatur, a quorum auctoritate maxime fulciri & commendari ceteris deberet. Quo enim eminentior eſt poteſtas Primatis, ne exoſa fiat, eo majus eſt periculum, ſi vulgo ex juris rigore exerceatur; & periculum tale vitandi eo major Primati incumbit obligatio: quia finis ultimus poteſtatis ſpiritualis & unicus eſt ſalus animarum, quas ille ſanguine ſuo redemit, a quo ipſi tota poteſtas mere eſt delegata.

264.

Ex iisdem principiis conſectaneum per ſe eſt, quod ab omnibus Epiſcoporum ſeu particularium, ſeu in Synodo provinciali communiter judicantium, judiciis ad Primatem appellari, & hic in ſecunda, ut loquimur, inſtantia judicare poſſit: 2.) *etſi in iſtis appellationibus quoque moderatio Eccleſiaſtici regiminis vulgo ſuadeat, ut per judices potius in provincia datos, in qua cauſſa exorta eſt, Primas judicet; quam ut Romam actores & reos advocet; niſi iſti ipſimet petierint. Primum* ex ipſa ſubordinatione divinitus inſtituta omnis jurisdictionis Epiſcopalis ad jurisdictionem Primatis neceſſario conſequitur. Hujus enim ſubordinationis finis alius proximus haud eſſe poteſt, quam correctio & emendatio omnium exercitiorum ſubordinatæ jurisdictionis Epiſcoporum, ſi a recta regula aberrarint; aut eorundem confirmatio, ſi cum iſta conſenſerint. Atqui ſubordinatio illa tum ſuperius oſtenſa fuit, tum olim credita fuit, & hodiedum creditur ac recipitur ab omnibus Epiſcopis Catholicis tam Galliæ quam aliarum nationum, Pontificium Primatum ceu divino jure inſtitutum ſimpliciter recipientium. Nimirum lex fundamentalis clariſſima rem evincit omnem: S. Petrus, & quisquis ejus in locum ſuccedit, ſolus *ſolvere* omnia, quæ a quibuscunque aliis *ligata* fuere,

fuere, & ſolus etiam *ligare* poteſt, quæ ab aliis quibuscunque *ſoluta.* Quodſi ergo *ſolvere & ligare* actus jurisdictionis ſpiritualis exprimit in Epiſcopis: in S. Petro exprimit jurisdictionis ejusdem ſuperioritatem reſpectu omnium actuum jurisdictionis ſpiritualis.

Alterum ex iisdem ſuadetur rationibus, uti §. præc.

* Qui volunt, *Synodis provincialibus ſummam in cauſſis Epiſcoporum deferendam eſſe poteſtatem*, ſine interventu Primatis univerſalis Eccleſiæ, hanc illarum Synodorum auctoritatem repetere debent *vel a Deo, vel ab Apoſtolis, vel a conſenſu Epiſcoporum* pacto mutuo in judicium tale condicentium, *vel ab generalibus & œcumenicis Conciliis, ſeu cum, ſeu ſine conſenſu Romani Pontificis*, eam poteſtatem ſupremam judicandi deferentibus Synodo provinciali. Atqui *non* accepere eam Synodi provinciales *a Deo*: ubi enim hanc dediſſet Chriſtus nondum exiſtentibus provinciis & diœceſibus Eccleſiaſticis? *Non ab Apoſtolis*: hos enim Metropolitas quidem ſtatuiſſe cum S. Petri conſenſu ſatis certum eſt (198. 202.); ſed eisdem ſupremam judicandi poteſtatem, ſeu privative, ſeu una cum Concilio Epiſcoporum ſibi ſubjectorum, cum S. Petri præjudicio dediſſe, nuſpiam legimus (202. II. III.). *Sed nec conſenſu vel pacto mutuo Epiſcoporum unius provinciæ*: hi enim mutuo pacto voluntario ſe ſubtrahere jurisdictioni S. Petri, divinitus inſtitutæ, aut eidem præjudicare ullatenus, non potuere. *Nec a Conciliis Oecumenicis ſine conſenſu Papæ* id ſtatuentibus: quodſi enim jurisdictio ſemel jure divino Primati in Epiſcopos competit, nullo conveniente quantocunque hominum atque etiam Epiſcoporum numero jus divinum mutari potuit, nec Primate invito ſuprema jurisdictio, huic jure divino competens, alteri deferri: niſi ſupponas, in *lege fundamentali* Matth. XVI. non Petro, quod obvia vis verborum & iſtius legis neceſſaria claritas præſefert, ſed ſub Petri figura univerſo cœtui

Epiſcoporum, ſupremam jurisdictionem Eccleſiaſticam divinitus a Chriſto conceſſam, & mere Ariſtocraticam ſupremi regiminis formam inſtitutam fuiſſe: id quod & ſupra refutavi pridem (140. 141.) & ab omnibus Catholicis Epiſcopis rejicitur, quorum conſenſus ipſe, ſi vera eſſet adverſa hypotheſis, ſupremæ poteſtatis formale exercitium & deciſionem quæſtionis iſtius conficeret. *Quodſi* denique id, ſeu in Concilio quocunque, ſeu extra Concilium omne, *conſenſu Primatis*, ſeu Papæ Romani, factum eſt; ſicut ab hoc uno exiſtendi initium poteſtas Synodorum provincialium *mere delegata* habuit, ita a jure Primatis more omnis poteſtatis delegatæ etiam in perduratione perpetuo, ceu mere precaria, dependet (34. 36.). Videmus itaque manifeſto, niſi ipſum primatum jurisdictionis divinitus inſtitutum evertere cum univerſa lege fundamentali a Chriſto conſtituta velimus; plane Epiſcopo a Synodo quacunque provinciali damnato appellationem ad ſuperiorem & judicem ſuum æque ac omnium aliorum Epiſcoporum, divinitus inſtitutum, denegari plane non poſſe; nec viciſſim Epiſcopum ex. gr. hæreſis reum a quotcunque provincialis Synodi Epiſcopis ejusdem criminis reis ſententiæ Primatis Eccleſiæ ac judicio ſubtrahi poſſe: etſi, cum de integra Synodo pertinacium in hæreſi Epiſcoporum ageretur, rectius ſine dubio alicujus majoris Concilii convocati auctoritatem ad vincendum eo facilius errantium numerum ſibi Primas Eccleſiæ ſit adſciturus. Nec vero alia Epiſcopis univerſis Catholicis ſententia animo inhæret de juſto jure appellationis: etſi Gallicana Eccleſia ſapienter exigat moderamen illud (in utroque §§. hoc, & præcedente, a me n. 2. appoſitum) a ſacra Romana Sede in id genus judiciis exercendis obſervari; eo ipſo videlicet, quod, ubi res mere humanis ex indiciis & teſtibus facti decidenda eſt, nec Romanus Pontifex ſit ab errore ullatenus immunis, atque hoc ipſo deceat illum, in ferendis ejusmodi judiciis cum omni fidelitate & diligentia omnibus cautelis uti. Qui aliter de argumento ipſo ſcripſere, non Epiſcopi, ſed privati homines fuere; & iidem vulgo non

non niſi poſt everſum jam ante ipſius Primatus jurisdictionis divinum jus ad id genus doctrinam progreſſi ſunt, ipſa ſcilicet fundamentali lege jam prius aut everſa, aut in obſcuros ſenſus traducta.

* * Porro iſti *adverſarii hujus juris Primatus*, cum contra documenta apertiſſima Eccleſiaſticæ hiſtoriæ inficiari non poſſint, ſæpiſſime præſertim inde a Seculo IV. appellatum ab Epiſcopis, Metropolitis, & Patriarchis, ad Romanam Sedem fuiſſe, illosque ab iſta diverſiſſimis in cauſſis judicatos; *vulgo defendunt* 1.) ab ipſa primum Eccleſia in *Concilio Sardicenſi* an. 347. hoc novum juris genus de Epiſcoporum cauſſis in appellatione a Synodo provinciali judicandis, quod alias vi ſolius Primatus jure divino nondum competeret, Romano Pontifici fuiſſe attributum: 2.) id quod confirmant ex verbis *Canonis XXVIII. Concilii Chalcedonenſis*; in quo Patres dicunt: *throno antiquæ Romæ, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt:* ex quo patere volunt, Patres Chalcedonenſes exiſtimaſſe, non niſi Nicæni & Sardicenſis Concilii auctoritate Romanæ ſedi privilegia de univerſis Epiſcopis judicandi in appellatione fuiſſe attributa. 3.) Citant hunc ipſum in finem verba *Valentiniani III.* Imperatoris in Novella (T. I. S. Leonis Operum col. 642.) dicentis: *cum igitur Sedis Apoſtolicæ primatum S. Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas.* 4.) Urgent quoque *Canones Concilii Antiocheni,* quorum XV. ſic habet: *Siquis Epiſcopus criminaliter accuſatus, ab omnibus, qui intra provinciam ſunt, Epiſcopis exceperit unam conſonamque ſententiam, ab aliis ulterius judicari non poterit:* Canon XVI.: *Si autem contingat de ipſis Epiſcopis, qui convenerunt, diverſas habere ſententias, placuit ſanctæ Synodo Metropolitanum Epiſcopum alterius vicinæ provinciæ advocari oportere, & aliquantos cum eo Epiſcopos alios, qui pariter ſedentes, quæcunque fuerint, dirimant quæſtiones, propter*

 hoc,

hoc, ut firmum ſit judicium, quod ab unius provinciæ Epiſcopis fuerit promulgatum.

*** *Reſponſio.* Enimvero id genus objectio opponi a nemine poteſt, niſi qui cum lege fundamentali Societatis totius Eccleſiaſticæ ipſum *Primatum jurisdictionis* quoad ſubſtantiam, ab ipſo Chriſto apertiſſime inſtitutum, & ab univerſa Eccleſia, quam Catholicam appellamus, in Gallia æque ac Germania pro certo dogmate receptum, everſum ire prius jam conſtituerit; mero directionis præſidio circa Eccleſiaſtica negotia Primati relicto. Qua in hypotheſi evidens eſt, obſcuritate ſemel tanta in lege fundamentali (Matth. XVI. 16.) admiſſa, Lockii argumento §. 208. not. 2. & ſeq. juxta atque dictis a me §§. 138. & 141. nihil plane ſolidi reſponderi poſſe. *Ex quo infero*, talia argumenta quidem ab homine, qui ſimpliciter cum Catholica Eccleſia adhuc ſentire velit, obtendi non poſſe: Acatholicum vero quemcunque eadem opponentem cum celeberrimo Lockio religionem Chriſtianam ad Indifferentiſmum latiſſimum; Societatem vero Eccleſiaſticam, ceu nulla lege fundamentali, regiminis formam determinante, a Chriſto inſtructam, ad formam mere Democraticam vi ſolius inſtitutionis divinæ revocare debere. Quod jam ad quævis objecta capita ſingillatim attinet; ut ordine chronologico incedentes lucem huic quæſtioni eo majorem affundamus, ab *Antiochenis Canonibus* incipiamus.

**** Canones Antiochenos quidem *Baronius* ab Euſebianorum factione adverſus S. Athanaſium, eodem tempore (an. 341. videlicet) Romam ad S. Julium Papam pro appellationis judicio excipiendo profectum, prodiiſſe exiſtimat. *Schelſtratius* vero in Diſſert. de Antiocheno Concilio edita Antuerpiæ an. 1681. contendit, ad id Concilium conveniſſe quidem quadraginta Arianos Epiſcopos, plures tamen numero Catholicos ibidem adfuiſſe, atque ex eorum quoque ſententia Canones illos, ceu Eccleſiaſti-

cæ

cæ diſciplinæ ſtudio plenos, fuiſſe formatos. Alii duo Concilia Antiochena diſtinguunt cum Tillemontio, unum an. 332., alterum an. 341. celebratum; illud quidem ab Orthodoxis, hoc ab Arianis Epiſcopis: quorum poſteriori non nulli tribuunt prædictos Canones, XVtum præcipue. Res omnis revera oppido incerta eſt. Interim Ballerinii Fratres (T. II. Operum S. Leonis col. 943.) hæc ſequentia recte *adnotant:* 1.) Canone XV. *non omni in caſu* appellationem vetari, ſed ſolum pro caſu conſenſus unanimis Epiſcoporum unius totius provinciæ; cum ſcilicet crimen adeo manifeſtum eſt, ut ne unus quidem judicum diſſentiat a ceteris; quod fieri in legitimis judiciis non ſolet; niſi ubi reus vel confeſſus eſt, vel plane convictus: quo quidem caſu aliquot etiam leges civiles, tum veteres, tum recentiores, appellationem vetant: 2.) Canone eodem *non omnem appellationem prohiberi* etiam in caſu conſenſus judicum prædicto, ſed ſolum denegari illud novum judicium e vicinæ provinciæ Epiſcopis inſtituendum, quod Canon XVItus pro alio caſu diſſenſus judicum concedit. Probari iſtud ſatis ex eo, quod iidem Patres Antiocheni jam ante Canone XII. appellationem a Synodo quacunque minus plena ad pleniorem Synodum conceſſerint his verbis: *ſiquis - - a Synodo fuerit Epiſcopus forte damnatus, - - - oportet ad majus Epiſcoporum converti Concilium, & quæ putaverit habere juſta, plurimis Epiſcopis ſuggerat, eorumque diſcuſſiones ac judicia præſtoletur:* 3.) Illum *Canonem XVtum nec* a Græca, nec a Latina Eccleſia *eo ſenſu receptum unquam fuiſſe*, quo adverſarii volunt, ſed Sardicenſis Concilii auctoritate vel correctum, vel ſuperatum fuiſſe. Ita exiſtimat *Ariſtenus* apud Bevereg. in Pandect. Canon. T. I. pag. 435.; ita *Matthaus Blaſtores* ibid. pag. 444. & *Theodorus Balſamon* de eodem Canone Antiocheno ſcribens, eum *a quarto Canone Synodi Sardicenſis ſublatum* videri; qui omnes græci Scriptores ſunt. *Neque dicas:* illos Canones poſtea, ſupreſſo quidem Antiocheni Concilii nomine, fuiſſe primum a Chalcedonenſi Synodo

œcumenica, atque exinde ab utraque Eccleſia, Orientali & Occidentali receptos. *Nam* ex hoc ipſo neceſſitate premeris, ut fatearis, eosdem Canones, non ex Antiochenorum Epiſcoporum (forte Arianorum) ſed ex Chalcedonenſium Patrum ſententia explicandos eſſe. Atqui Patres iſti ſine dubio agnovere, Romano Pontifici jus competere de omnibus Epiſcoporum cauſſis, appellationis modo ad ſe delatis, poſſe judicare. Quo enim alio fundamento illi Theodoretum Cyrenſem, ab Orientali Synodo Epheſina (Latrocinali dicta) damnatum, eo inprimis titulo recepiſſent tum mox in Actione prima, *quod reſtituit ei Epiſcopatum SS. Archiepiſcopus Leo*, tum rurſus in Actione octava, dicentes: *poſt Deum Leo judicavit. Denique* hos ipſos Antiochenos Canones poſt Gelaſii ætatem Romani Pontifices probarunt, qui, cum eo inprimis quinto ſeculo jus iſtud in appellatione de Epiſcopis judicandi ſæpiſſime exercuerint, minime profecto eos Canones in ſenſu tali intelligendos exiſtimarunt, quo appellatio ad ipſos prohiberetur. Omnes itaque Canones, talia de jure appellandi ſtatuentes, de appellatione ad aliorum Epiſcoporum Synodos & judicia, & ſine præjudicio Romani Pontificis, intelligendi ſunt. Audiatur unius Gallicæ *Tricaſcinæ Synodi* (inter cujus Patres ſex omnino Metropolitæ, atque inter iſtos Hincmarus Rhemenſis, numerabantur) epiſtola an. 867. ad Nicolaum I. data: *exoramus*, inquiunt, *veſtri Apoſtolatus magnificam beatitudinem, ut more prædeceſſorum veſtrorum, mucrone Apoſtolico quorumcunque Metropolitanorum temeraria præſumtione ſuppreſſa, decernatis: ut nec veſtris, nec futuris temporibus, præter conſultum Romani Pontificis de gradu ſuo quilibet Epiſcoporum dejiciatur.*

* * * * * Sed ad Sardicenses Canones nunc tranſeamus. Ex his IV. V. & VII. ad rem præſentem ſpectant. Canon. IV. (collect. Hard. col. 640.) ita habet: *Oſius Epiſcopus dixit: quod, ſi aliquis Epiſcopus judicatus fuit in aliqua cauſſa, & putat, ſe bonam cauſſam habere, ut iterum judicium*

dicium renovetur ; ſi vobis placet , S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus , ut ſcribatur vel ab his , qui examinaverunt , vel etiam ab aliis Epiſcopis Romano Epiſcopo : & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium , renovetur , & det judices. Si autem probaverit talem cauſſam ; ut ea non refricentur , quæ acta ſunt ; quæ decrevit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt. Et univerſa Synodus reſpondit : placet. Canon V. *Epiſcopus Gaudentius dixit , addendum eſt , ſi placet , huic ſententiæ , quam plenam ſanctitate protuliſtis , ut , cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio , qui in vicinis locis commorantur , & proclamaverit , agendum ſibi eſſe negotium in urbe Roma ; alter Epiſcopus in eadem cathedra poſt appellationem ejus , qui videtur eſſe depoſitus , omnino non ordinetur ; niſi cauſſa fuerit in judicio Romani Epiſcopi terminata.* Canon VII. *Oſius Epiſcopus dixit : & hoc placuit , ut , ſi Epiſcopus accuſatus fuerit , & omnes judicaverint congregati Epiſcopi regionis illius , & de gradu ſuo eum dejecerint : ſi appellaverit , qui dejectus videtur , & confugerit ad BB. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum , & voluerit ſe audiri ; ſi juſtum putaverit , ut renovetur examen ; ſcribere his dignetur Epiſcopis , qui in finitima & propinqua altera provincia ſunt , ut ipſi omnia diligenter perquirant , & juxta fidem veritatis definiant. Quodſi is , qui rogat cauſſam ſuam iterum audiri , & deprecatione ſua moverit Romanum Epiſcopum , ut de latere ſuo Presbyteros mittat ; erit in poteſtate illius , quid velit , & quid æſtimet. Si decreverit , mittendos eſſe , qui præſentes cum Epiſcopis judicent , ut habeant etiam auctoritatem illius , a quo deſtinati ſunt ; erit in ejus arbitrio. Si vero crediderit , ſufficere Epiſcopos comprovinciales , ut negotio terminum imponant , faciet , quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit.* Jam attendendo ſenſum iſtorum Canonum , paucis annis poſt Antiochenos ante allegatos a Sardicenſibus Patribus editorum ; Canon IV. de Epiſcopo in prima cauſſæ cognitione a ſuæ provinciæ Epiſcopis damnato agit ; qui , *putans , ſe bonam habere cauſſam ,* ſecundum judicium expetit ; quod ſecundum Antiochenos Canones a finitimis Epiſcopis ferendum erat. Decerni-

cernitur itaque, ut in *honorem memoriæ S. Petri* vel ipſi judices primi, vel alii, ſcribant ad Romanum Epiſcopum; ut is decidat, novumne judicium inſtituendum ſit, nec ne; & a quibus vicinis Epiſcopis. Canon V. appendix eſt quarti, uti patet, & declaratio, quid porro agendum ſit, ſi Epiſcopi depoſitio, in primo judicio ſtatuta, etiam in ſecundo vicinorum Epiſcoporum judicio fuerit confirmata, isque ſum adhuc proclamaverit, coram ipſo Papa Romano ſe judicium tertium ſubiturum: ubi ſane appellatio manifeſte conceditur. Canon VII. denique circa rationem ſecundi judicii, quod vi Antiochenorum Canonum a vicinis Epiſcopis ferendum erat, porro ulterius addit, quod, ſi appellans ad hoc ſecundum judicium, petierit a Romano Pontifice, vel ut deſignet judices ex vicina provincia, vel ipſe mittat ad id legatos de latere ſuo ad illud, in arbitrio relinquendum ſit Papæ, ut ex his alterutrum decernat, vel omnino ſecundum judicium deneget. His notatis porro adverte, in *quarto* ſolum Canone, in quo non agitur *de appellatione* ad Papam, ſed ſolum *ad judicium finitimorum Epiſcoporum*, addi verba illa, *honoremus S. Petri memoriam*, non item in *quinto*, ubi de propria *ad ipſum Papam appellatione* eſt ſermo: proindeque in quarto Canone ſolum admonet Oſius Patres Sardicenſes, ut etiam in concedendo ſecundo vicinorum Epiſcoporum judicio rationem Primatus S. Petri habeant, nec illud patere velint Epiſcopo a comprovincialibus Epiſcopis damnato ſine conſenſu & arbitrio Primatis: ad quem tamen immediate appellandi liberum jus Epiſcopo etiam ſecundo judicio Epiſcopali damnato competere in quinto Canone ſolum declarant, ac veluti ſupponunt. Hoc, non alio, ſenſu Canones Sardicenſes intellexit ipſa Orientalis Eccleſia; cujus teſtis omni exceptione major eſt *Theodorus Balſamon*. Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcha circa annum 1180. peritia Canonum Eccleſiaſticorum & juris Orientalis teſte Joanne Citri Epiſcopo (Reſponſ. ad Conſtant. Cabaſ.) præ ceteris Græcis omnibus florens. Is in Commentario in Canones

SS.

SS. Apoſt. & SS. Oecumenic. Conciliorum &c., edit. Bevereg. in Pandect. Canon. pag. 487. DE CANONE QUINTO SARDICENSI ait: *cum dixiſſent Patres, Provincialium ſententiam* APPELLATIONI *ſubjici, & a propinquis Epiſcopis* JUSSU PAPÆ *examinari; nunc dicunt, quid fieri debeat, ſi ab iis etiam is, qui appellavit, condemnatus fuerit, & ſe rurſus gravari dicat. Statuunt ergo, ut res in integro maneat, & in ejus, qui condemnatus eſt, Eccleſiam alius non eligatur; niſi* SECUNDA APPELLATIO *a Papa examinata fuerit.* Falſum ergo eſt, quod poſt HINCMARUM apud Petrum de Marca de Concord. L. VII. c. 8. complures dixere: Sardicenſes Patres *non appellationis* judicium, *ſed reviſionis* tantum decernendæ poteſtatem Papæ conceſſiſſe; eo quod non niſi *reviſio* ſit, ubi priores judices novo judicio ſuos quoque calculos addere denuo ſolent. Ceterum jam ante Sardicenſes *S. Melchiades* Papa judicavit in cauſſa Cœciliani & Donatiſtarum, & *S. Julius I.* in cauſſa S. Athanaſii contra Arianos. Ut adeo Patres Sardicenſes potius juris Pontificum admonere illos Epiſcopos tum Arianos, tum Donatiſtas, voluiſſe videantur; qui ad Cæſarem, quam ad Papam, ſæpius jam maluerant a Synodis provincialibus appellare.

* * * * * * Quod ad CHALCEDONENSEM CANONEM XXVIII. attinet: *Reſpondeo 1.)* Canonem illum non ſolum a *Latina* Eccleſia nunquam, ſed nec a *Græca* ante Photium receptum eſſe; quæ tantum XXVII. Canones Chalcedonenſes numerabat, teſtibus Balleriniis fratribus in adnot. ad primam Diſſert. Queſnelli T. II. Oper. S. Leon. col. 515. 2.) Eundem in ſenſu, quem objectio hac in materia ſupponit, ſalvo catholico dogmate de vero jurisdictionis Primatu divinitus inſtituto intelligi omnino non poſſe; cum utique jurisdictio ſuperior non ab Eccleſia, ſed a Chriſto Primati Eccleſiæ tributa fuerit; Romanus autem Pontifex primatum facto ſolius S. Petri, non conceſſione Patrum aliquorum in Concilio convocatorum, ſe-

di

di ſuæ Romanæ conjunctum teneat. 3.) Itaque Chalcedonenſes illos Patres, qui Act. XV. abſentibus Legatis pontificiis Canonem illum concepere, certum eſt, vel inordinato evincendæ Conſtantinopolitano Patriarchæ primæ dignitatis poſt ſedem Romanam ſtudio rem falſam aſſeruiſſe; vel non niſi Patriarchalem Romani Epiſcopi dignitatem nomine privilegiorum deſignaſſe credendi ſunt: etſi vel in poſteriore iſta hypotheſi adhuc in aſſignanda iſtius privilegii, Romanæ ſede attributi, cauſſa errarint: cum dicerent, id factum fuiſſe, *quod urbs illa imperaret.* Profecto enim negare non poterant, quod Alexandriæ, quod Antiochiæ item, ſimilis dignitas, etiam præ Conſtantinopolitana ſede, jam a Nicænis Patribus addicta fuerit, & inde ab Apoſtolis jam competierit. Aſt falſum eſſe probe noverant, ideo id factum, *quod urbes illæ imperarent;* cum certum eſſet, non ob iſtam, ſed ob eam rationem id factam eſſe, quod Alexandriæ S. Petrus per Marcum diſcipulum, Antiochiæ vero ipſus in perſona, ante ipſam Romanam, Eccleſiam fundarit. Audiamus *S. Innocentium* diu ante ad *Alexandrum Antiochenum* ſcribentem: *non tam pro civitatis magnificentia*, inquit, *hoc* (Patriarchalis videlicet honor) *eidem* (Antiochenæ Eccleſiæ) *attributum, quam quod prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur: - - - quæ urbis Romæ Sedi non cederet; niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumque teneret.* Audiamus *S. Gelaſium* in Ep. ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribentem: *riſimus, quod prærogativam volunt Acacio* (Conſtantinopolitano Epiſcopo) *comparari; quia Epiſcopus fuerit regiæ civitatis. Nunquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non conſtitit Imperator?* Lege denique S. Gregorium M. in Ep. 40. (alias 37.) L. VI. prærogativas Eccleſiæ Alexandrinæ & Antiochenæ, juxta ac Romanæ, unice a S. Petri facto repetentem. 4.) *Denique* cum vel Synodi, vel Patres aliquid Romanæ Sedi tribuiſſe honoris aut prærogativæ dicuntur, vel de Patriarchali ſolum dignitate intelliges (quamquam ne hæc quidem tributa ab illis primum cenſeri poteſt) vel potius, quod divinitus

vinitus & facto S. Petri pridem aliunde competebat, idem declaratione ſolenni eidem rite competere agnitum, ac declaratum ab illis fuiſſe.: a quo ſenſu non recedit VALENTINIANI III. IMPERATORIS NOVELLA, tertio loco ſupra objecta. Recte itaque *Nicolaus I.* Papa Ep. 8. ſcripſit: *Si inſtituta Synodi* (Nicenæ) *diligenter inſpiciantur, invenietur profecto; quia Romanæ Eccleſiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: ſed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Eccleſiæ tribueret particulariter, ſumſit exemplum.* Recte item prior Nicolao I. *Bonifacius I.* epiſt. 14. (T. I. epiſt. R. P. Conſtant. col. 1037.) ait: *Nicænæ Synodi non aliud præcepta teſtantur; adeo, ut non aliquid ſuper eum* (Romanum Epiſcopum) *auſa ſit conſtituere; cum videret nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri: omnia denique huic noverat* DOMINI SERMONE *conceſſa.*

* * * * * * * At enim, porro *inquiunt*, an. 418. cum Apiarius Presbyter Sicanæ in Mauritania, a ſuo Epiſcopo graves ob noxas excommunicatus, ad Papam appellaret, atque iſte Nicænos Canones ceu appellationi faventes allegans legatos Carthaginem pro cauſſa examinanda miſiſſet, Patres Africani Zoſimo primum, ac deinde Cœleſtino I. reſcripſere, ſe inſpectis Nicæni Concilii Canonibus, quorum exempla Alexandria, Antiochia, & Conſtantinopoli expreſſe afferri hunc in finem ad ſe curaſſent, nihil de id genus appellationis conceſſione inveniſſe; potius *Nicæna decreta ſive inferiores Clericos, ſive ipſos Epiſcopos, ſuis Metropolitis apertiſſime committere.* *Reſpondeo* vero: cum iidem Patres in Sardicenſi maximam partem fuerint congregati, qui prius Nicæno intererant; in hoc autem appellatio ad Papam aperte conceſſa fuerit; veriſimile non eſt, eam a Nicæno fuiſſe excluſam. Etſi enim hoc Canone V. bis in anno Concilia provincialia celebrari juſſerit ad quæſtiones hinc inde ſubortas ab Epiſcopis diſcutiendas; tamen nullo verbo appellationem ab iſtis Conciliis prohibebant Nicæni Patres; quin ipſimet potius Meletii, a Petro Alexandrino Patriarcha ſuo in com-

communi Epiſcoporum Synodo depoſiti, cauſſam de novo mitiore ſententia judicarunt (Apol. II. S. Athanaſ.). Interim certum eſt, Patres Africanos eo errore diu circumductos fuiſſe, quod Canones Sardicenſes ignorarent (quia Donatiſtæ Pſeudo Concilium Sardicenſe, ſeu Philippopoleos Concilium, vero ſubſtituerant) quos Romanus Pontifex non immerito Nicænorum nomine citabat. Eſt enim extra dubium, Canonem a *S. Zoſimo* primo Afris objectum ad verbum cum Sardicenſi quinto Canone conſentire. Et vero iidem ferme Patres Nicæno & Sardicenſi interfuerant, neque novi quidquam in iſto circa fidem ſtatutum fuerat, ſed ſolum Nicæna fides confirmata. Præterea in Concilio Nicæno, a Dionyſio Exiguo ante amplius mille & centum annos converſo ex Græco in Latinum, quod extat in Monaſterio S. Vedaſti Atrebati, habentur ſimul tanquam unius Concilii Canones omnes Sardicenſes. Non itaque niſi juris divini & humani ignorantia conqueſti ſunt Afri adverſus ſubſtantiam appellationum ad Papam; & quod Antiochiæ, Alexandriæ, & Conſtantinopoli, non perinde ac Romæ, ſub uno communi Nicæni nomine Sardicenſis Synodus veniret.

* * * * * * * * * Sed quid operæ pretium eſt, in re, quæ ex primatu juriſdictionis divinitus inſtituto natura conſequitur, innumera exempla hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exſcribere, puta *S. Athanaſii* Alexandrini Patriarchæ poſt tot Arianorum Epiſcoporum damnationes a *S. Julio I.* Romæ abſoluti, *S Chryſoſtomi* Conſtantinopolis Epiſcopi, a Theophilo Alexandrino in Concilio ad quercum damnati, & abſoluti ab *Innocentio I.*, *S. Flaviani* Antiocheni damnati a Dioſcoro Alexandrino in Epheſina latrocinali Synodo, & abſoluti a *S. Cœleſtino I.* Papa; quas aliasve appellationes in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ recenſens *Gelaſius I.* Papa, ait: *Apoſtolica ſedes frequenter more majorum etiam ſine Synodo ulla præcedente exſolvendi, quos Synodus iniqua damnaverat, & damnandi, nulla exiſtente Synodo, quos oportuit,*

habet

habet facultatem. Has omnes leviſſimis objectiunculis impugnare, non ſincere veritatem amantis doctoris Catholici eſt, ſed cum vitiis perſonalibus ipſum munus, etſi divinitus inſtitutum, perſequentis. Nec vero quoad ſubſtantiam, ut ſupra jam monui, Gallicana Eccleſia a ceteris in jure hoc appellationum diſſentit; cujus teſtis eſt *Archiepiſcopus Senonenſis*, qui in Inſtructione Paſtorali an. 1753. primum edita ſic habet: *quod ex hac auctoritate, quam Chriſti inſtitutione in nos* (Epiſcopos) *Pontifex habet, legitime ſequitur, jus eſt judicandi ſontes Epiſcopos. Quodſi illos a Provinciæ Epiſcopis in primæ cognitionis cauſſa judicari mores noſtri poſtulant; jus tamen ſuſcipiendarum appellationum eſt ipſi absque controverſia ſervatum.* Illud tamen verum eſt, Clericorum inferiorum cauſſas a Gallis prohiberi, ne ad Papæ judicium appellatione adducantur; quod quidem, ſi non abſoluta interdictio ſit, ſed ſolum, quia non expedit ea poteſtate uti, cum abſoluto jure divino non pugnat.

ARTICULUS III.

DE ALTERA PRÆROGATIVA PRIMATUS ECCLESIÆ SUPRA EPISCOPATUM, QUOD NEMPE EJUS JURISDICTIO SIT SUPREMA ET UNIVERSALIS IN ECCLESIA CHRISTI.

265.

Poterat Chriſtus in inſtituta a ſe legali Societate Eccleſiaſtica ſic inſtituere regimen imperii, ut unus aliquis Primas quidem ſuperiore jurisdictione polleret in ſingulos Epiſcopos, aut quemvis particularem eorum numerum; ex adverſo autem etiam ipſe ſubeſſet univerſo eorum cœtui, ſeu per orbem diſperſo, ſeu in communi Synodo congregato, ita, ut ſupremum imperii regimen non Primati, ſed univerſo Epiſcoporum cœtui competeret. Poteſt enim ſic imperii regimen ordinari mutuo pacto hominum in Societate volun-

taria & quadam republica, & id genus regimen videmus in Anglia in uſu eſſe, ubi Parlamenta in unum juncta Regi etiam leges præſcribunt. Ergo ſine dubio idem a fortiori poterat ſtatuere in Societate legali Eccleſiæ Chriſtus Dominus.

266.

I. *Si Chriſtus Dominus Primatem cœtui Epiſcoporum vera & propria ſubjectione ſubditum, & ſupremum Eccleſiæ ſuæ imperium eidem cœtui competere voluiſſet; in lege fundamentali clare id exprimere debuiſſet pro ſapientia divina ſuæ legislationis* (86. 115.).

II. *Cum ergo Matth. XVI. claves dedit Petro, & illum fundamentum perpetuum ſuæ Eccleſiæ conſtituit; clare ſimul monere debuiſſet, ut eas non exerceret niſi cum ſubjectione ad univerſum Apoſtolorum cœtum, & in iſto ſemper ſupremum imperium reverteretur; item ut in rebus ad fidem & communem ſalutem Chriſtianorum univerſe pertinentibus ita ipſe fundamenti vicem ageret, ut ipſe; ne totum ædificium erroneo judicio concuteret, in univerſo Apoſtolorum cœtu ſe fundaret.*

III. *Pariter, cum Joan. XXI. Chriſtus Petro univerſas paſcendas oves tradidit, ſicque eum Primatem cum ſuperiore jurisdictione in ipſos Apoſtolos conſtituit, rurſus monere eum debuit, ut ne aliter gregem quam cum ſubordinatione ad imperium totius cœtus Apoſtolici paſceret.*

IV. *Denique ſicut in citatis locis Matth. & Joan. Petro ſingillatim ſuperiorem jurisdictionem in ſingulos Apoſtolos clare Chriſtus conceſſit; ita æque clare toti cœtui Apoſtolico ſummum imperium, etiam ad perſonam Petri ut Primatis & in exercitio Primatus ſuperiore poteſtate ſe extendens, conceptis quibusdam verbis deferre alicubi debuiſſet.*

V. *Præ-*

V. *Præterea ſi univerſo Apoſtolorum cœtui ſupremum Eccleſiæ ſuæ imperium detulit Chriſtus; idem præciſe definire debuit modum, quo iſtud ab univerſis in concluſo quovis faciendo exerceretur; an ſcilicet per vota majora, an per duas tertias, an non niſi per unanimia: vel certe modus iſte ab ipſis Apoſtolis; aut eorum ſucceſſoribus, ſeu ſemel pro ſemper, ſeu in ſingulis Conciliis, antequam de alio quovis capite decerneretur debuiſſet irrefragabili decreto fuiſſe ſtabilitus.*

VI. *Rurſus, cum toties primi primorum ſeculorum Eccleſiæ Patres & Doctores affirmant, S. Petrum, aut ejus in Principatu Eccleſiæ ſucceſſorem quemcunque, eſſe centrum & principium unitatis fidei & totius pacifici ac conſentientis Epiſcopatus; ac ſuper unum Eccleſiam fuiſſe ædificatam* (247. not. 3.)*: viciſſim id dogma tradere pari diligentia poſteris ſuis Chriſtianis debuiſſent, quod ſcilicet ultimum & ſupremum principium hujus unitatis ſit conſentiens univerſi cœtus Epiſcoporum ſententia & judicium; quo ſtandum ipſi Primati eſſet, ut ipſe centrum eſſe poſſet ejuſdem unitatis immediatum, nec ſciſſione ab univerſo aliquo Epiſcoporum cœtu unitatem Eccleſiæ divideret.* Profecto enim Concilii univerſi Epiſcoporum unitas a Petro ceu principio non pendet; ſi iſto ſuperius eſt.

VII. *Quoniam itaque nihil de id genus clara fundamentali lege; ceu primaria, a Chriſto uſpiam ſtatutum legimus idcirco juriſdictio ſuperior S. Petri ut Primatis, a Chriſto certo & clare jure divino inſtituta, ſimul ita ſaltem pro ſuprema habenda eſt, ut ea ſuperior alia nulla ſtatuatur; & cui Epiſcopi æque omnes in Concilio quocunque congregati, atque ſinguli ſeorſim per orbem diſperſi ſubſint: quin ulla auctoritate humana mutari quidquam in ea lege fundamentali divina circa regimen Eccleſiæ poſſit.* Summa enim temeritas eſt velle quidpiam mutare in lege fundamentali, ſupremi Principis imperio conſtituta.

VIII. *Unde juriſdictio Primatis in utroque illo ſenſu univerſalis eſt, videlicet quod & in ſingulos Epiſcopos per orbem Catholicum diſperſos, nullo excepto, & in univerſos etiam in unum congregatos, ſeſe ex æquo extendat.*

* Argumenta, quæ huic prærogativæ Primatus opponuntur, ad duo capita revocantur; nempe ad quorumdam *Scripturæ locorum* quæſitas interpretationes, & *ad facta non nullorum Conciliorum generalium.* Itaque OPPONITUR I°.) *varia interpretatio locorum Matthæi XVI. & Joan. XXI.*; qua alii ex primis Catholicæ Eccleſiæ Patribus nomine *petræ* (*ſuper hanc petram ædificabo*) nunc Chriſtum, uti *S. Auguſtinus* L. I. Retract. c. 21., nunc fidem vel confeſſionem S. Petri, uti *S. Hilarius* L. VI. de Trinit., *S. Ambroſius* L. VI. c. 9. in Lucam, *S. Chryſoſtomus* homil. LV. in Matth., intelligunt: item qua rurſus alii cum *S. Auguſtino*, pluribus in locis id repetente, affirmant, in illo Matthæi loco S. Petrum fuiſſe figuram totius Eccleſiæ; quoad iſta tunc per Apoſtolorum, ceu rectorum ſuorum, cœtum repræſentabatur; nec Petrum niſi iſtorum omnium perſonam & vices agentem claves a Domino recepiſſe. His *repono* PRIMO: omnes id genus interpretationes, tenori ſimplici verborum adverſas, ſaltem ſi ita aſſerantur, ut ſimplex ac literalis ſenſus omnino, ceu non intentus a Chriſto, negetur, temeritate non carituras; quippe quibus verba Chriſti, legem fundamentalem ſimplici tenore planiſſime exprimentia, contra iſtum tenorem in ſenſus prorſus abſonos & arbitratu confictos detorqueantur. SECUNDO, his interpretationibus privative, ut ajunt, ſemel receptis, non ſolum Primatus veræ *juriſdictionis*, imo vel *honoris* tantum, *jure divino* inſtitutus, plane evertitur (ut adeo non intelligam, qua doctrinæ conſequentia interpretationes

iſtæ

iſtæ adoptari a Catholicis doctoribus poſſint) verum etiam pari jure Proteſtantes fingere poſſunt, S. Petrum non ſolum cœtum Apoſtolorum, ſed omnium Chriſtianorum, repræſentaſſe, nec proin claves, ſeu ſupremum imperium, ſolis Apoſtolis, ſed univerſo fidelium cœtui, a Chriſto ſub regimine Democratico commiſſas fuiſſe. Quodſi enim ſemel S. Petrus non niſi figuram perſonæ moralis alienæ, id eſt, cœtus cujuscunque, geſſit; quidquid honoris vel poteſtatis illi ſub tali figura delatum a Chriſto fuit, non ipſi, ſed perſonæ morali ac cœtui delatum eſt; cujus ipſe præciſe figuram geſſerat. Profecto ſi in lege fundamentali id genus interpretatio habere locum poteſt; evidens mihi eſt, deſperandum Catholico eſſe de Proteſtantium refutatione (200. not. not. 152. not.). Tertio prædicti Patres nunquam negarunt, ſed aliis locis abſolute ipſimet omnes ſine diſſenſu aſſeruere etiam ſenſum obvium & literalem, qui ſoli Petro totum id a Chriſto dictum & conceſſum enuntiat, quidquid illis locis dictum & conceſſum, utique in Eccleſiæ univerſæ perpetuam utilitatem, eſt; quod ex illorum textibus ſupra allegatis (151. 155.) abunde patet. Quarto plures ex præcipuis planiſſime pronuntiant, ſoli Petro Matth. XVI. Chriſtum fuiſſe in perſona locutum. Ita *S. Cyprianus* §. 151. citatus L. de unit.: ita *S. Hieronymus* L. I. in Jovin. ait: *ſuper Petrum fundatur Eccleſia; licet id ipſum in alio loco* (nota bene: non ergo Matth. XVI., ſed Joan. XX.) *ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti accipiant*: ſimiliter *S. Chryſoſtomus* comment. in Joan. XXI. 15. ſcribit: *aliis omiſſis ſolum Petrum affatur, fratrum curam committit; - - orbis terrarum curam commendat. Theophilactus* in Matth. XVI. 18. *licet ad Petrum tantum dictum ſit illud: tibi dabo claves &c.: tamen omnibus Apoſtolis olim datum eſt,*

quando dicit: quorum remiſeritis &c.: id eſt, ſubſtantia & qualitas poteſtatis eadem, ſed cum ſubordinatione tamen. *Optatus Milevitanus*, vel certe auctor antiquiſſimus Libri VII. de Unitatis bono, ſic habet: *B. Petrus & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni cœlorum, communicandas ceteris, ſolus accepit. Stant tot innocentes; & peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur.* Denique *S. Pacianus* Barcinonenſis Epiſcopus, item ſeculi quarti Scriptor Epiſt. 3. ait: *ad Petrum locutus eſt Dominus; ad unum ideo, ut unitatem fundaret in uno; mox id ipſum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit: & ego dico tibi; quia tu es Petrus &c.* Ceterum alii quidem dicunt; id, quod Petro Matth. XVI. & Joan. XXI. 15. a Chriſto dictum eſt, omnibus Apoſtolis dictum fuiſſe, ſed non ibidem, ſed aliis in locis ac temporibus, puta Matth. XVIII. *quæcunque alligaveritis &c.*, & Joan. XX. 21. *quorum remiſeritis &c.*; id eſt, eandem qualitatem poteſtatis omnibus datam, ſed non quantitatem & extenſionem, item non ſine ſubordinatione ad poteſtatem Petri. Vide §. 151. textum S. Cypriani ex L. de Unit. *Quinto* S. Petrus dicitur ab Auguſtino repræſentaſſe Eccleſiam, ſed non eo ſenſu, quod ceu iſtius figura & miniſter ſolum alieno totius Eccleſiæ nomine receperit ſupremi imperii claves (qui conceptus omnem Primatum, etiam honoris, jure divino conſtitutum, everteret) ſed quod in Eccleſiæ bonum & pro omnibus ſucceſſoribus ſuis in perpetuum receperit, non pro ſua unius perſona: quo ſenſu nempe Tertullianus dixit in Scorpiaco cap. 10. *claves cæli Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.* Idem denique Auguſtinus non niſi ex leviſſimo fundamento in L. I. Retract. dubitavit de eo, quod ſæpius in aliis libris ſe aſſeruiſſe ipſe ibidem fatetur, videlicet, an

Petrus

Petrus *petræ* nomine ſit intelligendus; nempe quod πετρα feminino genere, non πετρος, ibi græco in textu poneretur: quaſi non eſſet in græco eadem vis & uſus utriusque vocis. Sed nec niſi dubitanter id aſſerens, ait, *videat lector, quæ ſententia ſit probabilior.* Enimvero ex his omnibus rectiſſime concludi exiſtimo, temeritatem in lege fundamentali divinitus conſtituta male interpretanda per rationes tam frivolas minime excuſari; vel certe Proteſtantes quoque his ipſis excuſatum iri; ſi judicem ſupremum falli neſcium a Chriſto eisdem tam controverſis in locis inſtitutum in Eccleſia fuiſſe omnino inficientur.

* * Opponunt 2'.) locum Matth. XVIII.; ubi Chriſtus proponens præceptum correctionis fraternæ de univerſis fratribus peccantibus dicit: *ſi te non audierit; dic Eccleſiæ: quodſi Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus:* ſubdit vero pro ratione iſtius ultimi dicti poteſtatem, quam Eccleſiæ, id eſt, cœtui Apoſtolico, daturus ſit: *amen dico vobis: quæcunque alligaveritis &c.* Atqui, ſubjiciunt, etiam Petrus, etiam Primas *frater* eſt, qui peccare poteſt: ergo etiam ex Chriſti lege ad Eccleſiam, id eſt, rectores Eccleſiæ congregatos, deferri, & pro poteſtate ligandi iſtis data puniri poteſt; proindeque Conciliis Epiſcoporum œcumenicis a Chriſto ſubjectus fuit. *Reſpondeo.* Putasne, obſcuram id genus argutationem excuſandæ temerariæ interpretationi legis fundamentalis ſufficere poſſe? Sine dubio vox *Eccleſiæ* cit. loc. (*dic Eccleſiæ*) nequaquam Concilium generale Epiſcoporum deſignat, ſed rectorem Eccleſiæ; cui frater quiscunque immediate ſubeſt, ſive hic laicus, ſive Sacerdos, ſive etiam Epiſcopus ſit. Nuſpiam enim ego in Scripturis divinis novæ legis præceptum invenio congregandi totum cœtum Apoſtolicum pro

 quæ-

quæſtione vel cauſſa quacunque definienda; nec Act. XV. vocati ſunt omnes Apoſtoli edito edicto; ſed cum S. Petro convenere, qui aderant, & commode convocari poterant. Dixerat enim Chriſtus Luc. XXII. *ſi duo vel tres in nomine meo fuerint congregati; ſum in medio eorum.* Unde Epiſcopum peccantem non ad generale Concilium deferre eſt opus, ſed ſufficit deferre ad Metropolitam humano jure illi præpoſitum, vel ad Concilium Epiſcoporum comprovincialium. Quodſi ergo ſit unus unicus aliquis frater, qui nullum habeat ſuperiorem in Eccleſia; num generatim dicere jam Chriſtus non potuit: *ſi peccaverit frater tuus; dic Eccleſiæ?* An exprimere debuit exceptionem: *niſi ſit ſupremus meæ Eccleſiæ rector?* An non ultro hæc ſubintelligitur? Imo an is ſupremus rector qua talis proprie *frater* ullius dici poteſt? quem enim fratrem hoc in munere habet; etſi ut Epiſcopus fratres Epiſcopos habeat? Aut num recte laicus vel Sacerdos Epiſcopum fratrem dicet; etſi iſte ut homo frater etiam laici appellari queat. Quidſi denique etiam Epiſcopi, collecti in generali Concilio ſine Primate, errent; uti errarunt in Ariminenſi; in Epheſino Latrocinali: an etiam Concilio ſuperius tribunal afferendum porro erit, ad quod fratres iſti peccantes deferantur? Enimvero ſinceritati meæ in lege fundamentali a Chriſto conſtituta inquirenda iſthæ excuſationes frivolæ videntur. Magis vero etiam frivolum illud, quod in Miſſali antiquo Romanæ Eccleſiæ in Miſſa feriæ tertiæ poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ Evangelium de fraterna correctione hoc modo legendum inveniatur: *In illo tempore reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro: ſi peccaverit in te frater tuus: - - - ſi te non audierit; dic Eccleſiæ.* Ex quo inferunt, etiam Petro ſupereſſe altius tribunal Eccleſiæ, ad quod ſuæ poteſtati inobedien-

obedientes deferri poſſit. Ubi & Romanis Pontificibus doli vitium imponunt, quod ejus loci correctio poſtmodum facta ſit una cum aliis locis juſſu Clementis VIII. & Pauli V. in hunc modum : *dixit Jeſus diſcipulis ſuis : ſi peccaverit in te frater tuus &c. &c.* Quid dici inanius in re tanti momenti poſſet ? Quaſi vero textus hebraicus & græcus, conſenſusque latinorum exemplarium, de Matthæi loco illo non ſupereſſet ; qui inanem Miſſalis antiqui auctoritatem plane refelleret, ſufficeretque ad talem iſtius errorem corrigendum ? Interim nec, quod Petro, nec quod Apoſtolis ſingillatim, hoc præciſe præceptum Chriſtus dederit, Evangeliſta ante hæc verba, *ſi frater tuus peccaverit*, immediate aſſerit ; ſed ſolum initio totius capitis verſu primo memorat, in illa hora *acceſſiſſe diſcipulos ad Jeſum, dicentes : quis putas, major eſt in regno cœlorum.* Ubi ſermonem Chriſtus continuum tenens, denique v. 15. ſimpliciter pergit : *ſi autem peccaverit in te frater tuus &c.*

* * * Opponunt 3'.) *facta contraria Conciliorum Oecumenicorum.* Nam a) Epiſcopi in Conciliis Oecumenicis ſemper ſibi *jus voti deciſivi*, non mere *conſultativi*, etiam præſentibus Pontificum legatis, vendicarunt : ergo pares ſe in ejusmodi cœtibus congregati ipſi Romano Pontifici, nec niſi cumulativos cum illo judices ita exiſtimarunt, ut totum Concilium Pontifice ſuperius eſſe auctoritate crederent. *Addunt* exemplum *primi Concilii Jeroſolymitani* ; in quo Petrus quidem primus locutus eſt ; ſed Jacobus & ceteri, quin ſe Petri oraculo jam obſtringi cenſerent, æquali cum auctoritate deciſivam ſententiam dixere. b) Concilia Oecumenica non ſe obligari crediderunt ad epiſtolas & edicta dogmatica Pontificum Romanorum ſimplici obedientia recipien-

da ; ſed eadem ſubjecere novo examini , novamque de his judiciariam ſententiam tulere ; uti de Epiſtola S. Leonis Magni in Concilio Chalcedonenſi, de Conſtituto Vigilii Papæ in Conſtantinopolitano inter Oecumenica ordine quinto &c. c) Concilium Oecumenicum ſextum omnino damnavit Honorii Papæ epiſtolas dogmaticas ad Sergium de hæreſi. d) Concilium Conſtantienſe Seſſ. IV. & V. ſolenniter declaravit, Papam ſubjici Concilio circa fidem & reformationem in moribus ; quin etiam depoſuit Joannem XXIII. pro certo Papa agnitum a toto Concilio. e) Idem totum confirmavit Concilium Baſileenſe, idem Oecumenicum. *Reſpondeo* ad a.) Cur ergo, antequam ii, quorum intererat, ultro cederent, nec niſi connivente demum Pontifice Romano, nec niſi multo poſt tempore, obtinuit Epiſcopus Conſtantinopolitanus Sedis ſuæ prærogativam ; quam generale Concilium Chalcedonenſe eidem Canone XXVIII. addixerat ; quin S. Leo M. obligari ſe ſententia generalis Concilii, ſe invito lata, exiſtimarit ? Interim *quod res diſciplinæ attinet ;* quis negat, Epiſcopos, veros judices, quin potius legislatores eſſe, videlicet pro ſua quemque diœceſi, vel Metropoli, cui immediate præſunt ; quamdiu Papa, ceu in ſuperiore tribunali judicans, communis boni urgente neceſſitate non contradicit ? Vide dicenda inferius §. 279. Idem valet *de cauſſis Epiſcoporum ;* cum utique magiſtratus inferior judiciaria poteſtate aliquem damnare, vel abſolvere poſſit, ita tamen, ut ſi Rex judicium reſcindat, nemo idcirco neget, magiſtratum ſolius conſiliarii, non judicis officio fuiſſe functum. Imo cum in rebus diſciplinæ & œconomiæ Eccleſiaſticæ errori univerſe, ſeu contra prudentiam, ſeu etiam contra juſtitiam, obnoxium per ſe etiam Primatis judicium ſit ; adhuc non quidem jurisdictione aliqua in Primatem uti, attamen

men admonere, quin & cum reverentia more S. Pauli corripere Cepham, cauſſa probe examinata, ac deprehenſo certo errore, poterunt, reviſionemque, aut correctionem ſententiæ petere; quin &, ceu immediati judices ſuæ diœceſis fidelium, his declarare, haud obligari ipſos injuſtæ ſententiæ obedire, noxiam illam eſſe ſuæ diæceſi &c. *Quod autem ad res fidei attinet*, videndum primo, an Primatis vera ac publica definitio aliqua ac judiciaria ſententia præceſſerit; nec ne. *Si nulla Primatis definitio præceſſit*: judicium liberum cuique Epiſcopo, uti extra, ſic intra Concilium competit, ceu paſtori immediato ſui gregis! Sed eo ſolo nullus alius Epiſcopus, minus autem Primas, ſtare tenebitur; utcunque multi Epiſcopi contra paucos ex adverſo ſtent; ut in Ariminenſi, & in Conſtantinopolitano V. ab Imperatore Copronymo celebrato, contigit. Quis enim Epiſcopos numero majores ceteris in cauſſa fidei præfecit? Certe non Chriſtus uſpiam in Evangeliis. Quidſi autem omnes Epiſcopi in fidei judicio conſentiant; an eorum judicio ſtare Papa non tenebitur? Ajo, fieri non poſſe, ut diſſentiat; quia ſecus ædificium Eccleſiæ aut totum rueret ſtante fundamento, aut totum ſtaret non fundamento inædificatum; quod utrumque promiſſis Chriſti contrarium eſt; qui Petro promiſit, ipſum ſemper fore immobile fundamenmentum; & Eccleſiæ, ipſam ſemper hoc fundamento innixam integre conſtituram. Idcirco tamen Primas Concilio non ſubjicitur, ſed S. Spiritus interno regimini, Eccleſiam fundamento everſo ſcindi in partes non permittentis: ſicuti, quin Concilium poſterius priori Oecumenico ſubjiciatur, tamen iſtud nihil ab illo diverſum in fidei rebus ſtatuere poteſt. *Quodſi autem Primatis definitio aliqua jam præceſſit*; enimvero tum obedientiam Epiſcopi in Concilio congregati æque, ac per orbem diſperſi, Primatis definitivo judicio debebunt.

bebunt. An vero hoc judicio definitivo Epiſcoporum obſtat? Minime vero. Eſt enim inter *votum mere conſultivum*, ac *deciſivum*, illud princeps & eſſentiale diſcrimen; quod nempe primum ab eo fertur, qui nulla obligandi alios ad ſibi aſſentiendum, vel obtemperandum, jurisdictione pollet; qualia ſunt Doctorum, vel Academiarum: alterum vero editur ab eo, qui obligare ad ſibi aſſentiendum & obſequendum alios propria poteſtate poteſt. Jam vero, etſi teneantur Epiſcopi Pontificiis definitionibus obſequi; ita tamen illis ſubſcribunt, ut ſuo viciſſim judicio immediatos ſubditos ſuos ad obſequendum ſuo *judicio adhæſionis* obſtringant, quo Pontificis judicio ipſi *adhærent:* id quod perinde fit, atque in Epiſcopis, qui Oecumenici Concilii, cui ipſi intereſſe non poterant, definitiones vero tamen ipſi judicio ſuſcipiunt, eisque adhærendo ſubditos ſuos ad ſimiliter adhærendum obligant; quin meri *conſiliarii* viçes agere cenſeantur. Falleris autem, ſi judicis poteſtatem conſiſtere non poſſe exiſtimes; niſi ipſe immunis ab obligatione aſſentiendi alterius judicio exiſtat. Quidſi enim Concilium poſterius iterum damnet hæreſes jam priori ab Concilio Oecumenico damnatas; an judicis officium non exercebit; etſi ſtare illius judicio teneatur? Atque ex his facile intelliges, qualia in primo Concilio Jeroſolymitano reliquorum Apoſtolorum, poſt S. Petri definitionem ſententias ſuas dicentium, vota fuerint; adhæſionis, nimirum & confirmationis. Porro ex his *ad b*) item facilis reſponſio fluit. *Duplex* nempe *examen* diſtingui poteſt; unum *auctoritatis* in eum, cujus ſententia vel judicium examinatur, cum dubitatione conjunctum, an veritati conſentiat; alterum *inſtructionis & confirmationis*; quod poſterius Galli Antiſtites (Memoires du Clergé T. I. pag. 461.) *judicium ſimplicis adhæſionis & prudentiæ* appellant. Utrumque cognitionem cauſſæ ſupponit. *Primum* tamen pro auctoritate

tate quis & cum dubio exercet, an certioribus veritatis regulis, ex. gr. S. Scripturæ ac traditioni, conſentaneum, vel diſſentaneum, alterius ſibi ſubjecti judicium ſit. *Alterum* ſola Romani Pontificis definitione, ceu certo criterio, contentum eſt, ut ſententiam ab eo prolatam cum S. Scriptura & traditione divina convenire continuo judicet; ſatis eſſe ducens cum S. Irenæo (L. III. c. 3.) *Romanæ Eccleſiæ traditionem* cognoſcere; *in qua ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Poſterius hoc Epiſcopis in Concilio congregatis perinde atque per orbem diſperſis ita competit, ut nihil eos vetet Pontificis definitiones cum S. Scripturis & traditione ſacra conferre; modo ne id faciant vocando definitionis veritatem in dubium; ſed ut vel propriis ex documentis firmum cognoſcant, quod jam primi Paſtoris definitione certum habetur; vel ut aliis, qui ad agnoſcendam ſolius Primatis auctoritatem ſatis proni non ſunt, iisdem propriis ex fontibus eandem veritatem valeant demonſtrare; perinde videlicet, atque idem circa Conciliorum generalium definitiones convenit Epiſcopis, qui intereſſe iſtis non potuere, & nihilominus vero judicis officio funguntur; cum tali præmiſſo ſolius adhæſionis examine ſuis illas propriis ſubditis promulgant.

Ad c) reſpondeo: 1.) *Honorius* Pontifex in ſuis Epiſtolis duabus aliud non definivit, niſi mere proviſorio modo (non dogmatice): *ſufficere, ſi prædicetur Chriſtus Deus veriſſimus, in duabus naturis operatus divinitus atque humanitus* (Ep. I.): *propter ſimplicitatem* autem *hominum*, (ne ſcilicet aut duas perſonas ex duabus operationibus ſecundum Neſtorium, aut unam naturam ex una operatione aſſerta cum Eutychete, inferant) *non unam, vel duas operationes definiri debere* (Ep. II.). Quidquid præterea addidit in illis

illis Epiſtolis, rationes ſunt, quas affert pro rectitudine definitionis proviſoriæ, non dogmaticæ; nec proinde, etſi in illis erraſſet, id pro errore in ſolenni dogmatica definitione haberi poſſet. Unde & privatæ erant epiſtolæ ad unam Eccleſiam miſſæ, & erudientes iſtam, qua œconomia ejus Patriarchæ utendum eſſet in ſopienda inutili controverſia, quam palam definire ſolenni oraculo conſultum Papa non duceret. Ex quo factum ut niſi poſt 36. annos circiter ex Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Archivio in lucem proferrentur. Quamquam nec errabat Honorius in proviſionis ſuæ rationibus illis, quas attulit. Unum enim illud ei objicitur; quod dixerit in Ep. I. *unam ſe fateri voluntatem D. N. J. Chriſti.* At non dixit unam eſſe divinitatis & humanitatis, ſed ſolius humanitatis; contrarias ſolum in humanitate Chriſti excludens voluntates, quales in vitiata noſtra natura ſæpe nobis invitis exiſtunt. Patet iſtud *tum* ex contextu epiſtolæ prædictæ; cum prædictæ ſententiæ ſubdit hanc rationem: *quia profecto a divinitate aſſumta eſt natura noſtra, & non culpa;* & iterum: *non eſt aſſumta a Salvatore vitiata natura, quæ repugnat legi mentis: tum* ex teſtimonio *Joannis IV. Papæ,* qui Honorio poſt Severini brevem Pontificatum ſucceſſit, in epiſt. ad Conſtantinum Heraclii filium ſic ſcribentis: *prædictus prædeceſſor meus docens de myſterio Incarnationis dicebat, non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates; quod quidam ad ſenſum proprium convertentes, unam eandemque voluntatem divinitatis dicere voluerunt; quod omnimode veritati eſt contrarium: tum* denique proprio ex teſtimonio *Joannis Simponi* Abbatis Romani, qui teſte S. Maximo Martyro coævo in diſputatione cum Cyro & Pyrrho, Monothelitarum præcipuis, totum Occidentem tum virtutibus, tum dogmaticis veritatibus illuſtravit, atque ſimul ipſe Honorio ab epiſtolis

fuit,

fuit, easque epiſtolas ad Sergium Honorii nomine ſcripſerat; quippe in expoſitione Epiſtolæ Honorii ad Conſtantinum Heraclii filium & ipſe de ſe & Honorio ſcripſit: *unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis unius. . . . Non habuiſſe eum duas contrarias voluntates carnis & ſpiritus, ſicut nos habemus.* Itaque erravit certe Concilium illud Epiſcoporum, conniventibus quidem ipſis legatis Pontificiis; cum Honorium perinde ac Sergium, Cyrum, aliosque veros Monothelitas earum epiſtolarum intuitu ut *hæreticum* aperte damnavit; *Cyro, Sergio, Honorio hæretico anathema;* male etiam intelligens epiſtolas Honorii, contra proteſtationem *Joannis IV.* Papæ illas recte interpretantis; ſed hac in parte nunquam ſibi conſentientes habuere ſeu Romanum ullum Pontificem, ſeu ceteros Occidentis Epiſcopos, qui Concilio illi non interfuere. Legati enim Pontificii in eo Concilio mandatum ab Agathone Papa ad hoc adeo non acceperant, ut potius expreſſis verbis prohiberentur in minimo quid addere, præter id, quod in literis legationis injunctum eſſet; in quibus ipſis literis *S. Agatho* aperte affirmat, nullum ex ſuis prædeceſſoribus erraſſe in fide, aut neglexiſſe hæreſum inventores commonere, ut ab errore *ſaltem tacendo* deſiſterent. Verum quidem eſt, *Leonem II.* Papam, qui S. Agathoni, ante recepta Concilii acta defuncto, in Sede Romana ſucceſſerat, in epiſt. ad Imperatorem ſcripta confirmaſſe acta Concilii ejusdem (quamquam nec iſta epiſtola extra omnem ſuppoſitionis ſuſpicionem eſt) & Honorium quoque damnaſſe; ſed non ut hæreticum damnavit, ſed ſolummodo ob imprudentiam & negligentiam proviſoriæ illius definitionis; de qua ſupra dixi. Sic enim Leo II. in cit. ep. ait: *nec non & Honorium* (anathematizamus) *qui hanc Apoſtolicam*

cam Eccleſiam non Apoſtolicæ doctrinæ luce illuſtravit, ſed immaculatam fidem profana traditione maculari permiſit. Et iterum in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ poſt Sergium, Pyrrhum &c. hæreſis damnatos, idem Leo II. ſubdit: *cum Horio, qui flammam hæretici dogmatis incipientem, prout decuit, Apoſtolica auctoritate non extinxit, ſed negligendo confovit.* Quid porro ex his omnibus concludemus? Illud *primum*: ex erroneo facto Concilii, ſine Papa decernentis de hæreſi in epiſtolis Honorii contenta, nihil concludi poſſe, idque potius exemplum eſſe, quid poſſint Concilia a Chriſti Vicario ſeparata. *Deinde*: ex damnatione ſucceſſoris Papæ, nempe Leonis II., quidem recte concludi, Papam in facto ad prudentiam œconomicam haud dubie errare poſſe. *Sed* nullo pacto ex his extundes, ſuperiorem eſſe Concilii ſupra ipſum Papam auctoritatem. Profecto enim Honorius tum Papa amplius haud erat; cum a prædicto *orientalium* (ut Hadrianus II. in Epiſt. ex Concilio Romano ad Græcos data appellat) *Concilio* damnaretur. *Quodſi inferas*, falli poſſe Papam in quæſtione fidei; patet *reſponſio* ſub diſtinctione: in reſcripto privato & proviſione œconomica decernens, an quæſtio definienda ſit, nec ne; quam edit nullo numero Epiſcoporum in conſilium adhibito, nec ſibi adſtipulante; *concedo*: in definitione ſolenni & dogmatica quæſtionis ipſius fidei, quam quocunque Epiſcoporum numero ſibi adhærente edit; *nego.*

Ad d) Ut ad Facta CONCILII CONSTANTIENSIS ET BASILEENSIS reſpondeam, opus plane eſt, ſuccinctam, ut poteſt eſſe, *hiſtoriam ſchiſmatis illorum temporum & Conciliorum, ex ejus occaſione celebratorum*, ex probatiſſimis documentis

mentis præmittere. 1.) Poſt obitum Benedicti XI., qui Bonifacio VIII. ſucceſſerat, cum Sedes Apoſtolica menſibus undecim vacaſſet, Cardinalibus in duas partes diviſis, tandem in Papam electus eſt an. 1305. Clemens V. antea Archiepiſcopus Burdigalenſis in Gallia. Is Sedem Apoſtolicam in Gallias tranſtulit; ubi annos amplius 70. manſit; donec Gregorius XI., licet natione & ipſe Gallus, relictis Galliis, Romam rediens ibidem ſedem denuo fixerit. Mortuo Gregorio an. 1378. Cardinales numero ſedecim (ex quibus Galli 11, Itali 4, & Hiſpanus unus) conclave ingrediuntur; quos populus Romanus obſidens, non tantum Italum, ſed expreſſe Romanum eligi in Papam petit, minis etiam intentatis, niſi Cardinalem S. Petri, qui unus Romanus ex Cardinalibus conclavi incluſis erat, elegiſſent. At Cardinales non Romanum, ſed Neapolitanum elegere, Archiepiſcopum nempe Barenſem, qui Urbani VI. nomen aſſumſit, in quem etiam jam ante illum populi Romani tumultum convenerant; ut patet ex confeſſione tum ipſius Cardinalis Gebennenſis, qui poſtea ſub Clementis VII. nomine ſchiſma inchoavit, ab eo Marino Epiſcopo Caſſanenſi facta, tum Cardinalis S. Petri morientis. Ab ea electione nihil etiam dimoveri ſe paſſi ſunt Cardinales novis minis populi, eam reſpuentis & Romanum petentis, imo nec illata vi, etiam cum quidam illorum a populo capti fuerant. Ceſſante etiam jam deinceps omni metu tres fere menſes cum Urbano VI. Romæ manſere, impoſuere illum throno, ſacris operanti & de graviſſimis negotiis cum ipſis conſultanti adſtitere; & quod iſta omnia ſuperat, datis tum privatis, tum publicis literis nomine totius Collegii ad Principes, Urbanum verum & rite a ſe electum eſſe Pontificem profeſſi ſunt. Imo ſex Cardinales et-

jam abſentes poſtea Urbanum ut Pontificem literis ſunt venerati. Poſt tres vero menſes demum, cum illius intempeſtivam ſeveritatem ferre non poſſent Cardinales, Fundos Roma digreſſi violentiæ in electione ſibi illatæ obtentu, nullam Urbani VI. electionem atque irritam cauſſati, communi ſuffragiorum conſenſu, uno tantum excepto, elegerunt Robertum Cardinalem, Gebennenſis Comitis fratrem; qui Clemens VII appellari voluit, moxque cum Cardinalium Collegio ſeceſſit in Galliam, & Avenione denuo Pontificatus ſedem collocavit. Interim jam in conventu quodam priore Epiſcoporum Pariſiis habito decretum fuerat (ob has ipſas rationes videlicet hic modo memoratas) teſtimoniis Cardinalium, qui Urbanum rejiciebant, ſtandum non eſſe; a qua ſententia tamen poſtea in alio minus frequenti conventu receſſum eſt, Galliæ, Caſtellæ, & Siciliæ Regibus Clementi VII., cetero univerſo orbe Chriſtiano Urbano VI. adhærente. Mortuo Urbano VI. deinceps a ſuæ partis Cardinalibus ſuffecti continuo ſunt Bonifacius IX., huic *Innocentius* VII., & iſti *Gregorius* XII., antea dictus *Angelus Corarius*, Patritius Venetus; qui electus eſt præſtito juramento, abdicaturum ſe Pontificatum; ſi id æmulus in Papatu ſuus prius feciſſet, atque id neceſſum foret ad ſchiſma abolendum. Pariter Clementi VII. an. 1394. Avenione defuncto ſuffectus Petrus de Luna, aſſumto nomine Benedicti XIII.; qui & ipſe jurejurando ad ceſſionem Pontificatus ſe obligaverat.

2.) Utroque autem identidem obtentibus ex diverſis tergiverſante, & Petro de Luna etiam dolos æmulo Saonenſi in conventu jam condicto ſtruente; denique morarum

feſſi

feſſi utriusque obedientiæ Cardinales numero XXII. an. 1409. Piſis convenere, & indicto pro ſuo in his rerum adjunctis jure & officio generali Concilio, præſentibus quatuor Patriarchis, duodecim Archiepiſcopis, & Epiſcopis trecentis & octoginta, & ultra centum aliorum Epiſcoporum procuratoribus; in quo poſt triplicem citationem *Gregorii* & *Benedicti*, 26. Junii anni ejusdem utroque e Pontificatu dejecto, in utriusque locum electus eſt *Alexander V.*; cui ſequente mox anno die tertia Maji defuncto eodem adhuc menſe Bononiæ ſuffectus eſt *Joannes XXIII.*

3.) Aſt electione novi Pontificis in Piſano Concilio non extinctum, ſed auctum ſchiſma eſt; cum Gregorio & Benedicto eidem parere renuentibus, non jam duo, ſed tres Pontifices in Eccleſia viderentur, ſuis ſinguli factionibus defenſi. In obedientia enim *Gregorii* uſque ad ceſſionem Pontificatus in Seſſ. XIV. Conſtantienſis Concilii ab eo factam permanſere non ignobiles quædam Italiæ urbes cum tota Romania, Bavaria tota, & Epiſcopatus Germaniæ celebres, Spirenſis & Wormatienſis. *Benedicto* adhærebant quatuor regna integra, Scotiæ nimirum, Navarræ, Caſtellæ, & Arragoniæ, uſque ad ejus depoſitionem alteram, in Seſſione trigeſima ſeptima Conſtantienſi factam. Hi omnes pro Oecumenico Concilium Piſanum, & pro legitime ſuffecto Pontifice *Alexandrum V.*, hujusque ſucceſſorem *Joannem XXIII.*, non agnoſcebant.

4.) Anno 1414. *Concilii Conſtantienſis*, ex præſcripto Concilii Piſani a *Joanne XXIII.* poſt triennium indicti, *prima Seſſio* 16. Novembris præſente Sigiſmundo Imperatore

 celebra-

celebrata eſt eo ipſo fine, ut ſchiſmate demum extincto pax Eccleſiæ reſtitueretur. Verum *Joannes XXIII.* ob graviſſima ſimoniæ, tyrannidis, & injuſtitiæ ſcelera, & alia ſcandala omnibus jam inviſus, non niſi primis duabus Seſſionibus præfuit. Cum enim anno 1415. 1. Martii pridie *ſecundæ Seſſionis* propoſitam ſibi a Patribus abdicationis Papatus formulam probaſſet, appoſito etiam jurejurando, quod ipſam ceſſionem facere vellet, quoties ea ceſſione Eccleſiæ unio juvari poſſet: Patres illum urſere, ut procuratores ſuæ ceſſionis conſtitueret. Quam petitionem cum ſæpius iteraſſent Patres, Joannes XXIII. 20. Martii noctu cum decem ſuæ obedientiæ Cardinalibus Conſtantia aufugit, ſeque Schafuſiam recepit. Sex tamen poſt diebus nempe 26. Martii Præſide Cardinali Petro Alliacenſi *tertia Seſſio* habetur; cui tamen unus præter Alliacenſem Cardinalis Franciſcus Zabarella ac ſeptuaginta tantum Epiſcopi & Abbates interfuere. In ea, Concilium rite convocatum eſſe, nec niſi ſchiſmate extirpato & Eccleſia in Capite & in membris reformata diſſolvi poſſe, nec Epiſcopis a Concilio nondum finito diſcedere licere, contra eos definitum eſt, qui ex abſentia Papæ Concilium diſſolutum iri affirmabant.

5.) De habenda *Seſſione quarta* cum deliberatio haberetur, Cardinales & Nationes *Galliarum*, *Angliæ*, & *Germaniæ*, quatuor in ea articulos definiendos propoſuerunt; in quorum primo declarabatur, *eam Concilio ineſſe immediate a Chriſto poteſtatem, cui quilibet, etiamſi Papalis dignitatis exiſteret, obedire teneretur in his, quæ pertinent* AD FIDEM, *ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ tam in capite, quam in membris.* In ceteris definiebatur, Joannem Papatui renuntiare, & definitionibus Concilii ſtare teneri;

neri; diſceſſum ejus a Concilio illicitum eſſe; ni redierit, contra eum ut hæreticum & ſchiſmaticum procedendum eſſe. Sed *Itali*, qui hisce deliberationibus non interfuerant, moniti de illis, Imperatorem Sigiſmundum adeunt, atque a primo articulo verba illa, *& reformationem Eccleſiæ tam in capite quam in membris*, delenda, reliquos autem articulos plane ſupprimendos eſſe contendunt. Interim 30. Martii hora ſeptima ante meridiem (ut referunt Codices antiqui a Schelſtratio producti) convenientibus in Palatio Epiſcopali Sigiſmundo Imperatore, Cardinalibus, & nationibus, fuit plurimum ſuper prædictis articulis altercatum, ita, ut Cardinales prædicti & legati Regis Galliæ decernerent non intereſſe Seſſioni. Cumque iidem cum nationibus conciliari non poſſent, fuit inchoata Miſſa pro *Seſſione quarta* celebranda. Qua finita Sigiſmundo novum colloquium cum duobus Cardinalibus, Florentino & S. Marci in prima Eccleſiæ Capella habente, & vocante ad ſe deputatos nationum, qui jam in choro parati ſtabant pro Seſſione celebranda, non modica diſceptatio inter omnes illos extitit ſuper articulis præfatis; & *tandem divino flamine inſpirante* (ut habent Codices citati) in unam ſententiam convenere, ut tantum capita infra ſcripta in dicta Seſſione ſtatuerentur. Fuit ergo prædicta Seſſio quarta de conſenſu Regis Romanorum & omnium Cardinalium, quatuor nationum, & Oratorum Principum celebrata; in qua Cardinalis Zabarella legit capitula (ex relatione dictorum Codicum) ſequentia: *Hæc S. Synodus Conſtantienſis & generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris fienda, - - - ordinat, diffinit, ſtatuit, ut ſequitur. Et primo quod ipſa in S. Spiritu legitime congregata generale Concilium faciens, Eccleſiam*

 Ca-

Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent AD FIDEM, *& extirpationem prædicti ſchiſmatis.* Contra vero acta alia Conſtantienſis Concilii impreſſa poſt Hagenoenſem primam editionem an. 1500. ad Codicem manuſcriptum exactam, quem Patres Concilii Baſileenſis deſcribi curarunt, ſic habent: *in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.* Cauſſa diſcriminis iſtius manuſcriptorum veterum ſine dubio ea eſt, quam ex *Panormitano* & *Regeſto* Conſtantienſis Concilii in tribus codicibus deſcripto refert Schelſtrate in *Compendio Chronologico*, quod Tractatui *de ſenſu & auctoritate decretorum Concilii Conſtantienſis* præmiſit. Refert is nimirum, Zabarellam Cardinalem, cum in Seſſione publica prælegens decretum illud primum ad prædicta modo verba perveniſſet, nec ea deleta, ut condictum fuerat; a nationibus obſervaſſet, continuo decreti lectionem abrupiſſe; eamque partem *falſam eſſe, additamque præter communem deliberationem*, profeſſum fuiſſe. Unde etiam ultima illa verba in omnibus fere Codicibus manuſcriptis, qui in Romana, Viennenſi, Pariſina, & Salernitana, bibliothecis reperiuntur, abſunt; quorum duos Vaticanos Concilii tempore ſcriptos ſibi Romæ a Schelſtratio oſtenſos *Burnetus* Anglus teſtatur; imo abſunt illa etiam in tribus illis Codicibus MSS., qui acta Conſtantienſia referunt, ex quibus Baſileenſes ſua decreta compilarunt; quod rurſus Schelſtratius certiſſimis teſtimoniis probat: qui etiam notat, & eidem Burneto demonſtrabat, in eodem *decreto quartæ Seſſionis* particulam illam *ad fidem* primum eſſe appoſitam a Petro Crabbé in ſua editione anni 1538.; ex qua in alias

poſtea

poſtea editiones derivata ſit. Nam in antiquioribus editionibus, ſcilicet Hagenoenſi an. 1500, Mediolanenſi an. 1511, Pariſina an. 1524, Colonienſi an. 1530, illam deſiderari. Contrarium quidem Maimburgus probare nititur ex diverſis Gerſonis operibus & orationibus in Concilio habitis; at convincitur a Schelſtratio, probante, quod Gerſon in iis locis non de quartæ, ſed quintæ Seſſionis decretis loquatur. Denique ea particula *ad fidem* etiam omittitur in illis editionibus, ex. gr. Hagenoenſi, quæ juxta editionem ipſius Concilii Baſileenſis editæ ſunt; licet hujus Patres, ut fulcirent labentem jam auctoritatem ſuam, Acta Concilii Conſtantienſis corrupta ediderint cum ulteriore illa appendice decreti primi, de qua jam dictum eſt. Interim *fides*, quæ hic deſignatur, tantum referenda videtur ad eam perſuaſionem, quæ tunc vigebat, quod nempe Papa, qui ſtare Concilii judicio in cauſſa ſchiſmatis nolit, tanquam hæreticus & in fide errans damnari poſſit.

6.) Sexta die menſis Aprilis, id eſt, ſeptima poſt quartam Seſſionem die *Seſſio quinta* celebrata fuit; in qua ex novo nationum concluſo ſuperiora quartæ Seſſionis decreta cum omnibus ſuis appendicibus, quæ in quarta omiſſæ fuerant, publice prælecta ſunt. Interim in formando id genus concluſo haud aliud fecere, niſi quod deputatos mitterent ad Zabarellam Cardinalem Florentinum; qui cum iſto ipſo Seſſionis die ante iſtius initium diſputabant de integre promulgandis prioris Seſſionis decretis. Unde cum viderent Cardinales, in proxima Seſſione ea a nationibus decretum iri, quæ nec examinata ſatis erant, nec approbare ipſi poterant, ſtatuerunt primum Seſſione abſtinere. Sed poſtea, cum viderent, id ſine publica offenſa ac periculo, ne Concilium diſſolveretur, fieri non poſſe, adire quidem Seſſionem parant;

Digitized by Google

parant; proteſtati tamen in ædibus Palatii Conſtantienſis, ubi infulas ſumebant, ſe *vitandi quidem ſcandali cauſſa, non vero animo conſentiendi his, quæ audiverant in illa ſtatui debere*, Seſſioni affuturos. Idem Oratores *Regis Franciæ* (nempe *Rhemenſis Archiepiſcopus, Dux Bavariæ*, & *Nicolaus de Clavilla*; de quarto enim, qui erat *Gerſonius*, id non nullis creditu difficilius videtur) Cardinalibus ſe jungentes profeſſi ſunt. Denique recuſante Cardinale Florentino Decreta publice prælegere, cujus id munus de more erat, electus ad id eſt Andreas Laſcharis Poznanienſis; qui decreta illa cum omnibus partibus ſuis præc. n. relatis prælegit. Ceterum in omnibus deliberationibus ſuper decretis hisce in Seſſionibus edendis Cardinalium vix ulla ratio eſt habita, ita, ut tam arcto & brevi tempore paullo ante ipſas Seſſiones ipſis oſtenderentur decreta jam concluſa a nationibus, ut non fuerit in ipſorum poteſtate ſuper illis ſufficienter deliberare. Unde & plures Cardinales de hoc ſui contemtu conqueſti ſunt, & denique petiere, ut, cum eſſent in Concilio quatuor nationes, una *Angliæ*, in qua non eſſent viginti capita, de quibus tres ſolum Prælati; Cardinalium autem ſexdecim adeſſent, atque alii etiam plures adhuc venturi ſint; de quibus plures magni & inſignes ſint Doctores, propter Collegii dignitatem habere ipſis vocem & auctoritatem parem cum Collegio nationis Anglicanæ permittatur. At recuſatum hoc eſt, juſſique ad ſuæ nationis collegium quisque ſe referre; quin ulla eis auctoritas relinqueretur. Interim rurſus eandem querelam in Seſſ. XXXVIII. pro Cardinalibus contra Anglicam Nationem inſtauravere legati Galliæ Regis; uti legere eſt in T. VIII. collect. Conc. Harduinæ col. 707. & col. 710.

7.) De-

7.) Denique cum *Joannes XXIII.* Friburgi Briſgojæ jam a fuga ſua interceptus, in Cuſtodia teneretur; 14. Maji in Seſſ. X. lata in eum depoſitionis ſententia eſt. Quæ cum ad Joannem delata fuiſſet; is præſentibus quinque Cardinalibus, non a Concilio, ſed a Collegio ſolo Cardinalium ad ipſum ablegatis, idque magnopere ei ſuadentibus, Papatui & omni juri ſuo, quod in eum ſibi adhuc competeret, ſimpliciter & abſolute libereque ſe cedere & renuntiare profeſſus eſt.

8.) Poſt hæc 4. Julii in Seſſ. XIV. Concilium adiere Procuratores *Gregorii XII.*, qui iſtius nomine primo Concilium ſervatis omnibus Pontificiæ dignitatis formalitatibus de novo indixere, & probavere, mox vero ejusdem nomine Papatui renuntiarunt: ex quo Cardinales a Gregorio creati a Synodo recepti ſunt, & duæ obedientiæ in unum corpus coaluere. Reſtat *Benedictus XIII*: ad quem legati, inter quos ipſe Sigiſmundus Rex, Seſſ. XVI. 11. Julii ablegantur. Fruſtra dolos iſte nectit. Præcipui ejus fautores eum deſerunt. Synodus contra eum procedit, & Seſſ. XXXVII. an. 1417. 26. Julii ſententia depoſitionis in eum velut *perjurum*, *univerſalis Eccleſiæ ſcandalizatorem*, *inveterati ſchiſmatis fautorem &c. &c.* fertur.

9.) Poſt iſtam trium obedientiarum factam unionem *Germanica natio* vehementer inſtitit, ut ante Pontificis electionem ageretur de reformatione. At obſtiterunt illi tres aliæ nationes, *Gallica* nempe, *Hiſpana*, & *Italica*, tenentes, ante omnia tollendum ſchiſma eſſe; id vero niſi electo novo Pontifice confici non poſſe; quia non niſi huic, non Concilio Acephalo, obedire parata ſint plura regna & provinciæ; apud quas fides de hoc Concilio ob varias in eo no-

tas controverſias jam vacillare incipiat. Cumque necdum conſentire vellet *germanica natio*, niſi *a Concilio expediretur cautio & aſſecuratio per decretum irritans* electionem, *quod poſt electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ & adminiſtrationem aliquam.* Sed multis decreti formulis fruſtra conceptis, tandem fuit dictum: *quod Papa electus ligari non poteſt.* Vide Harduin l. cit. col. 851. Unde & Seſſ. XL., 30. Oct. decretum editum fuit, quod Pontifex de proximo aſſumendus cum Concilio hoc, vel deputandis per ſingulas nationes, debeat reformare Eccleſiam in capite & in membris; antequam Concilium diſſolvatur.

10.) Seſſione XLI. 11. Novemb. electio novi Pontificis Martini V. promulgata eſt. Poſt Seſſionem XLII. an. 1418. 22. Febr. habitam *Poloni* urgebant, ut, quemadmodum nationes ſingillatim, atque adeo & Cardinales, faciendum ſtatuerant, libellus *Joannis a Falkenberg* ceu hæreticus a Martino V. damnaretur. Cum autem Martinus vereretur, ne hujus libri examen diutius, quam par eſſet, Patres Conſtantiæ detineret; contra vero (teſte Gerſone) pro parte Polonorum interjecta eſſet *appellatio ad futurum Concilium, niſi Martinus Polonis in ea re ſatisfaceret:* lata eſt 10. Martii in *Conſiſtorio generali* & publico a Martino V. conſtitutio: *quod nulli fas ſit a ſupremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu a Romano Pontifice Jeſu Chriſti in terris Vicario, appellare, aut illius judicium in cauſſis fidei (quæ tanquam majores ad ipſum deferendæ ſunt) declinare.*

11.) Demum in Seſſ. XLV. & ultima 22. Aprilis diſſolvens Concilium *Martinus V.* declaravit: quod *omnia Concluſa in materia fidei per præſens ſacrum generale Concilium*

cilium CONCILIARITER *obſervare velit, ipſaque ſic* CONCILIARITER *facta, & non aliter; nec alio modo, approbet, & ratificet.* Et vero jam ante Seſſ. XXII. 15. Octob. an. 1416. celebratam *Petrus de Alliaco Tractatum* ediderat *de Eccleſiæ & Cardinalium auctoritate*, in quo P. I. c. 4. *dubia* proponebat, quæ, dicebat, apud non nullos magnam perplexitatem inducere. Ex his *primum* erat: *an quatuor nationes in hoc S. Concilio ſic diſtinctæ, excluſo Cardinalium Collegio, faciant Concilium generale; cum ſint plura Concilia particularia, valde inæqualiter & inproportionaliter diviſa, & ad partem deliberantia, quæ deliberatio, excluſa deliberatione dicti Collegii, & non facta in communi Seſſione collatione votorum, videatur multis non eſſe cenſenda deliberatio Concilii conciliariter facta.* *Secundum* dubium erat: *an dictæ nationes, ceu nova Collegia particularia, quæ multis videntur contra, vel præter conſuetudinem antiquorum SS. Conciliorum inſtituta, habuerint a jure divino, vel humano, auctoritatem privandi Romanam Eccleſiam, & ſacrum Collegium ipſam repræſentans, jure ſuo habendi vocem in ſacro Concilio.* Hæc proponit Cardinalis ille eo fine, ut ſuper his Concilium deliberaret, *ne in futurum acta reprobarentur.* Atque ex his prænotatis vide ſis jam, quæ certa tum *Principia*, tum *Corollaria*, reſponſurus ad acta Conſtantienſia, ſupremæ Pontificum juriſdictioni objecta, ſubjiciam.

267.

Itaque I. *certum eſt, Eccleſiæ in Concilio generali, quocunque modo congregatæ, & collecto Epiſcoporum generali collegio, in caſu ſchismatis Papalis ultimum judicium competere, quis ex dubie electis ſit verus Pontifex.* Sine dubio enim tempore vacantis ſedis Apoſtolicæ ſuprema Eccleſiaſtica juriſdictio ad

ad univerſum corpus Epiſcopale pertinet; cum Epiſcoporum jurisdictione ſuperior alia, quam Primatis, divino jure inſtituta non ſit. Itaque etiam ad corpus Epiſcoporum ſine dubio ſupremum judicium pertinet, quænam ex duabus electionibus Papæ legibus; tum naturalibus, tum poſitivis, legitima Eccleſiaſtica auctoritate pro tali electione aliunde jam ſtatutis, conformis ſit: ſiquidem ipſius Primatis, qui certus adhuc nullus exiſtit, judicium de ſe ipſo authenticum locum habere ob poteſtatis incertitudinem non poteſt.

268.

II. *In caſu ſchismatis prædicto (præc.) ſi bonum univerſæ Eccleſiæ, & neceſſitas id exigat, eo quod pax Eccleſiæ, & unio ſub uno capite aliter reſtitui non poſſit; corpus Epiſcoporum in generali Concilio quocunque modo congregatum poteſtate pollet utroque dubio Pontifice exauctorato novum eligendi.* Cum enim ex dubia electione neutri certum jus acquiſitum ſit; certæ totius Eccleſiæ Catholicæ neceſſitati & communi bono ſpirituali, quod aliter per hypotheſin conſervari, vel reſtitui, non poteſt, jus incertum utriusque dubie electi prævalere non poteſt.

269.

III. *Concilium Piſanum, an. 1409, componendi ſchismatis cauſſa ab utriusque obedientiæ Cardinalibus convocatum, & convocatione & toto ſuo tenore generale & œcumenicum fuit.* Fuit enim convocatum ab iis, quibus cura electionis certæ procurandæ pro uno Papa aliquo vi legum pro conclavi Pontificio antehac ab ipſis ſummis Pontificibus prædeceſſoribus ſtatutarum ex officio incumbebat, nempe ab utriusque partis Cardinalibus. Fuit convocatio generalis omnium Epiſcoporum, cum libero iſtorum omnium acceſſu. Epiſcopi in eo Concilio erant competen-

petentes ſoli judices cauſſæ (267. 268.), atque uterentur in eo judicio plena libertate. Tulerunt denique judicium unanime. Ergo &c. &c.

* Nihil opponi his, opinor, poteſt; niſi id unicum: non debuiſſe Concilium Piſanum continuo procedere ad exauctorationem *utriusque* dubii Pontificis, ſed potius judicium ferre, quis ex duobus vero jure gauderet ceu legitime electus, unumque ex duobus ceu certo legitime electum declarare: fuiſſe enim ſat apertum jus Gregorii XII.; uti patere videtur ex dictis §. 267. not. 3. *ad d.* n. 1. Verum *reſpondeo inprimis*, nullo pacto teneri poſſe, judicium Piſani Concilii non fuiſſe rectum, & validum; ac proinde certum eſſe ajo, deinceps ſolum Alexandrum V., in ea Synodo electum, fuiſſe verum Papam: ſecus enim generalis cœtus Epiſcoporum (certo repræſentans in illis adjunctis rerum univerſalem Eccleſiam, de tali çauſſa ex legitima poteſtate judicantem) errare poſſet in recognoſcendo vero capite, id eſt, vero proprio ædificii ſui fundamento, & principio unitatis fidei ac religionis; quod eſt contra dicta §. 140. *Tum vero* certum etiam eſſe ajo, Concilium Piſanum habuiſſe juſtiſſimam cauſſam non decidendi, quis ex duobus illis dubiis Pontificibus potiore gauderet jure, ſed exauctorandi utrumque. Nam etſi dubium fortaſſis facile ab Epiſcopis, Urbani VI. electionem examinantibus, tolli certo & legitimo de ea judicio potuiſſet: tamen ſine Concilii ſolenni ſententia dubium illud immediate tolli legitime, & authentice, uti oportebat, reſpectu Eccleſiæ totius omniumque fidelium Chriſtianorum, nullo pacto potuiſſet. Itaque obligabantur certo ambo dubii Pontifices, ut ſe judicio Concilii, univerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſubjicerent, coram eo comparerent, rationesque ſuas proferrent. Atqui detrectarunt

runt hoc uterque contumaciter; uti conſtat ex ſpretis Cardinalium literis ad ipſos in ipſa Concilii convocatione datis, & ex ipſa contemta triplici Concilii jam congregati citatione, prima, ſecunda, & tertia Seſſione ejusdem publice ad valvas Eccleſiæ facta. *Contumaces* itaque, & *ſchiſmatis fautores*, Eccleſiæ judicio refractarii, quin & *hæretici*, ac a fide devii, in Seſſione XV. ejusdem Concilii jure declarati ſunt, eoque nomine ambo a Papatu dejecti: etiam *hæretici*, inquam; quatenus nempe Eccleſiæ auctoritatem in ea cauſſa divino jure conceſſam non agnoſcerent; cum tamen ambo ſe juramento obſtrinxiſſent, abdicaturos ſe Pontificatum, ſi id ad tollendum ſchiſma foret neceſſarium (l. cit. n. 1.). Tum vero univerſæ Eccleſiæ bonum exigebat, ut Epiſcoporum generalis cœtus, cum ipſi duo Pontifices legitimo judicio ſchiſma finiri nollent, alio remedio, in eum finem neceſſario, Eccleſiæ proſpicerent (præc.). *Neque obſtat*, quod etiam poſt Piſani Concilii ſententiam tamen quidam ſancti & docti viri, uti *S. Antoninus* Gregorio XII., & *S. Vincentius Ferrerius* Benedicto XIII. adhæſerint. Ex hoc enim ſolum conſequitur, ipſum quoque Gregorium XII. ex errore invincibili Eccleſiæ congregatæ in ſua cauſſa legitimam jurisdictionem ignorare potuiſſe: etſi, cum juramento cedendi etiam ſimpliciter Papatu, ſi Eccleſiæ neceſſitas id exigeret, obſtrictus eſſet, ab omni culpa vix excuſari poſſe videatur. Interim Eccleſiæ in Concilio congregatæ legitima in ea cauſſa jurisdictio errore amborum de Papatu concertantium impediri ab effectu ſuo non poterat, & judicare non ſecundum conſcientiam internam errantium, ſed ſecundum externam juris formam debebat; ſecundum quam omnis ille hæreticus habetur, qui in quacunque cauſſa pure Eccleſiaſtica nullam divinitus inſtitutam in Eccleſia auctoritatem pro

ea

ea decidenda ſuppetere agnoſcit. Id quod fundamentum ſufficiens recte credebatur habendi illum pro hæretico; qui ſchiſma per annos amplius triginta jam continuatum, diutius foveret; quin ejus finiendi judicem Eccleſiam agnoſceret.

270.

IV. *Concilium Conſtantienſe convocationis habita ratione pro generali & Oecumenico Concilio in ſui principio plane habendum eſt; & Joannes XXIII. pro vero & certo Pontifice ab eodem ipſo Concilio haberi debuit.* Cum enim *Piſani Concilii*, ceu Oecumenici, judicium authenticum & legitima auctoritate latum certo fuerit; neceſſe eſt, *Alexandrum V.* & hujus legitimum cetera ſucceſſorem *Joannem XXIII.*, quoque veros fuiſſe Pontifices; Gregorio & Benedicto dubio ſuo jure jam dejectis. Itaque Concilium Conſtantienſe ab Joanne XXIII. convocatum, & conſentiente Imperatore cunctisque Principibus congregatum, præſidente etiam vero Pontifice eodem Joanne XXIII., in ipſo ſui initio certe legitimum & œcumenicum fuit: *quod primum.* Porro Patres ejus Concilii, in Seſſ. IV. & V. promulgantes decreta ſuperius (l. cit. nn. 5. & 6.) relata, & in Seſſ. X. omnino deponentes Joannem XXIII., id eſt, paris ſaltem poteſtatis exercitio cum Piſano Concilio actu fungentes, ſine dubio Concilium Piſanum in deponendis Gregorio XII. & Benedicto XIII. legitime poteſtate uſum credere, & pro certo ſupponere, ac proinde Joannem XXIII. pro certo & indubitato Pontifice habere debuerunt: quodſi enim Piſani judicium invalidum eſſe vel ſuſpicarentur; quo pacto ſimile ſibi prorſus in cauſſa ſimili judicium circa Benedictum XIII. arrogare potuiſſent; quem, abdicato jam a Gregorio XII. Papatu, ſua ſententia de novo eodem dejicere? *quod alterum.*

Ne-

* *Neque dicas*: Patres Concilii Conſtantienſis Joannem XXIII. pro certo Pontifice nequaquam habuiſſe. Nam 1.) Cardinalis Raguſinus Gregorii XII. Orator poſt Seſſionem I. jam præſidente Joanne XXIII. celebratam habitu Cardinalitio admiſſus eſt ad Concilium, reluctante licet Joanne tunc adhuc præſente. 2.) Cum inter Seſſionem I. ac III. ſpargerentur libelli, auctoritatem Joannis XXIII. elevantes, eisque alius quis auctor refutationem oppoſuiſſet, qua *hæreſis* poſtulabat illum, qui *indubitatum Pontificem, & nulla hæreſi infectum* (qualem ſcilicet auctor hujus ſcripti ſupponebat Joannem eſſe) *ad cedendum cogi poſſe dixiſſet*: huic *Petrus de Alliaco* Epiſcopus Cameracenſis, qui ipſe a Joanne XXIII. purpuram acceperat, aliud ſcriptum præſente adhuc Joanne Papa oppoſuit, in quo tenebat: *licet Concilium Piſanum fuerit legitime celebratum, & duo olim contendentes de Papatu juſte & canonice condemnati fuerint; - - - prout hæc tenet obedientia Domini noſtri Papæ Joannis XXIII.; tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium; in qua opinionum diverſa & adverſa veritate non ſunt minores difficultates juris & facti, quam ante Concilium Piſanum erat de juſtitia duorum contendentium.* 3.) In Seſſione XIV. poſt depoſitum jam Joannem XXIII. adhuc nova convocatio & confirmatio Concilii ut Oecumenici a *Gregorio XII.* per Cardinalem Raguſinum facienda admittitur: contra Joannes XXIII. mox inde a Seſſione I. ad poſtulata Oratoris prædicti a Gregorio ſubmiſſi a præſidentia Concilii, imo & ab arcanis congreſſibus excluditur; imo etiam ab hoc convocatum eſſe Concilium porro tacetur. *Verum reſpondeo ad* 1.) cum Gregorio XII. adhuc pars Eccleſiæ non ſpernenda adhæreret; bonum univerſalis Eccleſiæ & pax communis id genus œconomiam & prudentem conceſſionem, nulli præjudicio in rei ſubſtantia futuram, utique perſuadebat. *Ad* 2.) Privatorum Doctorum aſſerta & diſputationes ſenſum Epiſcoporum definitive in Concilio judicantium determinare non poſſunt, ſæpeque factum in Conciliis, ut ante definitionem res deinde abſolute deciſa a con-

a conſultantibus Theologis in dubium & diſputationem vocaretur. *Ad* 3.) Poterat etiam illa Oeconomia eo facilius adhiberi, quod Procuratores Gregorii palam profiterentur, ſe ſimul *ad authorizandum Concilium & cedendum Papatui nomine Gregorii* miſſos ab iſto adeſſe. Interim jam Seſſ. XII. Patres Joannem XXIII. deponentes, ſimul ſolenni decreto cautum voluere, nequis omnino ex tribus contendentibus de Papatu Concilii ſententia eligeretur. Ceterum quod ad eorundem Oratorum Gregorii poſtulata Joannem a præſidentia Concilii arcuerint Patres; prudentia & jus ipſum ſuadebat; cum *judicio* veluti *reviſorio* de cauſſa in Piſano jam deciſa ob communis pacis & unionis partium reducendæ ſtudium judicaturi, utique ad præſidendum admittere Joannem non poterant; quippe de quo ipſo, ceu parte litigante & dubia in reviſorio ſaltem judicio adhuc pro tali hypothetice aſſumenda, judicaturi eſſent: qua ſine cautela pars adverſa nunquam etiam hoc judicium eſſet acceptatura pro legitimo.

* * Ceterum res reipſa hoc modo accidit. Patres omnes peſſima Joannis XXIII. fama, notoriis criminibus, & nefandis moribus offenſi, intelligebant, his ipſis adverſæ utriusque partis, Gregorio XII. & Benedicto XIII. adhærentis, factiones confirmari; nec aliter conciliari unionem poſſe, niſi Joanne quoque Papatu cedente, aut reliqui duo exemplo ad ſimilem ceſſionem, quam ſub id genus conditione ſæpius promiſerant, moverentur, aut ſaltem in caſu denegatæ imitationis populi ipſis adhærentes a ſequela eorum abducerentur. *Primo* itaque amicis ſuaſionibus Joannem ad promittendam ceſſionem invitant. *Deinde* jurata iſta promiſſione obtenta, urgent, ut procuratores conſtituat cum plena poteſtate ceſſionis quovis tempore ad arbitrium Concilii actu ipſius nomine faciendæ. Cum hoc poſtulato territus Joannes fugeret; amiſſa ſpe per viam ceſſionis ſpontaneæ contendentium unionem Eccleſiæ obtinendi, & reliquos duos pro jam alioquin Piſani Concilii ſententia depoſi-

tis habentes, alia remedia circumſpiciunt. Gerſon inprimis Cancellarius Pariſinus oratione poſt diſceſſum Joannis habita Patrum animos accendit, quæſtionem de ſuperioritate Concilii ſupra Pontificem, & de poteſtate *certum* etiam *Pontificem* deponendi affirmando propugnans: de quo ipſo poſtea apud Regis Galliæ Oratores Joannes XXIII. conqueſtus eſt. Hujus primus effectus fuit celebratio Seſſionis III.; de qua ſupra in hiſtoria n. 4.; deinde vero etiam decreta Seſſionis IV. & V.; de quibus porro dicenda ſententia mihi ſupereſt.

271.

V. *Tam decreta Seſſione IV. edita, omiſſis particulis* AD FIDEM, ET AD REFORMATIONEM ECCLESIÆ IN CAPITE ET MEMBRIS, *quam ſententia depoſitionis Joannis XXIII., in Seſſione X. in eundem lata, omnino pro legitimis & validis certo habenda ſunt.* Præciſis enim illis particulis, Seſſionis IV. decreta communi conſenſu quoad reliquum tenorem, quo actu promulgata ſunt, ab univerſis Patribus præſentibus probata & concluſa ſunt; ut ex hiſtoria ſuperius recitata n. 5. patet. Porro ſuppoſita veritate ac legitima auctoritate Concilii Piſani in pari cauſſa (269.) dubitari nequit, Concilio Conſtantienſi ſemel rite convocato, etiam poſt diſceſſum Joannis XXIII. in *judicio reviſorio* ejusdem cauſſæ, quod ſumma Eccleſiæ neceſſitas plane expoſcebat, parem ſaltem legitimam auctoritatem ac poteſtatem competiiſſe, quæ Piſano competebat: ac proinde declarare hanc ſuam poteſtatem ſine dubio ſolenni decreto Seſſionis IVtæ potuit: *quod primum.* Porro ſi ponas, ſententiam depoſitionis, ab eodem Concilio latam, ante ſpontaneam Joannis ceſſionem fuiſſe per ſe invalidam, admittere debes, fieri poſſe, ut Eccleſia Primati ſuo ſubjecta, & per corpus Epiſcoporum in generali horum Synodo repræſentata, verum ſuum Caput

put & Primatem ſolenni quodam oraculo non recognoſcat, & generali ſchiſmate ſe ab eo divellat: quod cum abſonum plane ſit (140.); de valore illius depoſitionis ſententiæ a Conſtantienſi Concilio in Joannem latæ dubitari non poteſt: *quod alterum.*

* *Diçes circa primum:* diſparitatem eſſe circa Piſanum & Conſtantienſe Concilium in eo, quod illud inter dubios Pontifices judicarit; iſtud de Joanne, quem Patres Conſtantienſes tunc congregati, ceu ipſius obedientiæ jam antea addicti, omnes pro certo habebant, & habere debebant (270.). Atqui *Papa certus* vel ipſa Conſtantienſi Synodo ante Martini electionem id fatente (in hiſtor. ſupra n. 8.) judicio Concilii *ligari non poteſt. Reſp. nego maj. & min.* Piſanum non curavit, ut examinatis utriusque electionis fundamentis certitudinem acquireret de vero ex duobus Pontifice: imo Patres Piſani, qui prius Gregorio XII. adhæſerant, certi eſſe poterant de ipſius vero jure. Nihilominus cum ambo Synodi ipſorum judicium ſubire ſpreto communi bono & neceſſitate Eccleſiæ contumaciter detrectarent, certa & irrefragabili ſententia (269.) Papatu ambos dejecere. Porro eadem ſine dubio poteſtas Concilio Conſtantienſi in *judicio reviſorio* ejusdem cauſſæ competebat, & quoad hoc præciſe judicium eidem æque Joannes XXIII., etſi pro *certo Pontifice* ab eo neceſſario habendus, ſubjiciebatur. Cum ergo etiam ipſe, inſuperhabito licet juramento ſuo ac promiſſione ſolenni, illi ſubjicere ſe contumaciter detrectaret; Synodus Conſtantienſis pari in ipſum poteſtate & pollebat, & recte uſa eſt, atque Piſana in reliquos duos. Unde etiam in depoſitonis ſententia, in Seſſ. XII. in Joannem promulgata, haud alias cauſſas Patres reipſa obtenderunt; quam Joannis *clandeſtinum e Concilio receſſum, pacis & unionis Eccleſiæ turbativum, ſchiſmatis inveterati nutritivum, a voto, promiſſione, & juramento, per ipſum Deo & Eccleſiæ præſtito deviativum:* quo ſolo in capite videlicet idem Con-

cilium reipſa in Seſſ. IV. definierat, etiam Papam ſuo judicio ſubjici. Cum idem contra ante Martini electionem longe in alio caſu Papam certum ligari poſſe (extra Seſſionem tamen ſolennem) negarit, videlicet in eo, ut ante coronationem ſuam in Concilio ipſo generali curaret fieri reformationem ſui & Eccleſiæ.

* * *Dices circa alterum:* Concilium Conſtantienſe ante acceſſionem duarum reliquarum obedientiarum, Gregorii & Benedicti, non fuiſſe generale: ergo ipſius ſententiam in Joannem ut certum Pontificem nec validam, nec paris cum Piſano auctoritatis fuiſſe. *Reſp.* Suppoſito ſemel, quod Concilium Piſanum fuerit generale & legitimum Concilium (id quod negari non poteſt; niſi teneas, nullum fuiſſe tunc in Eccleſia Chriſti remedium ſchiſma finiendi, duobus competitoribus ſponte Papatu non cedentibus) negari non poteſt, ejus judicium fuiſſe legitimum (269 not.). Hoc autem poſito ad id, ut Conſtantienſe Concilium eſſet generale & œcumenicum in ordine ad cauſſam, de qua agitur, alio non erat opus, quam ut convocatio ejus eſſet generalis, libero cuique etiam adverſæ partis Epiſcopo patente acceſſu. Atqui is erat cuique permiſſus, vel ipſis Oratoribus Gregorii XII. inde ab initio Concilii; & poſtea etiam toti obedientiæ utriusque competitoris ſine obice conceſſus eſt; ſi modo Concilio ſe velle ſubjici profiterentur. Quod autem nova convocatio Gregorio XII. in Seſſione XIV. ante ceſſionem permiſſa fuerit, œconomia prudens fuit ad conciliandos etiam errantes opportuniſſima. Denique ſi erraſſe Concilium Conſtantienſe in ea ſententia ponis, qua Joannem Papatus expertem declaravit; neceſſe eſt fatearis univerſam Eccleſiam in diffitendo vero Capite ſuo erraſſe. Errarunt enim Patres illi, qui ſententiam tulere, & præter illos etiam erravit obedientia utraque, Gregorii XII., & Benedicti XIII.; quæ neutra Joannem pro Papa agnovit. Atqui hoc manifeſto abſurdum eſt.

272.

VI. *Univerſe itaque in caſu ſchismatis uterque Papa judicio Eccleſiæ, per Epiſcopos in Concilio generali congregatos de potiore alterius jure judicantis, ſe ſubjicere tenetur: quod ni faciat; utcunque bona alterius contendentium de Papatu cauſſa eſſe videatur, uterque Epiſcoporum conſentiente judicio dejici de Papatu poteſt.* Sequitur ex præcedentibus: imo ex ipſo fine ultimo ſocietatis cujusque; vi cujus communis boni ultimum periculum expoſcit, ut cujuscunque ſingularis ſocii jura pro nullis habeantur, ſi ea immolari communi ſaluti neceſſe ſit.

273.

VII. *Decreta Seſſione V. Concilii Conſtantienſis edita ſic conciliariter definita non ſunt, ut pro dogmatica definitione Oecumenici Concilii haberi poſſint, qua ſuperior iſtius jurisdictio ſupra Primatem Eccleſiæ etiam extra caſum hæreſis & ſchismatis, vel in cauſſis fidei, vel in aliis, deciſa fuerit.* Nam 1.) Concilium Conſtantienſe nec iſto fine & ad hanc cauſſam examinandam convocatum fuerat, ſed ſolum ad ſchisma finiendum, & eo finito ad procurandam *ſub* ipſa auctoritate & *præſidio certi Papæ* reformationem Eccleſiæ; nec etiam iſtam quæſtionem examinavit, niſi quatenus ſuperior aliqua auctoritas Concilii relate ad præſens ſchisma tollendum aſſerebatur; nec enim ullo documento conſtat, Gerſoni generalem ſuperioritatem Concilii ſupra quemvis Papam aſſerenti Patres unanimi aliquo conſenſu adſtipulatos fuiſſe. 2.) Certum eſt, nequaquam fuiſſe mentem Concilii in edendis illis Seſſionis V. decretis edere definitionem fidei; quia nullis plane argumentis Scripturæ aut traditionis uſi Patres ſunt, ac ne quidem in examine ad talia eos articulos exegere; quod tamen ab ullo Concilio in definitione fidei omiſſum eſſe nullum

plane exemplum extat. 3.) Patres non ſunt auſi ea decreta nominibus decretorum fidei efferre, nec conſuetum anathema dicere ea inficiantibus, ſed profeſſi ſunt ſe ea edere *per modum Conſtitutionum Synodalium*, nec aliud decrevere in eum, qui *ſtatutis hujus & cujuscunque alterius Concilii generalis ſuper præmiſſis obedire pertinaciter contempſerit*, quam *ut condignæ pœnitentiæ, niſi reſipuerit, ſubjiciatur*: cum ex adverſo decretis Oecumenici Concilii in fidei materia refractarii ſemper ut hæretici ab ipſa Eccleſia abſcindantur. 4.) Nullo conſenſu unanimi, nec votis rite collectis in publica Seſſione, ſed refragantibus palam non ſolum Cardinalibus, a deliberatione prævia jam excluſis, verum etiam Oratoribus regis Franciæ, inter quos Dux Bavariæ erat, ac proinde nequaquam conciliari concluſo, decreta illa in ea Seſſione edita ſunt. Vide ſupra in hiſtor. n. 6. 5.) Aperte contra hæc decreta egere ipſi Patres Concilii poſtea, cum de electione novi Pontificis deliberantes, omnes Galli, Hiſpani, & Angli Epiſcopi Germanis adverſarentur, dicentes, *Papam electum ligari non poſſe*, id eſt, obligari, ut ante omnem adminiſtrationem Eccleſiæ reformationi Eccleſiæ incumberet. Vide ibid. n. 8. Contra ſua item propria decreta egere Patres, cum Martino V. Papæ, neganti omno jus *appellandi a Papa in cauſſis fidei*, non contradixere. Ibid. n. 9. 6.) Deinde modus ipſe concludendi in hoc Concilio tam inſolens erat ac novus (Epiſcopis in quatuor nationes ita diviſis, ut quævis natio non niſi unum votum ferret; quod ipſum ex majore numero votorum ab Epiſcopis ejusdem nationis reſultans formabatur) ut plane, niſi unanimi conſenſu aliquo in ſpeciali concluſo extante, conciliaris definitio judicum, pari inter ſe auctoritate viritim vota ſua ferentium, exiſtere non poſſet. Vide ibid. n. 10. Sic Anglica natio non niſi

20 ca-

20 capita numerabat; & Cardinales 16 tamen a peculiari voto excludebantur. Pone jam duodecim ex Anglis conſentiens in ea decreta edenda ſuffragium tuliſſe; octo Angli ſedecim Cardinalibus juncti exorto numero viginti quatuor conſentientium votorum, utique prævalere potuiſſent; ſi liberis viritim ſuffragiis facta deciſio fuiſſet. 7.) Quodſi definitiva Concilii ſententia erat tanquam de dogmate fidei: cur deinde toleravit ſingulare ſequens Martini V. factum. Addiderat enim Concilium ad propoſitionem Wicleffi XLI., *non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias*, ſequentem cenſuram: *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligit univerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale.* At Martinus in Conſtitutione, in qua acta Concilii contra Wicleffum, Huſſium &c. approbat, omiſſa illa expreſſione Concilii, ubi articulos proponit, de quibus interrogari jubet Wicleffianæ hæreſeos aut reos, aut ſuſpectos, Concilii propoſitionem ipſo probante Concilio in hanc commutavit: *item utrum credat, quod Papa Canonice electus, qui pro tempore fuerit, ſit ſucceſſor B. Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei.* 8.) Denique decreta hæc, eo ipſo quod conciliariter edita non ſint, nullam approbationem habuere, nec a Martino V., qui expreſſe non niſi conciliariter in eo Concilio acta approbavit (in hiſt. n. 10.), nec ab alio Romano Pontifice; quin reprobata etiam ſunt ab Eugenio IV. in ſua contra Baſileenſes Apologia. Itaque, etſi conſenſu aliquo Concilii edita fuiſſent, tamen in id genus quæſtione, quæ de lege fundamentali regiminis Eccleſiaſtici decidit, auctoritatem non haberent; cum ad Pontifices certos extra caſum ſchismatis applicarentur.

274.

Historia Concilii Baſileenſis ita ſe habet. 1.) Indixerat id *Martinus V.* quo morte ſublato indictionem repetiit ejus ſucceſſor *Eugenius IV.* habitaque Seſſio I. an. 1431. 14ta Decembris Præſide *Juliano* Apoſtolico legato. Aſt quarto poſt hanc Seſſionem die Eugenius IV. decreto ex ſententia ſacri Cardinalium ſenatus edito auctoritate Apoſtolica Concilium diſſolvit, legatum ſuum revocat, novamque Synodum poſt annum unum cum dimidio *Bononiam* indicit, ſequentibus potiſſimum ex cauſſis; quod nempe Græci duce Imperatore ſuo unionem cum latina Eccleſia expeterent in generali Concilio faciendam; *Baſileam* illis ob diſtantiam a mari incommodam eſſe, ſed eos ex tribus Italiæ urbibus eis oblatis Bononiam elegiſſe: tam fauſtam occaſionem revocandæ ad unionem orientalis totius Eccleſiæ denique prætermittendam non eſſe.

2.) Decreti iſtius rumore Baſileam perlato, antequam id promulgaretur in Concilio, an. 1432. 25. Februarii Patres ibidem congregati Seſſionem II. celebrarunt, in eaque, abſente legato Apoſtolico (qui viſo exemplo decreti diſſolutionis jam 8va Februarii a præſidio Concilii ſe ſubduxerat) decreta Seſſ. V. Conſtantienſis confirmarunt, ac declararunt, *Synodum Baſileenſem rite convocatam, & inchoatam, nulla, ne Papali quidem auctoritate, diſſolvi poſſe, nec alio avocari, ſine conſenſu ipſius Synodi.* In Seſſ. III. celebrata 29. Aprilis ejusdem anni lecto diſſolutionis Pontificio decreto, idem declaratur irritum, & de novo confirmantur decreta Conſtantienſis Seſſ. IV. & V. Inde contra Eugenium IV. proceſſus inſtituitur, idemque denique in Seſſ. XII. an. 1433. ſuſpenſus ab adminiſtratione Papatus declaratur, niſi intra 60. dies bulla nova edita reſipiſcat.

3.) In

3.) In Seſſ. XIV. an. 1433. 7. Novemb. in ipſa Synodo confecta & præſcripta ad verbum eſt bulla, cujus initium *Dudum ſacram*, quam Eugenius, cum Concilio ſe reconciliaturus, promulgare deberet; in qua declarabatur, Concilium a die inchoationis legitime continuatum fuiſſe, diſſolutionem irritam eſſe &c. Quæ bulla reipſa edita eſt ab Eugenio IV. an. 1434. 1. Auguſti; *ita tamen*, ut Eugenius loquitur, *quod omnia & ſingula contra perſonam & auctoritatem noſtram & Apoſtolicæ Sedis in dicto Concilio facta & geſta per dictum Concilium prius omnino tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur.* Decumbebat autem eo tempore, quo hanc, & alteram 15ta Decembris, revocatoriam bullam edebat, Eugenius IV. gravi ex infirmitate; refertque Cardinalis Turrecremata, (Summ. de Eccleſ. L. II. c. 10.) ſe a pluribus magnæ probitatis & gravitatis viris accepiſſe: *quod præfatæ bullæ magis extortæ fuerint minis, quam de mente Eugenii emanaverint: nam, ut fertur, Dominii Venetorum tunc Orator & aliqui Cardinales, tunc apud eum præſentes, timentes futurum magnum ſcandalum in Eccleſia, minati ſunt Eugenio, quod niſi bullas illas adhæſionis (ad Concilium) concederet, recedentes ipſum ſolum relinquerent. Unde præfato Domino in lecto decumbente, præfati Domini feruntur bullas illas taliter qualiter expediviſſe, & miſiſſe Baſileam.* Ipſe vero *Eugenius* poſtmodum Florentiæ in diſputatione publica, ut iterum refert Turrecremata oculatus iſtius teſtis, Cardinali Juliano, bullas illas revocatorias in favorem Baſileenſium alleganti, reſpondit his verbis: *Nos quidem bene progreſſum Concilii approbavimus, volentes, ut procederet, ut inceperat; non tamen approbavimus ejus decreta.*

4.) Seſſione ſequente XVI. 5. Febr. an. 1335. allata eſt bulla revocatoria, & lecta ac approbata a Concilio: ex quo tempore, cum pauci eo usque

Epiſcopi affuiſſent Baſileæ, plures advenere. Tum vero in Seſſ. XVIII. celebrata 26. Maji centum circiter Prælatis Baſileæ præſentibus renovata ſunt duo Seſſ. IV. & V. Conſtantienſis decreta. His quidem ſubſcripſere nomine privato Legati Pontificii, ſed, iterum teſte Turrecremata, nec affuere Seſſioni, atque etiam *ut legati* contra ea proteſtati ſunt. Quæ in reliquis Baſileenſis Concilii Seſſionibus acta ſunt, ad præſens argumentum nihil attinent. In Seſſione XXV. an. 1437. 7a Maji in duas denique partes ſciſſum eſt; quarum una ducibus legatis Apoſtolicis & majore Epiſcoporum numero pro futuri Concilii loco Græcis concedendo definivit *Florentiam* vel *Utinam*, altera numero quidem major, ſed ex ſecundi ordinis Sacerdotibus fere conſtans, duce Cardinale Ludovico Arelatenſi decreto conſtituit pro eodem Concilio *Baſileam*, *Avenionem*, aut urbem in Sabaudia ſitam. *Eugenius* priori parti edita bulla acceſſit an. 1437. 29. Maji. Exinde Synodus in duas partes ſciſſa, denique abiit in ſchiſma, novo Antipapa *Felice V.* poſt depoſitum Eugenium electo: qui tamen abdicato Pontificatu an. 1449. ſe ſponte ſubjecit *Nicolao V.* Eugenii ſucceſſori.

275.

Historia Concilii. Florentini., 1.) Cœpit iſta Synodus *Ferrariæ* ex decreto Eugenii IV. juxta atque ſanioris partis Patrum Baſileenſium haberi 9. Aprilis an. 1438. Aderant Patriarcha Conſtantinopolitanus, & omnium reliquorum Patriarcharum orientis Vicarii, Epiſcopi ex Oriente & Occidente. Poſt ſexdecim ſeſſiones peſte Ferrariam devaſtante Eugenius IV. Synodi Patribus conſentientibus Concilium Florentiam transtulit; ubi novem adhuc Seſſionibus habitis, & facta Græcorum cum Latina Eccleſia unione abſolutum eſt. Jam

Jam vero in ipſo *Decreto Unionis* ex integro dogmatico, & conſentientibus græcis & latinis Patribus edito, ſic habetur: *Definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere; & ipſi in B Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi* UNIVERSALEM ECCLESIAM *a Domino Noſtro Jeſu Chriſto* PLENAM POTESTATEM *traditam eſſe; quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus, continetur.*

* Tria *opponunt* auctoritati hujus definitionis defenſores ſententiæ de ſuprema in Eccleſia Conciliorum Oecumenicorum auctoritate: 1.) pro Oecumenica non haberi Synodum Florentinam a Gallis: 2.) in ea definitione ſolum intelligi, Romanum Pontificem in ſingulas particulares Eccleſias habere plenam poteſtatem; non item in congregatam in generali Synodo: 3.) ſub finem conformiter græco textui legendum eſſe, *ſecundum modum, qui & &c. &c.*; ita, ut poteſtatem ſuam Pontifex non niſi ſecundum præſcriptum SS. Canonum & Conciliorum exercere teneatur. *Reſp. ad* 1.) hodie communiter pro tali etiam in Gallia habetur: nec ratio ulla eſt, cur non habeatur pro tali; cum ſit auctoritate certi Pontificis, ceu Primatis Eccleſiæ, una cum conſenſu majoris partis Epiſcoporum antea Baſileæ congregatorum, convocata: cum liber ad eam acceſſus patuerit omnibus Epiſcopis: cum affuerint eidem actu multi Epiſcopi ex Occidente & Oriente. Denique ſi dependet a libero arbitrio acceptatio Concilii generalis, etiam fidei dogmata proponentis, ac de cetero omnes notas Concilii Oecumenici habentis; non erit in eo ſupremæ poteſtatis auctoritas; etſi cum Primate conjunctum ſit. *Ad* 2.) Concilii verba exprimunt Primati *plenam poteſtatem, ab ipſo Chriſto,* in

in univerſalem Eccleſiam fuiſſe traditam; atque illa in Synodo Patrum præſentium profecto nemo de id genus diſtinctione inter univerſalem Eccleſiam, quatenus ea ex Epiſcopis diſperſis, & quatenus ex eisdem in Synodo generali congregatis conſtat, vel ſomniaverat; ſed diſtinctio hæc primum noſtro ſeculo III. Boſſueto incidit; dum advertens, Florentino dignitatem Oecumenicæ Synodi nullo fundamento denegari, denique diſtinctione illa excogitata effugium ſibi aperuit. *Ad* 3.) Inprimis falſum eſt, Græcum textum pro originali accipiendum eſſe; cum potius latine primum ab Occidentalibus Patribus & ipſo Papa in eo Concilio præſentibus conceptum *Decretum* illud *unionis* fuerit, & in uſum Græcorum ex latino in græcum verſione translatum; vel ſaltem pro æque originali latina ejus enuntiatio habenda eſt. Atqui in Archetypis Florentini Decreti exemplaribus, quæ adhuc ſuperſunt Eugenii & Michaelis Imperatoris ſignis munita, quorum quinque Mamachius in Differt. de Concil. Florent. numerat, decretum legitur, ut ſupra expreſſum a me eſt. Deinde in græco textu ita legitur: *καθον τροπον και εν τοις πρακτικοις* &c. &c., id eſt, *ſecundum modum & in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in SS. Canonibus, contentum.* Invenit illam explicationem primus Petrus de Marca (quem poſtea ſecutus eſt Natalis Alexander, & hunc alii) ductus eo errore, quod exiſtimaret, verba illa, *quemadmodum etiam* in latinum Florentini Decretum *Bartholomæi Abrami* Cretenſis, cum latinam ejus ex Græco verſionem ederet, aut hallucinatione, aut incuria irrepſiſſe. Atqui latina exempla Archetypa æque ſunt, atque extant adhuc prorſus autographa, ſicuti græca: ut hodie moveri iſta objectio a prudente nemine poſſit.

276.

I. *Baſileenſia decreta, Seſſionis V. Conſtantienſis decretis conſonantia, nunquam ab ullo Romano Pontifice probata; quin imo ab Eugenio IV. in Apologia*

logia contra Baſileenſes edita aperte reprobata ſunt (274. n. 2. & 3.)

II. *Eadem decreta Baſileenſia auctoritatem legitimam non habent.* Niſi enim aliunde poteſtas legitima Conciliis, etiam a Papa diſcordia quadam ſejunctis, a Chriſto ad judicandum ultimato judicio de rebus fidei, & ad obligandum ipſum Papam, conceſſa eſſe oſtendatur; decretorum illorum editio potius alienæ poteſtatis arrogatio, & ſchiſmatis concitatio fuit. Atqui nullo ex argumento divina id genus poteſtatis ſupremæ Conciliis ejusmodi in ipſum Primatem conceſſæ inſtitutio probari poteſt; ut ex huc usque dictis conſtat. Ergo &c. &c.

III. *In Concilio Florentino Oecumenico ita clare ſuprema Primatis jurisdictio etiam ſupra Concilia definita pæne per trecentos annos videbatur, ut idcirco præciſe a maxima parte Galliæ idem pro œcumenico non reciperetur.*

IV. *Unde, quantacunque Baſileenſibus decretis, imo & Conſtantienſibus, auctoritas tribuatur; ad ſummum dubium reddi poteſt, an non ſuperior quædam Pontifice Romano auctoritas Concilio Generali divina inſtitutione inſit.*

V. *Cum ergo incerta poteſtas in effectu ipſo obligare non poſſit; Primatis vero Eccleſiæ ſuperior poteſtas in particulares Eccleſias & Epiſcopos per orbem diſperſos certa ſit juxta omnes probe Catholicos: certum videtur, in Pontificem Romanum a Concilio quocunque generali extra caſum ſchiſmatis, aut notoriæ hæreſeos, jurisdictionem, aut vim coactivam, recte exerceri nullatenus poſſe:* 2.) *ac proinde ſemper in Concilio ſtandum quoque eo concluſo eſt, quod in cauſſa fidei Romanus Pontifex adſtipulante ſibi quantocunque Epiſcoporum numero facit.*

* Sed ſupereſt in adverſam partem aperte inclinans *SS. Cypriani & Auguſtini auctoritas;* quorum neuter *in quæſtione de iterando baptiſmo ab hæreticis collato*, Auguſtinus vero nec in cauſſa *de legitima ordinatione Cæciliani Carthaginienſis* Epiſcopi, ſupremam in Romano Pontifice, ſed in ſolo *Concilio plenario* agnovit. *Reſpondeo* itaque, lectis SS. Cypriani & Auguſtini textibus, quos recitat Launojus T. V. P. II. L. V. ep. 1., plane mihi videri, Auguſtinum juxta ac Cyprianum irrefragabilem Romani Primatis auctoritatem in illis prædictis cauſſis dijudicandis non agnoviſſe. Nam 1.) *S. Cyprianus* ſæpe etiam erroris contra veritatem in Scripturis contentam S. Stephanum Papam accuſat, nec ſe obligatum eſſe profitetur, ut in ea quæſtione ſe alieno arbitrio Papæ ſubjiciat; cum quisque Epiſcopus *propriæ Eccleſiæ liberum arbitrium habeat*, & plurimi Epiſcopi a ſua parte ſtarent. Interim S. Cyprianus ſolum videtur in ea perſuaſione fuiſſe, quod, cum iteratio baptiſmi hæreticorum, uti quidem ipſe putabat, ad *res variabilis diſciplinæ* pertineret; quæ nulla generali lege cum conſenſu Epiſcoporum definita eſſet; ipſe & ceteri Epiſcopi magno numero ſibi adhærentes *mera lege humana Eccleſiaſtica ſolius Romani Pontificis* inviti obligari non poſſent ad mutandam Eccleſiarum ſuarum diſciplinam jam antea introductam. Verum quidem eſt, Cyprianum uti etiam argumentis ex Scriptura, ſed non ad iterationem baptiſmi, ceu dogma neceſſarium comprobandam, ſed ad legitimam rationem conſuetudinis Eccleſiæ ſuæ afferendam: etſi ſubinde diſputationis æſtu ultra propoſitum proſilire videatur. 2.) *S Auguſtinus* vero aperte excuſat S. Cyprianum, non quidem ab errore circa quæſtionem fidei de valore baptiſmi hæreticorum, ſed a culpa graviore in eo admiſſa, quod circa eam quæſtionem ſuo & ſodalium judicio potius ſteterit, quam S. Stephani Papæ; & excuſationem ſuam conſtanter fundat in duplici argumento; nimirum *primo*, quod illa quæſtio fuerit obſcura adhuc, & a S. Cypriano ſteterint gravia argumenta ex SS. Scripturis, quæ difficillime poterant ſolvi: *deinde* quod nullo plenario

in

in Concilio adhuc fuerit deciſa. Quæſo! cur nunquam dicit Auguſtinus, ideo excuſandum Cyprianum; quia Stephanus Papa cum nullo Epiſcoporum quamlibet paucorum Concilio quæſtionem iſtam ultimata ſententia decidit; trigeſies vero illam excuſationem affert; quod *nullo in plenario Concilio* quæſtio deciſa fuerit? 3.) In quæſtione de ordinatione Cæciliani contra Donatiſtas ſcribens *Auguſtinus* quam ſæpiſſime repetit, etiam poſt ſententiam a *S. Melchiade* Papa in Concilio Romano latam adhuc ſuperfuiſſe Donatiſtis Concilii plenarii judicium, ad quod cauſſam illam deferrent, *ſi putarent, Romanos illos non bonos judices*; & in eo *cum ipſis judicibus illis cauſſam agitare potuiſſe: ecce! putemus*, inquit Ep. 162., *illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuiſſe judices: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium; ubi etiam cum judicibus ipſis cauſſa poſſet agitari, ut, ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* 4.) *S. Auguſtinus* adhuc ſub vitæ finem in L. I. Retract. c. 21. dubitavit, utrum Matth XVI. ſub nomine *petræ* & *fundamenti* Eccleſiæ Petrus, an vero ipſe Chriſtus, intelligi debeat; ut ſupra memoravi §. 266. n. 1.

** Interim & illud fatendum exiſtimo, Cyprianum ſaltem locutum fuiſſe pugnantia; cum alias toties affirmat, unitatis principium eſſe S. Petrum ejusque ſucceſſorem (247. not. 3. 155. n. 3. 157. n. 2.). Cenſeo itaque, ex occaſione illius diſſidii de baptiſmo hæreticorum, ob grandem S. Cypriani auctoritatem & maxima merita, in Eccleſia Africana aliquam a Sede Romana alienationem & frigus quoddam relictum fuiſſe; id quod Patres Africani prodidere vel in ipſa cauſſa Apiarii; de qua ſupra dictum. Interim id prævalere non potuit, quo minus Africana Eccleſia ſubſtantiam dogmatis Catholici & Primatum juriſdictionis in Romano Pontifice agnoſceret: id quod ſane aperte prodidit; cum, nondum licet accepto Codice Sardicenſium Canonum, tamen in cauſſa illa appellationis Zoſimi Papæ conſtantiæ ceſſit.

*** At,

* * * At, *inquiunt* denique *ratione* quoque pugnantes adverſæ ſententiæ patroni : an ergo Primatem Eccleſiæ, ſeu peſſimis moribus ſcandalo publico futurum Eccleſiæ, ſeu perverſis & injuſtis ſententiis publicis ſævientem in innocentes ſeu Epiſcopos, ſeu inferiores Clericos, ſeu etiam in Principes, aut ſimplices laicos, nec compeſcere quis judex ſuperior, nec quis terrere appellatione ad iſtius tribunal poterit, ſed omnes iniquis etiam ejus judiciis ſubmittere ſe debebunt ? Nunquid enim ſaltem extra cauſſas fidei in quovis alio judicio etiam ſolennis ſententia Primatis errori & poteſtatis abuſui obnoxia eſt ? Sine dubio. Quis ergo errorem corriget ; niſi generale Epiſcoporum Concilium Papa ſuperius ſit ? *Reſpondeo ad hæc.* Si ſolis *privatis moribus* ſcandalo ſit Primas Eccleſiæ ; Epiſcopis quibusque cura pro ſuis diœceſibus incumbit, ut meliore exemplo ſuo & inſtructione effectum ſcandali a ſuo grege avertant ; Primatem autem fraterna correctione, non autem alicujus judicii ſententia, ad meliora impellant. Quam correctionem ſi non recipiat cum fructu ; ſcandalum ut plurimum intra ſolos Romani Epiſcopatus terminos liberius graſſabitur ; eritque malum utique grande Eccleſiæ, ſed non majus illo malo, quod ſequeretur ex frequenti ac diuturno ſchiſmate ; cui anſam facile dare frequens uſus jurisdictionis ſupremæ, Conciliis plenariis aſſertæ, poſſet : uti exemplum Baſileenſis Concilii docet. Et quis denique errantia Concilia Ariminenſia, Epheſina latrocinalia &c. correxerit ; ſi ſupra Primatem ſunt ? Quodſi *iniquis judiciis publicis* Primas Eccleſiæ fideles Chriſtianos lædat ; inprimis *quamdiu dubium jus eſt partium*, more omnium aliorum judiciorum ſtandum judicis ſententia eſt ; qui ſi ſupremus ſit, nec appellatio locum habet ; ſed ad ſummum precaria cauſſæ reviſio, & melioris informationis prece extorta receptio. *Si aperta ſententiæ injuria eſt* ; *primo* ejus mere *temporales effectus* impedire facile & pro jure ſuo principes potuerunt : *deinde*, quod *ſpirituales* ejus effectus attinet : cum ſententia falſa & injuſta univerſe careat morali poteſtate ; nec obligare ſaltem Epiſcopos

pro ſuis diœceſibus ad noxios permittendos effectus inde in Eccleſias ſuas manaturos poteſt. Proinde Epiſcopis pro immediata ſua in iſtas jurisdictione incumbet ab illis damnis & injuriis fideles ſubditos ſuos defendere, atque etiam vi officii errantem Cepham, ſalva debita reverentia, corripere & admonere, Principum etiam auxilio ad temporales injuſtæ Pontificiæ ſententiæ effectus impediendos invocato & excitato. *Quodſi iniqua aperte ſententia quemquam ex ipſis Epiſcopis lædat;* rurſus talis Epiſcopus omnibus modis impedire debet, ne inde etiam damnum in gregem ſuum redundet; idemque jus ſuum, ſi poſſit, auxilio aliorum ejusdem provinciæ & regni Epiſcoporum, quin & Principis, defendere poterit, & ad æquius alterum hujus, vel ſucceſſoris Romani Pontificis, judicium provocare. Cui quidem caſui exemplo ſervire ſors *S: Athanaſii* poteſt; qui, ſi revera a *Liberio* Papa de falſis criminibus damnatus, & Epiſcopatu dejectus eſt, Arianis urgentibus, & Arianum Epiſcopum eidem ſufficere contendentibus (etſi multo veriſimilius recentiores multi poſt Stiltingum hagiographum Antuerpienſem gravibus ex argumentis id inficientur) profecto ea ſententia ad Epiſcopatum Ariano Epiſcopo relinquendum obligari non potuit. Memento etiam hiſtoriæ de *Formoſo* Papa; quid Epiſcopis ab ipſo ordinatis poſt ipſius mortem a non nullis ſucceſſoribus ipſius contigerit, & quo pacto contra injurias a Pontificibus ſibi illatas ſe defenderint.

**** *Neque dicas*: Si Papa errare ſine graviore detrimento poteſt in aliis mere œconomicis factis, ad officii tamen ſui adminiſtrationem pertinentibus; etiam errare in fide poterit. *Nam* doctrina Papæ, publice cum aliquo Epiſcoporum numero ſibi adhærente docentis, regula credendi & agendi ceteris omnibus Chriſtianis eſt; non item facta ejusdem qua Papæ aliis regulæ ſervire debent. Aliud eſt, quod etiam Papa privata ſua ſententia in *hæreſin* incidere poſſit; id eſt, in errorem jam a ſuis prædeceſſoribus ſolenniter damnatum: aſt tunc, ſi illum manifeſtet, eo ipſo facto

monſtrat, ſe infallibilem Primatis & Eccleſiæ auctoritatem non agnoſcere; ac proinde ſe ipſum a viſibili Eccleſiæ Catholicæ Societate ſegregat; atque adeo a Primatu decidit, & decidiſſe declarari a Concilio generali Epiſcoporum poteſt; cujus eſt verum caput recognoſcere, & falſum reprobare.

ARTICULUS IV.

AN ET QUALIS POTESTAS LEGISLATRIX ROMANO PONTIFICI CEU PRIMATI VI SUPREMÆ SUÆ POTESTATIS COMPETAT?

277.

Leges univerſales, quæ univerſalem Chriſti Eccleſiam obligent, ſine interventu ſupremæ poteſtatis Romani Pontificis ferri non poſſunt. Epiſcopi enim jure divino inter ſe pares ſunt, nec præter Romanum Pontificem, ceu Primatem totius Eccleſiæ alius quis eſt, cui omnes ſeu chriſtiani, ſeu Epiſcopi, ſubjecti ſint. Ergo &c. &c. *Unde quæcunque Conciliorum leges, ſeu ad fidem, ſeu ad diſciplinam mere humanam pertinentes, acceſſu & conſenſu auctoritatis Pontificiæ indigent, ut aliorum Epiſcoporum, qui ipſi Concilio non aſſuere, Eccleſias univerſe obligent.*

278.

Leges divinas, ſeu naturales, ſeu poſitivas, pro ſuprema poteſtate ſua in Eccleſia Dei (266. VII.) *authentice declarare & promulgare Romanus Pontifex poteſt cum quamlibet paucorum Epiſcoporum numero ſibi adſtipulante, ita, ut declaratio vim legis obtineat* (208. 28.).

279.

Leges univerſales mere humanas & Eccleſiaſticas circa per ſe ad ſalutem non neceſſarias, ſed mere variabilis

riabilis diſciplinæ (quales ſupra §§. 217. ſeqq. enumeratæ ſunt) *Romanus Pontifex ſine conſenſu quodam generali Epiſcoporum, expreſſo, vel tacito, ſolus primitus ferre non poteſt.* 2.) *Eo tamen accedente conſenſu generali non poſſunt leges Eccleſiaſticæ in Conciliis generalibus latæ a particulari Epiſcopo reſpui; niſi peculiares graveſque Eccleſiæ ſuæ rationes legitimæ exceptionem depoſcant;* 3.) *quas ſummo Pontifici, urgenti legis communis executionem, exponere obligabitur.* Namque poteſtas illa, qua Romanus Pontifex ſuo unius arbitrio leges mere variabilis diſciplinæ univerſis Epiſcopis imponere poſſit, *inprimis* ad unitatem Eccleſiæ Chriſtianæ (qui finis unicus & norma eſt totius poteſtatis ſupremæ Primatis §. 249.) nequaquam pertinet; quæ utique ab unius diſciplinæ ſimilitudine non pendet: *nec* probatur ex ullis Chriſti verbis; queis Petro ſuperior quædam poteſtas in ipſos Apoſtolos quidem in ordine ad exequendas leges divinas fidei & morum, & in ordine ad reliqua unitati Eccleſiæ divinitus inſtitutæ neceſſaria conceditur; ſed nihil ultra: *quin imo* excluditur plane talis poteſtas privativa illo Chriſti aperto præcepto; quo vetuit, ne etiam is, qui *major* ceteris eſſet a ſe conſtituendus inter Apoſtolos, *dominaretur* eisdem, juſſitque, ut *fiat ſicut minor*, id eſt, ut nihil in rebus novis, ſeu talibus, quæ ipſo Apoſtolorum ſeu rectorum Eccleſiæ auctoritate primum ſtatuendæ eſſent, niſi communi conſenſu ſtatueretur (164. III IV. V.), neutiquam vero a ſolo majore, imperio in reliquos Apoſtolos utente. Ergo &c. &c.; *quod primum.* Quodſi vero communis aliquis Epiſcoporum conſenſus expreſſus ſummo Pontifici adſtipuletur etiam in rebus variabilis diſciplinæ, vel ſaltem tacitus, ipſa executione a magna Epiſcoporum parte manifeſtatus; ſique ſimul Capiti Eccleſiæ æque ac ceteris ei conſentientibus numeroſis Epiſcopis res

tanti momenti ad utilitatem Eccleſiæ eſſe videatur, ut legis ſtrictæ efficacia in Eccleſia uniformiter ejus introductio urgeatur; tum profecto particularis quisque Epiſcopus, ceu qui divina lege ex officio promovere Eccleſiæ, tum univerſalis, tum ſuæ particularis, majus bonum obligatur, eadem lege divina tenetur communi coëpiſcoporum & Primatis ipſius ſententiæ & voluntati accedere, atque adeo ad novam legem etiam in ſuam particularem Eccleſiam introducendam cum illis concurrere; niſi ſpeciales rationes, vere graves & legitimæ, exceptionem in eadem ipſius particulari Eccleſia expoſtulent; quas proin ſummo Pontifici, legis communis ſtatutum urgenti, exponere pro debita ſummo Eccleſiæ Capiti & Paſtori reverentia talis Epiſcopus obligabitur: *quod alterum, atque tertium* erat.

2.) Profecto hæc ipſa, & non alia, primorum Eccleſiæ tum Patrum ſententia, tum ſeculorum praxis erat. Non aliter quam communi Apoſtolorum conſenſu, non unius S. Petri imperio, primæ mere Eccleſiaſticæ leges Act. XV. ſtatutæ ſunt; ſicuti & lex de *bigamis* & *neophytis* in Epiſcopos non ordinandis non aliter univerſe recepta eſt. Quæ leges Canonicæ primæ ſub nomine tum *Canonum*, tum *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, veniunt, etſi non niſi tertio, vel quarto ſeculo ſcripto conſignatæ & collectæ ſunt in unum aliquod *corpus primum Canonicum*, multis etiam ſpuriis interpolatum, tamen jam primis tribus ſeculis ſecundum potiſſimam partem non aliter quam ſucceſſivo Epiſcoporum, nec ubique omnes, receptæ ſunt. *Unde* ante quarti ſeculi medium, præter epiſtolas S. Cornelii Papæ ad S. Cyprianum, & S. Julii I. Papæ, nihil novarum legum continentes, nulla habemus documenta authentica, quæ de lege generali mere humana per ſolum Romanum Pontificem

ficem extra cauſſas fidei lata pro tota Eccleſia, & eo ſolo nomine communiter recepta, teſtarentur. *Quodſi* quæ ſtatuebant nova aliqui Pontifices primis illis ſeculis circa ritus & cerimonias in Sacramentis adminiſtrandis, in Sacrificio Miſſæ &c.; haud profecto pro totidem legibus, ſed ſolum regulis directricibus habebantur, ſed ad particulares Eccleſias, nunc plures, nunc pauciores, pertinere pro numero conſentientium introductioni earundem Epiſcoporum credebantur: ex quo tam diverſæ Lythurgiæ atque etiam ritus alii in Orientali & Occidentali Eccleſia, atque etiam in provinciis diverſis. *Inde quoque* factum, ut, cum *S. Victor I.* Papa *Polycraten* Epheſinum Epiſcopum cum Epiſcopis magno numero illi adhærentibus legis ſeveritate urgere vellet, ut in re ad diſciplinam variabilem pertinente Romanæ Eccleſiæ & aliarum mori ſe conformarent; S. Victor non novam legem inprimis ſua unius auctoritate, ſed jam communi Apoſtolorum conſenſu pridem conſtitutam obtenderet: qua tamen ipſa obligari ſe non credebant Aſiatici illi Epiſcopi; quod eidem legi non conſenſiſſe, ſed aliud ſtatuiſſe in ſuis Eccleſiis S. Joannem Evangeliſtam Apoſtolum ex traditione antiqua exiſtimarent. Nec probabant *S. Irenæus* aliique præcipua ſanctitate Epiſcopi; cum intellexere, *S. Victorem* legis imperio & coactione uti adverſus eos in re meræ diſciplinæ voluiſſe. *Denique S. Cypriano* in cauſſa de rebaptizandis hæreticis cum S. Stephano agitata; quam cum ad invariabilia fidei & legis divinæ dogmata haud pertinere arbitraretur, cuilibet Epiſcopo, ut in aliis variabilibus diſciplinæ regulis, nulla generaliter recepta lege adhuc præſcriptis, ſic & in eo negotio *proprium ſuæ Eccleſiæ arbitrium* competere, in Concilio Carthaginenſi III. palam aſſerere non dubitavit, toto ſat numeroſo illo Epiſcoporum Africano-

rum Concilio, nec minore Orientalium Epiſcoporum numero illi adſtipulante.

* Nimirum hoc inter *ſupremum Monarcham*, & *ſupremum Vicarium Chriſti*, ſeu Primatem Chriſtianæ Eccleſiæ intereſt, quod ille, ceu *propria poteſtate ſuprema* (34.) rempublicam quamcunque gubernans, ipſe ſenatum conſiliariorum ſuorum cum delegata a ſe poteſtate ex propriis ſuis ſubditis inſtituat; unde eſt, quod is utique iſtorum conſenſu & acceptatione ad legem ferendam nequaquam indigeat. At S. Petrus non ut Monarcha propria poteſtate imperabat Eccleſiæ, ſed ut ſupremus ſolum Vicarius & miniſter Chriſti, delegata ſibi a Chriſto poteſtate Eccleſiam regendam obtinuit; adjuncto ſibi ſenatu Apoſtolico, ita, ut Apoſtoli quidem ipſi eidem, aliqua ad ipſas Chriſti, ſupremi Monarchæ Eccleſiæ, proprias divinas leges pertinentia imperanti, obedire tenerentur; ſed non propterea liberum arbitrium accepit huic Apoſtolico ſenatui, ac per hujus membra, nempe Epiſcopos, ceu rectores Eccleſiarum immediatos, omnibus Chriſtianæ Eccleſiæ civibus, proprias leges, etiam invito illo ſenatu Apoſtolico, obtrudendi, maxime in rebus cum ſalute ipſa fidelium abſolute non connexis, ac per ſe variationi obnoxiis ſalva ſubſtantiali unitate Eccleſiæ Chriſti (249).

280.

Poteſt tamen, atque debet ex officio Primatus, Romanus Pontifex urgere obſervationem & executionem Canonum, ſeu legum Eccleſiaſticarum, communi aliquo Epiſcoporum conſenſu in generalibus Conciliis jam aliquando receptarum, pœnis nempe per easdem in ipſos Epiſcopos earum transgreſſores pari communi conſenſu jam conſtitutis animadvertendo. Ceu ſupremo enim Chriſti Vicario & vero ſuperiori omnium Epiſcoporum competit eidem vera poteſtas executrix omnium divinarum legum. Atqui ipſa divina lex obligat Epiſcopos ad executionem talium legum legi-

legitima auctoritate Eccleſiaſtica (215.) ſemel conſtitutarum: quamdiu juſta exceptio, vel diſpenſandi cauſſa, non ſuppetit pro peculiari ſua diœceſi: Ergo &c. &c.

* Errant ergo, qui ex ſola ſeveritate executionis talium legum ſive Canonum a præſtantiſſimis Romanis Pontificibus, *Innocentio I.*, *Siricio*, *Leone M.*, *Gelaſio I.*, *Gregorio M.*, etiam adverſus Epiſcopos adhibita, inferre volunt, etiam ipſam poteſtatem tales leges privativa auctoritate ferendi eos ſibi exiſtimaſſe competere. Æque parum ex *poteſtate ſuprema judicandi cauſſas Epiſcoporum* in electione & translatione, in criminibus Epiſcoporum, aut cum appellatione ad Sedem Romanam aliæ cauſſæ quæcunque deferuntur, inferri poteſt, Romanis Pontificibus poteſtatem novarum legum condendarum convenire. Alia enim eſt *poteſtas judicandi*, alia *exequendi*; quæ utraque ad *jurisdictionem* pertinet; ſed *poteſtas novas leges ferendi* quid amplius illis adhuc complectitur (32. 33.). Unde poteſtas legislatrix quidem illas omnes, non tamen ſingulæ illarum iſtam complectuntur. Atque hæc quidem totius Eccleſiæ Gallicanæ vetus ſententia eſt, hodie quoque in omnibus Auſtriacæ ditionis Academiis ex præſcripto doceri ſolita.

281.

Romanus Pontifex ut Primas Eccleſiæ non quid jure humano, ſed tamen divino, obligatur tum ad ſervandas leges a ſuis anteceſſoribus cum conſenſu Epiſcoporum generali jam latas, quæ in ipſius perſonam ratione materiæ cadunt; tum ad non diſpenſandum in eisdem niſi ex ratione ſecundum prudentiæ conſilium ſufficiente: 2.) *hac tamen ſuppetente poteſt auctoritate propria in eis diſpenſare.* Non enim ipſe lege humana Eccleſiaſtica obligari poteſt; cum ejus poteſtas ipſa ſuprema ſit in Eccleſia ita, ut ſe ſuperiorem non habeat (266. VII.). Itaque ſolum, ut quisque alius ſummus Princeps, ſuis legibus jure divino

divino obligatur (241.); prout in ipſius perſonam inſtar regulæ moralis cadere poſſunt: tum vero pariter obligatur, ut ne irrationabiliter diſpenſet: *quod primum.* Porro ſuppetente ſufficiente ratione diſpenſandi, uti liberum, ita & in morali ipſius poteſtate eſt, obligationem tollere, quam ipſe impoſuit (277.).

282.

Si Romanus Pontifex reſpectu fidelium quorundam alterius a Romana diœceſis diſpenſet irrationabili ex cauſſa in lege aliqua a ſe vel ſuis anteceſſoribus cum communi Epiſcoporum conſenſu lata, tollit quidem legem ſua ſuprema poteſtate latam; ſed non obligat Epiſcopos, quo minus ipſi immediata ſua poteſtate ſubditum ſuæ diœceſis, ceu lege particulari, ligatum tenere queant. 2.) Si tamen diſpenſatio communi bono majore Eccleſiæ, ceu motivo, nitatur; obligare Epiſcopum quemque ſingillatim poteſt, ut ei locum effectumque concedat. Primum ex §. 164. II. patet. Exemplum eſto; cum venia ætatis ad ſacros ordines requiſitæ a Papa diſpenſatione conceditur contra communem legem nulla urgente ſufficiente cauſſa: quo caſu utique non obligatur Epiſcopus illum ordinare. Porro tamen nullus Epiſcopus poteſtate gaudet præcepto ſingulari impediendi majus Eccleſiæ bonum; ergo ſi diſpenſatio Pontificia hoc tam recto motivo nitatur, impediri ab Epiſcopo ejus effectus non poteſt: *quod. alterum.*

* Sequuntur iſta omnia ex generali fine Primatus a Chriſto inſtituti, qui eſt unitas Eccleſiæ in fide, moribus, & caritate mutua paſtorum & ovium. Ad fundandam unam fidem & mores neceſſarios Petrus conſtitutus eſt; item ad fratres in caritate firmandos; ad paſcendas oves & agnos; non ad dominandum utriſque; non ad premendos ceteros Apoſtolos invitos novarum legum inviſo onere.

283.

Romanus Pontifex etiam qua Primas totius Eccleſiæ non eſt Dominus SS. Canonum, id eſt, non libero arbitrio aut jure proprio (1. 3.) *ex quibuscunque cauſſis diſpenſandi in eisdem, ſed ſolum morali poteſtate, precario a Deo ceu ſupremo Principe conceſſa, gaudet in ordine ad ædificationem, non ad ruinam Eccleſiæ, ceu miniſter & vicarius ſupremus Chriſti* (36. 37.), *nec niſi neceſſitate gravi urgente, aut invitante magna utilitate.* *

* Vide ſis de hac re Ludovicum Thomaſſinum de Diſcipl. Eccleſ. P. II. L. III. c. 28. n. 5. apertiſſime docentem, nihil aliud ſibi revera ſaltem verbo tenus veteres arrogaſſe Romanos Pontifices, etiam tenaciſſimos ſuæ poteſtatis.

ARTICULUS V.

AN AD PRÆROGATIVAS PRIMATUS ECCLESIÆ ETIAM PERTINEAT, UT PRIMATIS JURISDICTIO SUPERIOR SIMUL SIT IMMEDIATA IN OMNES OMNIUM ALIORUM EPISCOPORUM SUBDITOS CHRISTIANOS: UBI EXPLICANTUR JURA EPISCOPORUM.

284.

Jurisdictio immediata dicitur, quæ ordine prima & abſolute ſine alia proximiore ſe exercere in ſubditos quosdam morali cum poteſtate poteſt; *mediata ſolum*, quæ non niſi prævio alterius exercitio, vel ſub conditione alicujus defectus ex parte iſtius forte intervenientis, recte exercetur.

285.

I. *Mediata eſt omnis jurisdictio ſuperior relate ad ſubditos inferioris jurisdictionis ſibi ſubordinatæ; ſi tam ſuperior, quam inferior talis jurisdictio ſit mere precaria & miniſterialis, id eſt, ab uno ſupremo*

Principe utraque immediate delegata; qui utroſque miniſtros, ſuperioris & inferioris ordinis inſtituit eo fine, ut defectus inferiorum, fini ultimo ſocietatis a ſe item inſtitutæ contrarii, per ſuperiores ſuppleantur (36. 37.).

II. *Jurisdictio tamen ſuperior ſemper immediata eſt relate ad perſonas, qui gerunt inferiorem jurisdictionem illi ſuperiori ſubordinatam* (præc. 34.).

III. *Ipſe tamen princeps ſupremus, qui propria poteſtate morali ſuprema inſtituit miniſtros ſuperiores & inferiores, tam reſpectu iſtorum, quam reſpectu omnium ſubditorum, ac membrorum totius Societatis, ſemper immediata jurisdictione in omnes ex æquo pollet.*

* Exempla ſubordinationis ejusmodi precariæ jurisdictionis ſuperioris & inferioris, immediatæ ac mediatæ, ſuppetunt tum in ſubordinatis dicaſteriis cujusvis reipublicæ, tum in veteri lege Judaica Deut. XVI. 18. & XVII. 8. ſupra §. 97. citata.

286.

Nullo vel S. Scripturæ, vel traditionis Eccleſiaſticæ antiquioris documento probari poteſt, S. Petro, ut ſupremo Chriſti Vicario, & totius Eccleſiæ Primati, atque hoc ipſo etiam ejus in hoc munere ſucceſſoribus, a Chriſto Domino fuiſſe collatam ordinariam immediatam jurisdictionem in omnia membra Eccleſiæ, aliis Epiſcopis immediate ſubjecta: 2.) imo Scriptura Sacra, & vetus traditio, ipſaque ratio, potius docet; ſolum mediatam jurisdictionem in aliorum Epiſcoporum ſubditos ſupremo Chriſti Vicario conceſſam fuiſſe. Nam

1'.) Loca S. Scripturæ, legem fundamentalem complectentia, aliud non exprimunt niſi poteſtatem S. Petro ſuperiorem ceteris Apoſtolis, imo ſupremam in Eccleſia, a Chriſto collatam fuiſſe (hoc Capite Art. II. & III.), eamque miniſterialem & pre-

& precariam relate ad Chriſtum ſupremum Principem Eccleſiæ; ut nempe S. Petrus ſit fundamentum omnium aliorum; ut claves ceteris communes ſubſint ejus ſuperiori poteſtati; ut paſcat & paſtores & oves, ſi inferiores paſtores officio deſint, vel eo male fungantur.

2°.) Traditio Ecclesiastica ante Seculum fere ſeptimum documentum omnino nullum ſuppeditat immediatæ jurisdictionis ſpiritualis in foro interno aut externo vel Romanis Pontificibus attributæ a quodam, vel exercitæ ab eisdem. *Neque enim* huc trahi debent *diſpenſationes in legibus ſeu Canonibus ſacris pro univerſa Eccleſia conſtitutis* per ipſos Pontifices in Conciliis generalibus, aut extra hæc cum conſenſu Epiſcoporum; quippe quæ diſpenſationes ceu in lege ſuperioris (281.) ad immediatam Epiſcoporum jurisdictionem per ſe non pertinent (281. 282.). De Exemptionibus autem Religioſorum, de jurisdictione ſpirituali immediata in ſubditos Epiſcoporum religioſis exemtis in foro interno collata, de beneficiorum collatione in alienis diœceſibus a Papa immediate facta, aliisve ſimilibus exercitiis Pontificiæ poteſtatis immediatæ in ſubditos proprios aliorum Epiſcoporum, nihil omnino ſex pæne integris primis ſeculis Eccleſiæ legere eſt: *quod primum.*

3°.) Quid quod eadem Scripturæ loca potius contrarium aperte docere videantur. Nam cum Matth. XVI. S. Petrus *fundamentum* ædificii *Eccleſiæ* conſtituitur; non niſi mediata ratio influxus ſupremæ jurisdictionis in membra remotiora ædificii, ex. gr. mediantibus columnis &c., exprimitur. Cum Joan. XXI. 15. paſcere *oves* & *agnos* jubetur; nihil aliud exprimi videtur, niſi ut oves matres paſcendo, id eſt, docendo & corrigendo errantes Epiſcopos, aut ignaros inſtruendo, media-

mediate etiam doceat ceteros iſtis ſubditos chriſtianos. Unde & major ab illo præ ceteris Apoſtolis dilectio ab eo requiritur: *diligis me plus his?* ut videlicet, cum inferiorum paſtorum; caritas defecerit, ſummi paſtoris fervor eam ſuppleat; non ut omnem curam *immediate* ſibi ſumat. *Denique* Luc XXII. 32. proprium Petri ut Primatis Eccleſiæ officium apertius exprimitur a Chriſto dicente: *ego rogavi pro te, Simon! ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ecce! non ad præveniendum officium Apoſtolorum, ſed ad ſupplendum defectum iſtorum in adminiſtratione officii ſui, mandatum Petro imponitur.

4.) Traditio antiqua ex mente S. Cypriani hæc eſt (in L. de Unit. Eccleſ.) *Epiſcopatus unus eſt; cujus a ſingulis* (Epiſcopis) *in ſolidum pars tenetur.* Ubi ſane Cyprianus immediatam juriſdictionem in ſua particulari diœceſi *in ſolidum* ab Epiſcopo teneri, ſine concurrente alia æque immediata, & in eodem ordine, affirmat; quin mediatam & ſuperiorem aliam excludat. Ex mente *S. Gregorii M.*, cujus eſt Can. 39 Cauſſ. XI. q. 1., concurrere non debet in eodem gradu atque ordine juriſdictio Romani Pontificis cum juriſdictione Epiſcopi. Nam in prædicto Canone præcipiens *Romano*, ſuo per *Siciliam* Eccleſiarum & Cleri defenſori; ne ſe immiſceat; ſiquis contra Clericum habeat cauſſam; hanc addit prudentiſſimam rationem: *nam ſi ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi, ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debet ordo, confundatur.* Quid quod idem *S. Gregorius M.* conſtanter rejecerit titulum *Epiſcopi univerſalis* ſeu *œcumenici* ceu nomen, ut appellat, *temerarium* (L. V. vet. edit. epiſt. 38. ad Joan. Conſtant). Atqui hoc nomen maxime proprie & privative conveniret Romano Pontifici ut Primati totius Eccleſiæ; ſi ipſe æque imme-

immediata poteſtate, ac proprius quisque Epiſcopus, in omnium particularium diœceſeon ſubditos divino jure uteretur. Contra titulus *Epiſcopus Epiſcoporum*, quem *Tertullianus* (L. de Pudicit. C. I.) & *S. Cyprianus* in Conc. Carthag. III., Romano Pontifici tribuunt; ſicuti & titulus *Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis*, eidem citra dubium etiam ratione ſolius jurisdictionis ſuperioris in omnes Epiſcopos, & mediatæ in omnes Chriſtianos, competit.

5'.) Denique nec RATIO ipſa ſuadet aliud. Nam *primo* finis immediatus ac præcipuus inſtituti a Chriſto Primatus Eccleſiæ cum haud dubie ſit unitas Eccleſiæ & ipſius Epiſcopatus; certum eſt, huic fini conſequendo ſufficere abunde ſuperiorem illam Primatis ſupra ipſos Epiſcopos poteſtatem, quæ immediata reſpectu Epiſcoporum, mediata autem reſpectu eorum eſt, qui Epiſcopis immediate ſubjiciuntur. Conſiſtit enim unitas illa in conſenſione omnium circa regulas fidei & morum divinis legis & Chriſti inſtitutione conſtitutas; quæ obtinetur, ſi omnes Chriſtiani immediate quoad iſtas ſubſint quisque proprio Epiſcopo, omnes autem Epiſcopi Pontifici Romano. Ex adverſo nihil propius eſt, quam ut concurrens gemina immediata jurisdictio, inprimis in rebus, ubi nec Primatis jurisdictio erroris expers eſt, aut inferiorum rectorum ſollertiam & vigilantiam ſuffocet; aut hos cum Primate non ſine ſcandalo collidat; aut certe inviſum illis iſtius dominatum reddat. *Deinde* ſi æque ordinarium & immediatum eſt officium jurisdictionis ſummi Primatis atque Epiſcoporum; an poterit Primas æque *delegare* ordinariam ſuam poteſtatem immediatam pro omnibus parochiis integræ diœceſis presbyteris, *parochorum* nomine venturis; uti Epiſcopus id poteſt (185.)? & tunc id genus Parochi, a Romano Pontifice conſtituti, erunt in exercitio jurisdictionis (ſi delegans voluerit)

ab

ab Epiſcopis independentes; cum delegata poteſtas univerſe per ſe a ſolo delegante dependeat (ſicuti nunc in religioſis exemtis fieri ſolet); atque ſic Epiſcoporum jurisdictio erit plane otioſa: an forte non poterit hoc Papa, vel ſaltem non ſemper & univerſe, vi juris quidem divini? & *ubi* exprimitur ſubſtantia & modus limitationis iſtius in lege fundamentali aliqua, aut in Scripturis divinis? Nullibi profecto. Atque ex his *alterum* patet, quod oſtendere propoſitum erat.

* *Neque dicas* 1.) ſummo Chriſti Vicario omnes Chriſtianos fidei & Sacramentorum communione conjunctos eſſe debere, ac proin immediate ſubjici. Nam *reſpondeo*, hoc aliud non eſſe, quam, ſi Epiſcopus etiam proprius ab eo diſſentiat hæreſi, vel ſchiſmate, vel inobedientia quacunque non legitima, cetera membra potius cum Capite mediato ſentire, eique obedire teneri, quam adhærere paſtori immediato; id eſt, Caput ſupremum omnes defectus inferioris paſtoris corrigere poſſe; id quod mediatæ ſolum eſt poteſtatis. *Neque dicas* 2.) Papam etiam ante omne Epiſcopi proprii judicium poſſe judicare de rebus fidei, ejusque judicio ſtare debere omnes Chriſtianos. *Nam* niſi id fiat ad ſupplendam negligentiam, vel emendandum errorem paſtoris inferioris & immediati; tunc per ſe loquendo id fiat neceſſe eſt ad præveniendum iſtius errorem; ceu qui falli in tali judicio, & ſubditos non ſine ſcandalo decipere poſſet: interim tamen ad officium immediatum Epiſcopi pertinebit definitionem Capitis cum propria judiciali ſententia adhæſionis (266. not. 3.) promulgare, ac immediata ſua poteſtate executionem urgere: id quod ſummus Pontifex ubivis locorum non poſſet. *Neque dicas* 3) Lateranenſe Concilium IV. Oecumenicum an. 1225. ſub Innocentio III. celebratum docere, *Romanam Eccleſiam diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinere principatum.* *Nam* alia eſt *immediata*, alia *ſuprema* etiam *ordinaria poteſtas* (præc. I.). *Dicunt* 4.) Parochus æque ac Epiſcopus habent *immediatam* in

in eosdem ſubditos *ordinariam* jurisdictionem ; quin una alteri præjudicet : ergo & Papa & Epiſcopi habere ſimul poſſunt ſine pacis jactura. *Sed* notent, Parochorum jurisdictionem non eſſe immediate a Chriſto inſtitutam & delegatam, ſed delegatam ab ipſo Epiſcopo ; licet delegatio hæc ſtabilis, eoque ipſo ordinaria ſit, & eſſe ob bonum Eccleſiæ debeat; cum in diœceſi ampliore Epiſcopus univerſis præſens eſſe in perſona non poſſit. At contra Epiſcopi jurisdictio non a Papa, ſed immediate a Chriſto eſt, tum inſtitutione, tum delegatione (182.III.). Qui aliter, quam ego, de Parochorum inſtitutione, ſed absque omni ſufficiente Scripturarum divinarum, aut Eccleſiaſticæ traditionis fundamento, ſentiunt; majore difficultate in hoc refutando argumento implicantur. At ego pro certo teneo, jure ſolum humano, uti Metropolitas & Patriarchas ad ſublevandum in officio Primatem Eccleſiæ, ſic Parochos Presbyteros ad ſublevandum in officio Epiſcopum, fuiſſe inſtitutos (185.). *Dicunt* 5.) Ergone Pontifex Romanus non poterit Chriſtianos omnes a peccatis abſolvere? atqui tamen S. Petro a Chriſto dictum eſt: *quidquid ſolveris &c. Reſp.* venientes ad ſe Romam, ut quivis alius Epiſcopus in ſua diœceſi, abſolvere omnes ab omnibus poteſt. In alienam diœceſin veniens Papa, ſi ex ordine a Chriſto conſtituto omnia agere velit, conſenſum Epiſcopi eo modo, qui Caput Eccleſiæ non dedeceat, requirere debet, ſi ipſe *immediate*, & in prima inſtantia, hujus ſubditos licite judicare, interno, vel externo in foro, velit (164. II.): ſecus ſi appellatione cauſſæ quæcunque in utroque foro ad ipſius tribunal deferantur. Neque periculum eſt, ut ex zelo & pietate agenti Pontifici quis Epiſcopus tunc reſiſtat.

* * Quæres 1.) *Quo pacto Exemtiones Religioſorum Ordinum cum immediata jurisdictione ſolis Epiſcopis in ſuis diœceſibus competente componi queant? Reſp. Exemtio Religioſorum* quatuor veluti gradus ſeu capita complectitur, nimirum 1.) ne rationes accepti & expenſi, *temporalisque admi-*

adminiſtrationis domuum ſuarum, reddere Epiſcopo regionis illius teneantur: 2.) ne ſubjecti ſint Epiſcopo ratione *diſciplinæ* totius *religioſæ* inſtituto ſuo propriæ; ita videlicet, ut ne Epiſcopus inquirere in ejus obſervationem, leges religioſas exequi, declarare, violatores earum punire &c. &c. poſſit (28. 29. 30.): 3.) ne etiam *quoad jurisdictionem* proprie *Epiſcopalem*, Sacramentalem & non Sacramentalem Epiſcopo, ſed immediate ſoli Papæ ſubjiciantur; qui per delegatos a ſe Patres Spirituales, ceu Parochos, eis Sacramenta & Verbum Dei adminiſtret, & per ſui Vicarios Epiſcopos eosdem Sacerdotio aliisque SS. Ordinibus initiet: 4.) ne talium religioſorum ordinum Sacerdotes *jurisdictione delegata ab Epiſcopo* opus habeant ad judicandos *in foro interno Sacramentali* ipſorum Epiſcoporum immediatos ſubditos, vel ad Verbum Dei eisdem prædicandum; ſed ut ipſis ad hoc jurisdictio ab ipſo Papa immediate delegetur. Jam vero *circa quatuor iſthæc Capita Exemtionis Religioſorum varia adnotanda ſunt*; & 1°.) quidem *ſubjectionem religioſorum ratione duorum priorum capitum*, ſeu erga Papam, ſeu erga diœceſis, in qua degunt, Epiſcopum, ſuppoſita religioſi inſtituti approbatione, juris divini haud eſſe; ſed *quoad redituum temporalium rationes* religioſos jure naturali ſociali, ſicuti alias quasque ſocietates ſimplices ex. gr. mercatorum, tribus opificum, ſubjici dominio alto Principum; quorum in ſtatu civili, ceu magis compoſito, degunt. Unde niſi Principes ipſi, privilegio immunitatis Eccleſiaſticæ conceſſo, adminiſtrationem dominii alti in Epiſcopos, & Papam, transtuliſſent; neuter ex iſtis quidpiam jurisdictionis hac in parte circa religioſorum bona temporalia haberet. Eam itaque exemtionis partem, quæ ad iſta bona temporalia attinet præciſe, conceſſere olim religioſis quibusdam, & nunc pæne omnibus, Romani Pontifices vi privilegii ſibimet ipſis a Principibus ſeu conceſſi, ſeu indulti, de ſuprema adminiſtratione bonorum omnium temporalium, ſeu ad Clericos, ſeu ad Religioſos, pertinentium. 2.) Quod ad *ſubjectionem Religioſorum relate ad religioſæ regulæ ſibi peculiaris diſciplinam*

nam in foro mere externo attinet; oritur ea præciſe tum ex votis religioſis, quæ Deo jurarunt, tum ex pacto cum religioſa ſocietate inito; quo tum ſinguli ſe ſuamque libertatem (uti fit in exortu cujuslibet alterius ſocietatis, ex. gr. tribus opificum) ſocietati religioſæ ejusque ſuperioribus, ſecundum legem ejus fundamentalem conſtitutis, ſubjecere in ordine ad univerſam religioſæ illius prædictæ regulæ diſciplinam; & quo viciſſim ſub conditione ejusdem ſpontaneæ ſubjectionis a ſocietate religioſa in communem nexum, ceu membra nova talis ſocietatis, recepti ſunt. Hæc ſubjectio ſpecialis ad regimen religioſum & ſuperiores religioſos ratione diſciplinæ religioſæ probe diſtinguenda eſt a ſubjectione Eccleſiaſtica; quæ cuique Chriſtiano communis eſt, & ex pacto chriſtiano in baptiſmo cum ſocietate tota viſibili chriſtiana inito naſcitur, tum erga Epiſcopos, tum erga Papam; ſed extra Dei & Eccleſiæ præcepta omnibus Chriſtianis communia ſe non extendit. Sic Monialis ſola religioſa ſubjectione ſubeſt Abbatiſſæ, nullam plane jurisdictionem Eccleſiaſticam in eam habenti, nec in interno, nec in externo foro. Non ſubtrahitur quidem hac ſubjectione religioſa religioſus homo, & Societas tota religioſa, nec jurisdictioni Eccleſiaſticæ, ſeu Epiſcopi, ſeu Papæ, nec jurisdictioni civili Principis ſui temporalis; ſed iſti, quod prius potuere morali poteſtate, id totum etiamnum poſſunt in ſingulos religioſos: quin imo ſi iſti a ſua regula & ab obſervatione votorum publice deflectant ita, ut extra clauſtra ſcandalum prorumpat, poſſunt Epiſcopi & Principes, ceu immediati judices, ea ſcandala in foro externo pœnis conſuetis, & ſi malum immedicabile eſt, etiam excluſione talis Societatis religioſæ a nexu Eccleſiaſtico & civili, punire. Item circa religioſos ſacris ordinibus initiatos eadem Epiſcopo per ſe manet jurisdictio ratione miniſterii ſacri, quæ in alios Clericos. Interim quamdiu religioſi citra publicum ſcandalum intra religioſa clauſtra degunt; *jurisdictio mere religioſa*, ad executionem regularum præciſe in foro externo tendens, inquirens in earum transgreſſiones, iſtas pœnis per regulas

ipſas præſcriptis item in foro externo puniens, regulas ipſas authentice declarans (28. ſeqq.), non niſi *ad religioſos ſuperiores pertinet* (ſicuti in tribubus opificum ad tribunos) ita, ut Eccleſiaſtica jurisdictio Epiſcopi non niſi in foro interno Sacramentali de peccatis religioſorum etiam circa vota religioſa admiſſis, ſicuti de peccatis per ſeculares commiſſis, judicet.* 3.) *Tertium* vero *caput exemtionis* religioſos vere *a jurisdictione Eccleſiaſtica Epiſcopi*, tam interno, quam externo in foro, ſubtrahit, & ſoli Papæ immediate ſubjectos reddit; qui Præſules religioſos veluti ſuos Vicarios generales, confeſſarios autem ceu Parochos, cum delegata a ſe immediate jurisdictione conſtituit; vel (ut alii rem concipiunt) Antiſtites cujusque religioſæ familiæ quaſi Epiſcopos præficit; qui videlicet, excepto ordine Epiſcopali, cetera omni jurisdictione Epiſcopo propria relate ad ſubditos religioſos gaudeant. 4.) *Quartum caput* religioſis exemtis ſpeciem veram jurisdictionis immediatæ circa ſubditos ipſorum Epiſcoporum proprios tribuit; quæ cum non ab Epiſcopis, ſed a Papa delegetur; hoc maxime modo *Papa immediatam quamdam jurisdictionem, per religioſos exemtos ceu ſuos miniſtros, in omnes etiam aliarum diœceſium Chriſtianos exercet.* Jam vero Romani Pontifices in id genus Exemtione religioſis concedenda per gradus progreſſi fuere. Ac *primo* quidem *circa rationes redituum temporalium, & circa religioſam privatam diſciplinam* quædam Cœnobia ab omni ſubjectione erga Epiſcopos Romani Pontifices eximere cœpere jam inde a ſeculo ſexto finiente. Ita *S. Gregorius M.* an. 598. Cœnobium *Claſſenſe*, ac deinde an. 601. in Romana Synodo *omnia Italiæ Monaſteria*, *Honorius I.* an. 628. *Bobienſe*, *Adeodatus* an. 674. Turonenſe S. Martini Monaſterium, *Zacharias* an. 751. *Fuldenſe* &c. &c. exemere. Fuit vero finis id genus exemtionis, ut Monachi diverſis vexationum generibus ſubtraherentur; ut ſolitudo monaſtica minus turbaretur; ut denique religioſi in religioſa perfectionis diſciplina a ſuperioribus item religioſis, & in vitæ perfectione expertis, liberius regerentur. *Poſt hæc*, ex eisdem quidem fini-

bus

bus, alii Pontifices (uti *Joannes IV.* an. 641. duo Lexovienſia monaſteria) in eo ab Epiſcopi jurisdictione etiam propria ſpirituali, vereque Epiſcopali, religioſos exemere, ut ſacrum *Chriſma*, *& quidquid ad ſacra myſteria pertinet*, a quolibet Epiſcopo, a quo vellent, accipere poſſent. *Honorius I.* in *Bobienſi* an. 628. & *Benedictus VII.* an. 681. in *S. Walarici* cœnobio celebrationem Miſſarum ſolennium omnibus *Sacerdotibus cujuslibet Eccleſiæ*, niſi ab ipſis Abbatibus fuerint invitati, prohibuere. Diploma *Zachariæ* Papæ an. 751. pro *Fuldenſi* Monaſterio datum idem habet. *Benedictus VIII.* an. 1019. *Leonenſi* Monaſterio eadem, quæ Joannes IV. Luxovienſibus duobus, conceſſit. *Inde vero* an. 1078. *Gregorius VII.* eidem *Leonenſi* Cœnobio conceſſit, ut *Chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſiveBaſilicarum, ordinationes Monachorum ſive Clericorum totius Abbatiæ, a quo mallent Catholico Antiſtite acciperent*: item ut ne *Epiſcopus præter Abbatis voluntatem miſſas publicas in monaſterio celebrare* poſſet: ut denique *Abbas, a ſolis Monachis electus, Romanum Pontificem conſecrandus accedat.* Denique Seculo XIII. ſecuta *Religioſorum Mendicantium exemtio* per *Innocentium III. ab omni penitus Epiſcopali jurisdictione, & eorundem delegatio cum Papali jurisdictione relate ad quosvis fideles* & quorumvis Epiſcoporum ſubditos in ordine ad verbi Dei & Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem. Ceterum in primorum illorum Pontificum Romanorum diplomatis, quibus religioſos a jurisdictione Epiſcoporum circa res ſolum temporales & monaſticam diſciplinam eximebant, fere continuo repeti ſolent pæne eadem verba, quibus *Concilium Carthaginenſe* an. 534. celebratum utitur; dum idem omnia Africæ Monaſteria quoad eadem capita a jurisdictione Epiſcoporum eximit: *Cetera*, inquit, *monaſteria etiam ipſa libertate pleniſſima perfruantur*: *ſervatis limitibus Conciliorum ſuorum* (id eſt, proprii Capituli) *in hæc duntaxat, ut, quandocunque voluerint ſibi Clericos ordinare, vel oratoria Monaſteriis dedicare;* *Epiſcopus, in cujus plebe, vel civitate, locus Monaſterii conſiſtit, ipſe hujus muneris gratiam compleat, ſal-*

 va

va libertate Monachorum, nihil in eis præter hanc ordinationem vindicans, neque Eccleſiaſticis eos conditionibus, aut angariis ſubdens. Oportet enim in nullo Monaſterio quemlibet Epiſcopum cathededram collocare; nec aliquam ordinationem quam leviſſimam facere, niſi Clericorum, ſi voluerint habere: eſſe enim debent Monachi in Abbatum ſuorum poteſtate. Et quando ipſi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi ſunt, judicio Congregationis eligantur; nec officium ſibi hujus electionis vindicet, aut præſumat Epiſcopus. Siqua vero contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut iſta Abbatum aliorum Concilio ſive judicio finiatur: aut ſi ſcandalum perſeveraverit, ad Primates cujuscunque Provinciæ univerſæ cauſſæ monaſteriorum adjudicandæ perducantur. Vides in hoc *Concilio Carthaginenſi*, ſalvo omni proprio Epiſcopi officio, religioſos ſolum quoad diſciplinam religioſam eximi ab Epiſcoporum poteſtate. At enim poſterioribus ſeculis longius progreſſi Romani Pontifices, ab ipſa Epiſcopali jurisdictione & officio tum circa ordinationes, tum circa ea, quæ conſecrationem ab Epiſcopo faciendam requirunt, monaſteria ſubtraxere: quibus anteceſſorum exemplis innixi rurſus alii Pontifices demum a tota ſpirituali & Eccleſiaſtica Epiſcoporum jurisdictione religioſos exemere. His præmiſſis ad propoſitam quæſtionem, *quo pacto id genus excemtio concipi ſine injuria Epiſcoporum poſſit; reſpondent aliqui* 1.); Præſules talium religioſarum familiarum ipſosmet totidem quaſi Epiſcopos a Papa cum jurisdictione eadem conſtitui, qua ordinarie Epiſcopi funguntur; ac proinde ipſas religioſas familias ceu totidem diœceſes ſeparatas ab aliis habendas eſſe: neque enim neceſſarium eſſe, ut immediata & propria ſupra particulares Eccleſias jurisdictio cum ordine Epiſcopali ſemper conjuncta ſit (183.): eſſe vero id juris Primatialis, ut Primas Eccleſiæ limites diœceſium determinet (253.). *At enim* §. 181. oſtenſum eſt, jure divino conſtitutum eſſe, ut Eccleſiæ particulares ab Epiſcopis veris cum poteſtate *ordinis & jurisdictionis* propriæ & ordinariæ, & quidem immediatæ, vulgo regantur: quo ſuppoſito ſequeretur, illorum

reli-

religioſorum Antiſtitum quaſi Epiſcopalem jurisdictionem ab ordine Epiſcopali ſejunctam divino juri repugnare. Melius itaque *alii cenſent* 2.): verum immediatum Epiſcopum illorum omnium religioſorum exemtorum eſſe ipſum Romanum Pontificem; qui ſuæ propriæ diœceſis Romanæ membra per totum orbem ſic diſperſa habeat, ut ſingulis religioſis familiis Præſulum loco totidem veluti *Vicarios generales* cum delegata generali jurisdictione Epiſcopali præfectos numeret. Iſte conceptus exemtionis religioſorum, prout a quarto capite & veluti ſpeciali privilegio, ſupra memorato, abſtrahit, illud quidem ſatis explicat, non omnino injuriam aliquam Epiſcopis per eam inferri; etſi vulgo ſapienter *limites territorii Epiſcopalis* (238.) potius regionum certarum terminis, quam enumeratione perſonarum, in eadem regione domicilia figentium, inde a primis Eccleſiæ ſeculis definiti fuerint; nec immerito, exiſtente vel ſolum ſuſpicione aliqua dominatus non nihil deſpotici ex parte Primatis, præſentia id genus immediatorum ejus ſubditorum, veluti exploratorum, Epiſcopis exoſa videri poſſit. Interim ob rationes politicas, & controverſias ratione immunitatis Eccleſiaſticæ Principibus & integris Statibus Politicis cum Romano Pontifice ſæpius obortas; quibus durantibus id genus religioſi exemti ſæpe partes Romani Pontificis, ceu immediati ſui Epiſcopi, quin & ceu veri temporalis ſui Principis (uti ſæpe credebant) tuebantur; exemtio iſta etiam ſummis Principibus noſtra ætate exoſior reddita eſt; ita quidem ut Reſpublica Veneta declararit, ſe porro inter cives ſuos religioſos exemtos neutiquam toleraturam. Ex quo ipſo facile intelligas, id genus exemtionem locum vel initio minime fuiſſe habituram; niſi ultro ipſi Principes & Epiſcopi id genus religioſos exemtos recipere, iſti quidem in diœceſes, illi vero in ſubjectas ſibi provincias, voluiſſent. At denique longe difficilior Epiſcopis accidere debet ſimilis exemtio, ipſis multis Cathedralibus Canonicorum Capitulis in Gallia præſertim a Romanis Pontificibus conceſſa: qui cum conſiliarii Epiſcoporum, ac ſocii ſint in adminiſtrandis bonis temporalibus

ipſius Eccleſiæ & Sedis Epiſcopalis, non poteſt non independentia ejusmodi eorundem ab omni Epiſcopi jurisdictione eorum Epiſcopis moleſtiſſima accidere. 3.) Supereſt, ut *de* illa parte, vel potius *ſingulari privilegio*, exemtioni Mendicantium Religioſorum ſuperaddito, loquamur; *quod in jurisdictione conſiſtit*, quam ipſis ſummus Pontifex in foro interno Sacramentali *ad abſolvendos a peccatis omnes aliorum Epiſcoporum ſubditos, & ad verbum Dei ubique prædicandum* delegat. Fatendum plane, difficillime hoc privilegium cum eo dogmate combinari; quo tenetur, nullam ſupremo Eccleſiæ Primati immediatam in aliorum Epiſcoporum ſubditos jurisdictionem competere; niſi illud denique advertas, conſenſiſſe ultro Epiſcopos ipſos in id genus privilegium eo ipſo, quod tales religioſos, id genus privilegio publice a Papa inſtructos, in ſuas diœceſes ſcientes volentesque admiſerint; quin illud ullo pacto abnuerent. Ceterum notiores ſunt contentiones, quæ hujus inprimis privilegii religioſorum Mendicantium cauſſa in Gallia religioſos exemtos inter & Parochos, ipſamque S. Facultatem Pariſienſem ab iſtorum partibus ſtantem, ſuperioribus ſeculis XV. & XVI. & rurſus medio ſeculo XVII. exortæ ſunt. Et vero licet Alexander IV. an. 1256. Clemens IV. an. 1265. Bonifacius VIII. an. 1295. Benedictus XI. an. 1304. conceſſerint illis religioſis exemtis facultatem audiendi confeſſiones quorumvis fidelium etiam ſine licentia & approbatione Epiſcoporum: nihilominus *Tridentinum Concilium* Seſſ. XXIII. de reform. c. XV. eas Pontificum Conſtitutiones omnes revocavit, decernens, *nullum Regularem poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium* (id eſt, ipſam jurisdictionem delegatam Epiſcopi §. 185. not.) *aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis neceſſarium videbitur, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat: privilegiis & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Idem Concilium Seſſ. XXIV. C. IV. prohibet univerſe, ut *nullus ſecularis, ſive regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum, contradicente*

cente Epiſcopo, *prædicare* (verbum Dei) *præſumat*. Jam vero *approbatio* ſecundum Theologos Gallos (vide Tournely de Sacram. Pœnit. quæſt. X. art. 3.) eſt teſtimonium juridicum, quo Epiſcopus fidem facit, ſe ad confeſſiones in ſua diœceſi audiendas talem Sacerdotem idoneum judicare, & idcirco conſentire, ut id faciat, id eſt, eum *deputare*, *delegare*: ex quo recte infert Tournely (etſi alii paſſim *approbationem* a Tridentino nominatam ad ſolum judicium de idoneitate reſtringant) inde a tempore Tridentini approbationem a jurisdictione Epiſcopi non differre; ſed eo ipſo Epiſcopum jurisdictionem conferre, quod approbet. Id quod ex eo maxime confirmatur, quod vi propoſitionis XII. & XIII., an. 1665. ab Alexandro VII. Papa damnatæ, Epiſcopi religioſis etiam exemtis a ſe conceſſam approbationem pro arbitrio limitare tum quoad tempus, tum quoad perſonas, tum quoad materiam, poſſint. Vides itaque, etiam hoc Exemtorum religioſorum privilegium plane ab Epiſcoporum conſenſu dependere.

287.

I. *Omnis itaque immediata jurisdictionis ſpiritualis poteſtas circa ſubditos Chriſtianos particularium Eccleſiarum penes Epiſcopos jure divino eſt, ceu immediate a Chriſto accepta* (præc. 182. III. IV.)

II. *Epiſcoporum ergo eſt poteſtas immediata docendi ſuos diœceſanos leges divinas fidei & morum; eisque obtemperare & credere tamdiu illi obligantur; quamdiu illos a ſupremo Chriſti Vicario in doctrina diſſentire haud uſpiam conſtat.*

III. *Penes Epiſcopum eſt vis coactiva ſpiritualis, qua Chriſtianos divinis & Eccleſiaſticis legibus a ſe promulgatis refractarios moraliter cogere poteſt ad eas obſervandas* (211. 215.):

IV. *Epi-*

IV. *Epiſcopus etiam in ſua diœceſi particulares leges aliquas ferre poteſt circa materias* §. 216. *& ſeqq. enumeratas; niſi jam lege generali Eccleſiaſtica ſint definitæ* (279. 280.).

V. *Epiſcopus tamen circa ſuas leges, ſicubi a recta regula & moderatione deflectat* (221.), *corrigi poteſt a ſupremo Chriſti Vicario, & ejus leges ab iſto reſcindi.* Sequitur ex ſubordinatione poteſtatis omnis Epiſcoporum ad ſuperiorem jurisdictionem S. Petri (34.).

VI. *Romanus Pontifex jurisdictione ſua mediata ac ſuperiore ſe immiſcere regimini Eccleſiaſtico ſubditorum cujusque Epiſcopi licite non poteſt; niſi in caſu vel defectus alicujus ab Epiſcopo admiſſi, vel factæ appellationis ab Epiſcopi judicio ac tribunali ad ſuum ſuperius tribunal, & exinde perſpectæ Epiſcopalis judicii injuſtitiæ.*

VII. *Omne judicium immediatum circa cauſſas mere ſpirituales quascunque ſuorum diœceſanorum, omne item exercitium poteſtatis ſpiritualis immediatum, ſeu in prima, ut ajunt, inſtantia, pertinet ad Epiſcopum proprium illorum; niſi in aliqua peculiari materia generali Eccleſiæ lege, cum generali aliquo Epiſcoporum conſenſu lata* (279.), *ſupremo Chriſti Vicario ſit reſervatum.*

VIII. *Ad Epiſcopum itaque per ſe pertinet* 1°.) *omnis abſolutio a peccatis & delictis in foro interno & externo, juxta atque punitio eorundem delictorum;* 2°.) *omnis diſpenſatio in votis*, id eſt, declaratio, an obligent, vel commutari in alia poſſint (234. ſeqq.); 3.) *omnis collatio, ſeu delegatio, jurisdictionis immediatæ & immediatæ curæ animarum Parochis, aliisque cura animarum in ſuæ diœceſis ſubditos fungentibus, facienda*; id eſt, omnis collatio officiorum ſpiritualium; 4.) *omne denique judicium imme-*

immediatum de juribus & facultatibus ſpiritualibus controverſis ſuorum diœceſanorum : 5.) niſi quantum in his aliquid lege generali Eccleſiaſtica Romano Pontifici eſt ſpeciatim reſervatum (280.).

* Ex dictis iſthic n. 3. non ſequitur, Epiſcopum non teneri ſalva ſervare *jura patronatuum ;* cum nec ipſi utique dominatus in rebus ſpiritualibus a Chriſto conceſſus ſit, monente S. Petro omnes Epiſcopos Ep. I. c. V. ne *dominentur in Cleris.* Interim alibi nobis erit de iſto argumento ſermo.

** Quod attinet RESERVATIONES PECCATORUM a Romanis Pontificibus fieri ſolitas ; certum eſt, uſque ad Seculum XI. penes Epiſcopos ſine ulla controverſia fuiſſe plenam auctoritatem abſolvendi in foro pœnitentiæ ſecretæ & publicæ cujuscunque ſceleris quantumvis enormis reos : nec ullam eo usque fuiſſe reſervationem Papalem. Exinde tamen cœperunt ipſimet Epiſcopi non ſolum in particulari caſu aliquo, ſed etiam generali decreto ſtatuto, certorum criminum reos ad Romanum Pontificem remittere, nec ab alio abſolvendos decernere : in aliis ſibi ipſis judicium reſervabant, ademta ceteris Sacerdotibus, etiam Parochis, abſolvendi facultate. Cauſſæ iſtius variæ erant ; præcipua autem ut publicæ pœnitentiæ, quæ in Occidente paſſim exoleverat, vim ad abſterrendos a certis vitiis homines ſupplerent. Inde vero occaſionem cepere, ut volentibus maxime Epiſcopis Romani Pontifices ipſimet certos quosdam majorum criminum caſus in univerſa Eccleſia ſuo unius tribunali reſervarent. *Concilium Tridentinum* hac de re ita loquitur Seſſ. XIV. c. 7. *Magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam crimina non a quibusvis, ſed a ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde merito Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare.* Enimvero Tridentinum pro ratione, cur ſummi Pontifices merito ſibi reſervare aliqua crimina potuerint,

rint, allegat, quod ab ipſis Epiſcopis (*Sanctiſſimis Patribus noſtris*) id ceu maxime utile ad chriſtiani populi diſciplinam, fuerit exoptatum. *Nec obſtat*, quod idem Concilium dicat, Pontifices id *facere potuiſſe pro tradita ſibi* (utique divinitus) *in univerſa Eccleſia ſuprema poteſtate. Nam* ne conſentientibus quidem Epiſcopis reſervare quædam ſibi peccata Romanus Epiſcopus lege generali Eccleſiaſtica poſſet; niſi *ſuprema* ſimul ei jurisdictionis poteſtas in tota Eccleſia competeret. Neque enim *delegata* ab Epiſcopis, ſed *propria*, *ſuprema* videlicet, poteſtate Romanus Pontifex a peccatis ſibi reſervatis abſolvit. Denique idem Concilium in Can. XI. cit. Seſſ. de Sacram. Pœnit. ſolum jus reſervandi Epiſcopis competens ſub anathemate definit.

* * * Dispensatio Officiorum Ecclesiasticorum, id eſt, juris & officii ſpiritualis, & inprimis jurisdictionis ad curam animarum requiſitæ, primis ſex Eccleſiæ ſeculis ſine omni controverſia erat apud ſolos Epiſcopos in ſuis diœceſibus (vide Thomaſſin. de diſcipl. Eccleſ. P. II. L. I. c. 34. & ſeqq.); imo uſque ad medium Seculum XII. rariſſima facta Pontificum reperire in hiſtoria Eccleſiaſtica eſt; quibus ſe in conſtituendis Miniſtrorum perſonis, quibus animarum cura credenda erat, cum oſtentatione poteſtatis alicujus in hac parte ingererent. *De jure ſpirituali ejusque collatione* loquor: nam ſummos Pontifices *mediata* poteſtate *ſupremaque adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum* inde a primis ſeculis functos eſſe, cum Eccleſiæ in his immunitatis privilegio per principes conceſſo libere fruerentur, omnibus ſat compertum eſt: ſed hoc caput infra peculiari loco ubertim tractabimus. Neque hic *de jure Patronatuum* mihi ſermo eſt: de quo, ut promiſi, alibi mihi erit differendi locus. Refert tamen *Ludovicus Thomaſſinus* de diſcipl. Eccleſ. P. II. L. I. c. 41. aliqua *exempla ſingularia* exercitæ a ſummis Pontificibus illius beneficiorum diſpenſationis in alienis diœceſibus ex ſeculo ſexto & ſeptimo; quorum hæc fere præcipua ſunt. 1.) *S. Gregorius M.* Paullinum, Epiſcopum

pum prius in civitate permodica Calabriæ, poſt totius civitatis vero ejus everſionem a barbaris factam ſecedentem in Siciliam donavit Abbatia & regimine Monaſterii *S. Theodori* in civitate Meſſinenſi; cujus beneficii collator erat Epiſcopus Meſſinenſis; quem idcirco certiorem rei totius fecit S. Gregorius; *ut ne te omiſſo*, ait in Ep. 38. L. I. ad illum Epiſcopum data, *aliquid ordinatum in tua diœceſi contriſteris.* Meminit autem S. Papa, ſe reſciviſſe jam prius, quod ipſe Epiſcopus propoſitum jam habuerit hac beneficentia levare fratris egeſtatem. Nec mirum hoc: cum S. Gregorius Monaſteria omnia Italiæ circa reditus temporales & diſciplinam religioſam ab Epiſcoporum poteſtate exemerit (not. 2. §. 285.). 2.) Abſolutiore etiam poteſtate uſus eſt idem *S. Gregorius M.* cum Epiſcopo *Importuno*, ad quem (L. II. ep. 10.) miſit *Dominicum* Presbyterum ſcribens: *quia Eccleſiam S. Mariæ in tua Parochia poſitam presbytero vacare cognovimus, præſentem portitorem Dominicum Presbyterum in eadem Eccleſia ut præeſſe debeat, nos ſcito deputaſſe.* 3.) Idem L. III. ep. 14. *Felicem* Diaconum ad Syracuſanum Epiſcopum mittit, *ſive ut officium diaconatus expleat, ſeu certe, ut ſola ejusdem officii pro ſuſtentanda paupertate ſua commoda conſequatur*, ſolam ex duobus his optionem relinquens Epiſcopo; motus, ut ait, tum Felicis paupertate, tum pietate. 4.) *Joannes* quoque *Diaconus* in vita *S. Gregorii* L. III. c. 15. ſeq. de eo refert; quod Epiſcopus ſedibus ſuis expulſos aliis Epiſcopis interim, dum reditus illis ad proprias ſedes daretur, ſuſtentandos adjunxerit. At demum hoc aliud non erat, quam debitæ caritatis officium exigere. Notat enim erudite non minus quam ſapienter Thomaſſinus l. cit. ex ipſo Joanne Diacono (L. III. c. 7. 8. & 9.), *S. Gregorium* ingenti ſtudio & ardore accenſum, ut Eccleſiis paſtores optimos provideret, undique perquiſiviſſe, qui uſquam eſſent illis egregiis dotibus præditi, ut rite iis regendæ credi Eccleſiæ poſſent. Quales ſi ipſi aliqui in manus inciderent, gratiam ſe inire ab Epiſcopis confidebat, ſi eos eorum vacantibus Parochiis præficeret. Epiſcopos

ipſos,

ipſos, cum ſcirent, nihil illum amplificandæ poteſtatis ſuæ cauſſa agere, vel ad diſpendium poteſtatis ipſorum; gratulatos ſibi eſſe, ſi ab ejus manu optimos Eccleſiarum miniſtros acciperent. Denique omnes iſtæ proviſiones Italiæ & Metropolis Romanæ finibus continebantur. 5.) *Martinus I.* graſſante tum per Orientem hæreſi Monothelitarum & Saracenis Palæſtinam ac Syriam vaſtantibus, Legatum ſuum conſtituit Joannem Philadelphiæ Epiſcopum (Epiſt. V.), ut per omnes civitates ſedi Jeroſolymitanæ & Antiochenæ ſubjectas, *ubi neceſſe eſſet*, conſtitueret Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos. Verum id genus remedium ſumma neceſſitas requirebat, impetum tunc in Eccleſias occaſione turbarum illarum facientibus non tam paſtoribus, quam lupis ſectæ Monotheliticæ. Unde addit expreſſe Martinus I. in Epiſtola ſua: *propter anguſtias temporis noſtri & preſſuram gentium* ſe talia ordinare; *ne uſque in finem in illis partibus deficiat ordo ſacerdotalis.* 6.) Similia exempla de datis Metropolitæ mandatis, ut aliquem a Papa nominatum Epiſcopum in vacante Eccleſia ſuæ provinciæ ordinarent, legimus de *Paulo I.* & *Joanne VIII.* in Ep. 39. Cod. Carolin. apud Ducheſne Tom. III. & Ep. 171. 174. 175. 7.) Refert idem Thomaſſinus adhuc Seculo XII. *Adrianum IV.* & *Alexandrum III.* precibus ſolum & commendatione apud Epiſcopos egiſſe, ſiquem Clericum promoveri in alienis ipſorum diœceſibus ad beneficium optarent. Brevi tamen *preces* in *mandata* converſas fuiſſe. 8.) At enim inde a Seculo XII., erectis jam pæne ubique diſtinctis Titulis Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſicuti cupiditas pinguioris Præbendæ electiones non ſolum Epiſcopales, ſed & inferiorum Miniſtrorum, paſſim perturbaverat, ita Romani Pontifices occaſionem nacti ſunt, ut ſive juris immediati obtentu, ſeu titulo ſupplendorum defectuum malæ electionis, vel etiam ad prævenientdas electiones malas, ſæpius huic negotio ſe miſcerent. Poſtquam vero crebra ſatis iſtius rei exempla dedere; acceſſerunt Principum ipſorum preces, id genus collationes, quin & reſervationes earundem, a Romanis Pontificibus in

certa-

certarum perſonarum, ſuis obſequiis addictarum, favorem efflagitantium: quorum Principum auctoritate viciſſim in liberiore iſtius diſpenſationis uſu ſummi Pontifices roborabantur adverſus Epiſcopos; qui ob temporum quoque illorum rationem ſæpe, quod juris ſui eſſet, magnopere ignorabant. Inde vero brevi graviſſimi abuſus, miniſtrorum Papæ & ad Romanam ſedem confugientium vitio, nec vero etiam ſine ſpecie deſpotiſmi alicujus ex parte quorumdam ipſorum Pontificum, conſecuti ſunt; ita quidem, ut *Innocentius IV.* ipſe ob id genus cauſſas Bulla edita reſervationes & mandata omnia ſibi antea ſurrecta revocarit. *Cum vero*, ut ait Cl. Rigant (Comment. in rég. I. Cancell. §. I.) *Angli ſuarum Provinciarum opes deferri in Italiam, & iidem, atque Hiſpani; a Pontificibus Avenione reſidentibus hominibus Gallis ſua Sacerdotia deferri viderent*; tum ſane omnes acriter reſiſtere; etſi poſt graviſſimas querelas populorum pluribus ſeculis iteratas vix demum *Expectativæ gratiæ* a *Tridentino Concilio* Seſſ. XXIV. cap. 19. ſublatæ fuerint. Reliqua autem Pontificia collatio beneficiorum ad certos quidem limites celeberrimis illis *Concordatis Germaniæ* an. 1448. inter *Nicolaum V.* Papam & *Fridericum III.* Imperatorem initis *in Romano Imperio* redacta eſt. In *Gallia Sanctio* primum *Pragmatica*, in *Bituricenſi* Concilio an. 1438. decreta, & a *Baſileenſi* Concilio confirmata, Pontificum poteſtatem reſtrinxit; ſed quæ novis *Concordatis*, a *Leone* Papa X. an. 1516. cum Franciſco I. initis, abolita rurſum eſt. Qui me vel pluſculo amplius hic dixiſſe ſuſpicatur, quam ſalva veritate ſumma in Sacram Sedem reverentia admittat; imo qui experimentum integritatis animi mei capere optat; legat, oro, vel duo capita ex Thomaſſino P. II. L. I. nempe 43. & 44.: iisdemque perlectis reflectat ſecum ipſo; quantum *argumento* illi tribuendum ſit, quod tam communiter ex *factis Pontificum ſuperioris ætatis in materiis diſciplinæ* ad probandam eorundem poteſtatem, divino Primatus jure ipſis competentem, veterum temporum Theologi æque ac Canoniſtæ petere conſueverunt. *Habes hic ergo*, concludit Thomaſſi-

maſſinus cit. cap. 44. §. III. n. 8., *ut increbeſcere cœperint illa Canoniſtarum placita, Romanum Pontificem eſſe ſummum diſpenſatorem omnium Eccleſiæ beneficiorum: atque nulla re de novo tentata, nova tantum cœperint receptæ jam conſuetudini & diſciplinæ parari aptarique fundamenta, ab ipſo uſque Petro petita, omnium Eccleſiarum fundatore, per ſeſe, vel ſuos ſucceſſores; ut jam olim affirmaverat in Epiſtolis ſuis Innocentius I.* Concludo hoc totum argumentum ſapientiſſimis ejusdem Thomaſſini dictis loc. cit. cap. 45. §. XIV. *Collatores & Inſtitutores primarii omnium ſuæ diœceſeos beneficiorum fuere Epiſcopi, utpote earum omnium Eccleſiarum fundatores, vel fundatorum hæredes, & ſucceſſores* (adde vero, etiam immediatos rectores & paſtores) *ita ut jam inde ab exordio Epiſcopi jure hoc ſuo gaviſi ſint nominando, nominatos ab aliis inſtituendo, conferendo* (jus & officium ſpirituale, ipſamque jurisdictionem ſuam delegando) *aliorum collationes conſenſu ſaltem tacito ratas habendo.* Enimvero nominationis, præſentationis variabilia ſunt jura. Aſt collatio proprio & immediato jure divino ad Epiſcopum ſpectat. In illis ſtari conſuetudine poteſt ac debet. In iſta cedere jure ſuo Epiſcopi ſaltem non tenentur. Sunt enim Epiſcopi ſoli jure divino immediati paſtores gregis, quem Apoſtoli, aut præceſſores Epiſcopi, genuerunt: cui etiam ſoli ipſi per ſe *vicarios* præſtituere paſtores, id eſt, Parochos, poſſunt, cura & jurisdictione precaria ipſis delegata.

288.

Epiſcopis particularibus non competit per ſe poteſtas diſpenſandi in legibus Eccleſiaſticis, ſeu SS. Canonibus, a ſummis Pontificibus cum conſenſu debito Epiſcoporum ipſorum conſtitutis (279. 280.). 2.) *Competit ipſis tamen poteſtas Epickiæ, ſeu impropriæ diſpenſationis, in caſu urgentis neceſſitatis, vel majoris utilitatis Eccleſiæ;* 3.) *ita tamen, ut ſi res moram patiatur, ſecundum hodiernæ diſciplinæ morem recur-*

recurrere debeant ad ſummum Eccleſiæ caput, vel eidem poſtea de facto ſuo reddere rationem. Inferiori enim per ſe, & nulla ad id accepta a ſuperiore delegatione poteſtatis, non competit facultas tollendi legem ſuperioris in quocunque caſu etiam particulari; in quo per ſe adhuc obligaret. Atqui Epiſcopus certe inferior eſt reſpectu Papæ cum concilio Epiſcoporum ferentis legem. Ergo &c.: *quod primum.* Porro nec Papa, nec Epiſcopi conſentientes legi ferendæ, cenſentur, aut voluiſſe, ut ea obliget in aliquo caſu cum damno Eccleſiæ, vel majoris boni detrimento, aut in caſu, quo res moram non patitur, præcepiſſe, ut Romam usque recurratur: *quod alterum.* Porro tamen per ſe manifeſtum eſt, jure ſuo, velle ſuperiorem, ut de epickia quadam ab inferiore in ipſius lege publice prætergredienda ipſe edoceatur; tum ne ſub epickiæ nomine abuſus ſcienter ſubinde irrepant, tum quod etiam ſingulorum Epiſcoporum prudentiæ univerſe ſatis confidi non poſſit: cum ergo hodie, ceſſantibus Provincialibus Synodis, penes ſolum Papam ſit diſpenſandi ordinaria poteſtas; ad hunc referre talia oportet: *quod tertium erat.*

289.

Quodſi etiam poteſtas diſpenſandi in aliqua lege generali Eccleſiaſtica Epiſcopis particularibus, ſeu expreſſe a ſummis Pontificibus vel generalibus Conciliis conceſſa, ſeu ex conſuetudine legitima, competat: non poteſt Epiſcopus ea uti; niſi legitima ſuppetente ratione. Patet a fortiori ex §§. 281. 283.

290.

FACTA *variam Eccleſiæ diſciplinam in diſpenſatione legum Eccleſiaſticarum nunc Epiſcopis conceſſa, nunc reſervata Romanis Pontificibus, demonſtrantia.*

a) *Primis tribus Eccleſiæ ſeculis*, vel certe usque

ad medium tertii ſeculi, cum nec Provincialibus Synodis, nec recurſui ad Romanum Papam, ob graviſſimas perſecutiones erat locus; in caſu, ubi publica id neceſſitas jubebat, vix ambigi poteſt, quin ipſi Epiſcopi Canones Apoſtolicos, ex. gr. de bigamis & Neophytis non ordinandis &c, relaxarint: etſi ob primum illum Eccleſiæ fervorem pro certo haberi poſſit, rariſſime id genus relaxationes, nec forte ſine Metropolitæ ſaltem præſcitu & approbatione, fuiſſe factas. Jam enim tunc veriſimiliter vigebat Canon XXXV. Apoſtolorum, ſupra §. 195. n. 1. allegatus: *Epiſcopi gentium ſingularum* (Metropolitam) *velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter ejus conſcientiam gerant, quam illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ competunt.*

2.) Ubi vero *a medio tertio ſeculo* Concilia Provincialia frequentari cœperunt, tunc Epiſcopis ipſis conſultiſſimum in his Synodis viſum eſt; ut non niſi per Epiſcopos in eisdem congregatos legum Eccleſiæ in neceſſitatis caſu non omnino urgentiſſimo relaxationes fierent. Factum id eo majore jure; tum quod illis temporibus ante Conſtantini M. tempora locus Conciliis Synodalibus multis in Provinciis ſæpe multo facilior fuerit, quam communicatio cum Romano Pontifice ex remotiſſimis quibusque provinciis; tum quod Metropolitis in id genus cauſſis alioquin vi ſuæ inſtitutionis delegata quædam a ſummo Eccleſiæ Primate poteſtas adminiſtrandi commune Provinciæ ſuæ bonum ineſſet (202.). Sic haud dubie non primum in XV. Canone Nicæno, ſed jam ab Apoſtolis, lege generali prohibita erat translatio Epiſcoporum ab una ſede in aliam. Nihilominus *S. Baſilius* Magnus Cæſareæ Metropolita *Euphronium* Coloniæ Epiſcopum in Synodo Provinciæ ſuæ ad Nicopolitanam Eccleſiam ſumma tunc in neceſſitate (ut ipſe ait epiſt. 227. & 228. edit. Benedict.) conſtitutam tranſtulit.

lit. Eandem poteſtatem Concilio Provinciali univerſe etiam pro caſu utilitatis alicujus majoris tribuunt *Patres Concilii Africani* an. 398. celebrati. *De Attico Conſtantinopolitano* refert Socrates L. VII. c. 3, quod *Sylvanum* Epiſcopum Troadis Philippopolin transtulerit; ac porro duodecim alia ſimilia Translationem exempla ſubdit, item a Provincialibus Synodis facta. Rurſus decreto Apoſtolico vetitum erat, ne quis *Neophytus* in Epiſcopum ordinaretur. Et tamen medio Seculo tertio *S. Cyprianus*, in eunte quarto ſeculo *Euſebius Cæſareenſis* (teſte S. Gregorio Nazianzeno orat 19.), *Firmus* item Cæſareenſis teſte Socrate L. VII. c. 43., aliique per Synodos provinciales ex Neophytis Epiſcopi, ſeu neceſſitate, ſeu magna utilitate id ſuadente, ordinati ſunt. *S. Athanaſius* ipſe in gravi neceſſitate *Siderium* Salebiſcæ Epiſcopum ſolus ordinavit, contra legem Eccleſiaſticam, tres ordinantes Epiſcopos requirentem, eundemque Ptolemaidem a priſtina ſede transtulit; uti refert *Syneſius* Epiſt. 67. ſeculi quinti ſcriptor; qui & ipſe, uxoratus licet, ne ab uſu uxoris ſe abſtinere poſſe antea profeſſus, plebis poſtulatu a Theophilo Alexandrino Ptolemaidis in Ægypto Epiſcopus a. 410. diſpenſatione quadam legis Eccleſiaſticæ creatus eſt, teſte Photio Cod. 26. Prætereo alia exempla ſimilia quam plurima. Ceterum innovatio iſta & translatio poteſtatis diſpenſandi ab Epiſcopis ſingularibus ad Synodos facta eſt ſapientiſſimis ex cauſis; *primo* quod ſolvi per ſe leges non poſſint univerſe, niſi ea auctoritate, qua & condi: *deinde* quod brevi ruitura ſecus eſſet canonum diſciplina, ſi quot Epiſcopi, tot eſſent ejus ſolvendæ aucto-

provide & ſobrie diſpenſetur: *denique* ne toties movendæ ſint lites in Epiſcopos, qui aut molliter, aut improvide diſpenſaſſent.

3'.) Tametſi vero ut plurimum ab Epiſcopis & Conciliis provincialibus inde *a quarto ſeculo* manarent diſpenſationes; ſæpiuſcule tamen adita fuit ad eas impetrandas Apoſtolica ſedes, ita quidem, ut in graviſſimis quibusque cauſis, & ipſis identidem volentibus Epiſcopis & Synodis in ſequentium ſeculorum decurſu recurſus ille magis identidem frequentaretur. Hujus recurſus exempla extant in reſponſoria Epiſt. XV. *Syricii* Papæ ad conſultationem Epiſcopi Tarraconenſis ſuper pluribus SS. Canonum factis relaxationibus in collatione ordinum; in epiſtola *Epiſcoporum Africæ* ad *Anaſtaſium* Papam & Patres Capuani Concilii miſſa (Codic. Can. Afric. 2. 68.) de permiſſione facienda Donatiſtis ad Eccleſiam Catholicam revertentibus, ut eorum Presbyteri & Clerici in ordinibus & dignitatibus ſuis perſiſterent, ſicque Donatiſtarum converſio promoveretur. Similis diſpenſatio Donatiſtis jam diu ante a *Melchiade* Papa in Romana Synodo conceſſa fuerat, ut videlicet ordinati a Majorino Epiſcopi dignitatem ſuam ſublato ſchiſmate retinere poſſent: quam diſpenſationem, ceu pacis promovendæ cauſſa factam, ut juſtiſſimam commendat *S. Auguſtinus* Epiſt. 162. Alias Romani Pontifices liberalius & cum quodam diſciplinæ diſpendio factas ab Epiſcopis provinciarum diſpenſationes aut corripiebant, aut, ne fierent, inhibebant. Sic *Innocentius I.* Epiſt. 22. c. 5. Epiſcopos Macedoniæ monet, *ne quod neceſſitas pro remedio impetravit, in pace jam conſtitutis Eccleſiis præſumerent.* Admiſerant nempe iſti Epiſcopos a *Bonoſo* hæretico ordinatos devitandi ſchiſmatis cauſſa: id quod, ceu regu-

regulis Apoſtolicis contrarium, reſtituta pace haud eſſe iterandum monet. *S. Cæleſtinus I.* (in Decret c. 20. 21.) ad Apuliæ & Calabriæ Epiſcopos ita ſcrbit: *audivimus, quasdem civitates Epiſcopos ſibi petere velle de Laicis &c. talibus, fratres cariſſimi, qui juris noſtri, id eſt, Canonum, gubernacula cuſtodimus, neceſſe eſt, ut obviemus; hisque fraternitatem veſtram Epiſtolis admonemus; nequis laicum ad ordinem clericatus admittat &c.* *S. Leo M.* ad Epiſcopos Italiæ, & rurſum ad Mauritaniæ Epiſcopos ſcribens, *Hilarus* Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, vindicem ſuam auctoritatem Epiſcopis in diſpenſatione inprovidis itidem intentant. Nihilominus ipſe *S. Cæleſtinus I.* Epiſcopis orientalibus Neſtorij fautoribus (Conc. Epheſ. œcum. P. III. c. 20.) & *S. Leo M.* ipſi Eutycheti reſtitutionem dignitatum, ordinum, & priſtinorum beneficiorum, diſpenſatione conſtituerat; ſi depoſitis erroribus reſipiſcerent (Conc. Chalced. P. I. c. 9. & 11. & ep. 21. S. Leonis ad Flavian.) Pariter *S. Damaſus* ordinationem Flaviani Antiocheni Epiſcopi, multis nominibus vitioſam, intercedente Theophilo Alexandrino, diſpenſatione ratam habuit, ut refert Socrates L. V. c. 25. Ignoſcebant nempe ſummi Pontifices facilius culpis jam admiſſis, quam committendis frœnum laxabant. Ceterum durabat hæc diſciplina uſque *ad ſeculum undecimum;* quo labente magnopere aucti ſunt recurſus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem pro diſpenſationibus tum in difficilioribus negotiis, tum in iis, quæ novi erant exempli, tum ſæpe etiam in obviis; ut ne tanta ſcilicet diſpenſationis facilitas relinqueretur. Quin & faculta-

recurſibus per Epiſcopos timoratiores frequentatis pedetentim invaluiſſe videtur axioma illud, *non poſſe ab Epiſcopis & Synodis Provincialibus relaxari Canones Conciliorum generalium & Sedis Apoſtolicæ decreta.* Principes etiam & optimates, difficiliores ſæpe in diſpenſando Epiſcopos experti, & Sedis Romanæ humanitate invitati, ultro recurſus illos arripiebant. Denique in *Londinenſi Concilio* anni 1138. primum de diſpenſationis alicujus reſervatione ab illius Synodi Patribus ipſismet Pontifici Romano facta legimus; cum Can. VII. ſtatuunt, ut ne Clerici, qui ab Epiſcopo quovis alio, præterquam ſuo, ordinarentur, reſtitui ab alio quam a Romano Pontifice poſſint, niſi monaſtica profeſſione flagitium expiarint. Præerat vero illi Concilio legatus Pontificius *Innocentii II.*

4.) At denique *reſervatio* quarumdam *diſpenſationum* Romanis Pontificibus *ſolenniter facta eſt in* Concilio Lateranensi *IV. an.* 1215. : in quo editis adverſus pluralitatem eorum beneficiorum, quæ curam animarum & reſidenti neceſſitatem conjunctam habent, Can. 29. & 30. reſervatur Pontifici Romano diſpenſandi in hoc facultas *circa ſublimes & literatas perſonas, quæ majoribus beneficiis ſint honorandæ*; item in ſuſpenſione contra eos ſtatuta, qui indignis beneficia conferunt. Aderant vero in eo Concilio præter Papam *Innocentium III.* quadringenti & amplius ex omni orbe Epiſcopi. Porro *Innocentius III.*, eo ipſo, quod in ulciſcenda Canonum diſciplina conſtanter ſe invictum vindicem exhiberet, maxime id effecit, ut, ſeveritatis ejus metu multo minus deinceps Epiſcopi auderent, etiam in caſu id exigente, ſine recurſu ad Papam in eisdem auctoritate propria diſpenſare; maxime quod obſoleto jam

jam pæne Conciliorum provincialium uſu ſolitarii id facere Epiſcopi jam multo minus ſuſtinerent. Is ipſe Pontifex (Regeſt. 13. epiſt. 194.) ſoli ſibi reſervavit diſpenſationem, ut tres ſimul ordines ab Epiſcopo eidem perſonæ conferri poſſent; item reſervationem in irregularitate criminis, a Clericis admiſſi, quo ſcandalum publicum & infamia concitetur (Regeſt. 15. epiſt. 111). Exinde ſecutæ plures aliæ tum per ipſos Pontifices, tum etiam per Concilia particularia factæ reſervationes. Ceterum rationes hujus ſecundæ innovationis, qua diſpenſationes Romanis Pontificibus reſervatæ ſunt, pæne eædem erant, quas fuiſſe diximus ſupra n 2.; ut a ſingulis Epiſcopis ad Synodos Provinciales vulgo translatæ fuerint: inprimis vero, quod Synodis iſtis ferme ſublatis in negotiis quibusdam graviſſimis communiter Epiſcopis ſingularibus eæ ſat tuto committi non poſſent.

5.) Avenionenſi ſchiſmate durante, cum regna quædam ſe ab omni illorum certantium Pontificum obedientia ſe ſubducerent, recuperaſſe viſi ſunt Epiſcopi eam ampliſſimam diſpenſandi poteſtatem, qua olim potiebantur; atque in Piſano Concilio an. 1409. ratum habuit *Alexander* V. Papa, quidquid ab illis interim fuiſſet diſpenſatum.

6.) *Hodie* ea eſt diſciplina communis Eccleſiæ, ut, niſi expreſſe diſpenſatio in aliqua lege Eccleſiaſtica fuerit reſervata Romano Pontifici, hoc ipſo poteſtas diſpenſandi Epiſcopis ex cauſſis

vis cauſſa moram non pateretur. Cum enim olim facultas diſpenſandi univerſe competeret Epiſcopis; eadem manet hodiedum; niſi quoad vel conſuetudine, vel reſervatione expreſſa, denuo eisdem fuerit erepta. *Tridentinum* vero Seſſ. XXIV. cap. 6. concedit inſuper Epiſcopis, ut diſpenſent *in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario &c. &c.*

291.

I. Si jurisdictio Epiſcopalis in foro interno, vel externo, ratione cujuscunque ſui exercitii immediati, divino jure Epiſcopis competentis (187. *VII. VIII.*), *nulla lege generali Eccleſiaſtica reſtricta eſt; libere hodiedum a quocunque Epiſcopo exerceri poteſt* (279.).

II. Si vero aliquo in exercitio prædicto lege generali Eccleſiaſtica reſtringitur, nihilominus diſpenſandi facultas cuique Epiſcopo in caſu neceſſitatis, vel magnæ utilitatis, ſine obligatione recurrendi ad Papam, hodiedum competit; niſi eadem vel lege generali (279. 280.) *vel certe conſuetudine, vim legis jam ſortita, reſervata Papæ fuiſſe noſcatur.*

*. Ceterum immediatæ Epiſcoporum jurisdictioni magnopere conſuluit Tridentinum Concilium; cum Seſſ. XXIV. Cap. 20. ſtatuit; *ut cauſſæ omnes, ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, etiam ſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinario locorum duntaxat cognoſcantur.* Addit tamen: *ab his excipiantur cauſſæ, quæ juxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ; vel quas ex urgenti rationabilique cauſſa judicaverit ſummus Romanus Pontifex per ſpeciale reſcriptum Signaturæ Sanctitatis ſuæ, manu propria ſubſcribendum, committere, aut avo-*

care-

care. Pergit. *Ad hæc cauſſæ matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidecani, aut aliorum inferiorum judicio, ſed Epiſcopi tantum examini & jurisdictioni relinquantur: - - - coram quo ſi pars vere paupertatem probaverit; non cogatur extra provinciam nec in ſecunda, nec in tertia inſtantia, in eadem cauſſa matrimoniali litigare; niſi pars altera & alimenta & expenſas litis velit ſubminiſtrare.* Monet denique: *Legati quoque, etiam a latere, Nuntii, Gubernatores Eccleſiaſtici, aut alii, quarumcunque facultatum vigore, non ſolum Epiſcopos in prædictis cauſſis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare, non præſumant.*

** Præterea cum hodie & *frequentiſſimæ* ſint Romanæ diſpenſationes in omni prope genere legum Eccleſiaſticarum, & in earum conceſſione ſæpiſſime certa, eaque *non modica* aliquando *pecuniæ ſumma*, inter Romanæ curiæ officiales expendenda, exigi *ab univerſi orbis Catholici hominibus*, eas diſpenſationes petentibus, ſoleat: alio hoc nomine, & in conſideratione politica, odioſus illo Romam recurſus efficitur; multique non immerito antiquam revocari diſciplinam exoptant, videlicet ut reſtituto veteri uſu & frequentia Synodorum Provincialium cauſſæ diſpenſationum ad Epiſcopos cujusque provinciæ proprios revocentur: maxime etiam idcirco, quod frequentia talium Synodorum ipſos Epiſcopos optabili neceſſitate compellat, ut muneris ſui Epiſcopalis officiis omnibus implendis eo majore cura intenti ſint.

*** Denique nihil eſt conſenſu omnium doctorum ſimul ac proborum Catholicorum, quod Dominos

Eccleſiæ in particularium Eccleſiarum regimen influxus; qui niſi graviſſimis cauſſis & pæne neceſſitate aliqua excutietur, maxime cum aut ſeveriore correptionis virga ſimul armatus, aut de avaritia ſuſpectus eſt, in oculis plerorumque exoſam *dominatus* ſpeciem habere ſolet; quem tamen gravibus adeo verbis prohibitum a Chriſto Domino, & proſcriptum ab Eccleſia ſua fuiſſe, omnes novimus. Cum itaque in rebus meræ diſciplinæ, a quibus ſalus Eccleſiæ nequaquam per ſe pendet, haud dubie etiam Capitis Eccleſiæ poteſtas ſe quam moderatiſſime exere, ejusdemque oſtentatio communi bono cedere absque dubio debeat: nullus dubito, quin, ſi promtas ceteroquin ad unionem manus extendere Domini Proteſtantes Germaniæ noſtræ vellent, modeſtiſſimi ac manſuetiſſimi Principis Eccleſiæ, Jeſu Chriſti, ſummus Vicarius omnia ipſis hac in parte indulturus eſſet, quæ ſalva fide & unitate ſubſtantiali Eccleſiæ quocunque modo indulgeri poſſunt. Etſi enim duobus inde a ſeculis difficilior id genus ceſſio extiterit: tamen in tanto ſcientiarum, hiſtoriæ præſertim & Theologiæ, profectu, & in ea prudentia noſtri ſeculi, quam uſus duorum & amplius ſeculorum docuit, accedente præſertim aliquo majore communi petentium conſenſu, multa hodie obtineri poſſe experientia docet, quæ olim fruſtra exoptabantur.

VA 1
1530221